



43



18

2



R. g. 26.

HIERONYMI

MAGII

12²

VARIARVM LECTIONVM,
feu Miscellaneorum

LIBRI IIII.


*In quibus multa auctorum loca emendantur, atque
explicantur, & quae ad antiquitatem co-
gnoscendam pertinent, non pau-
ca afferuntur.*

Ad Illust. & Reuer.

ADAMVM KONARSKIVM

Posnani Episc. & Poloniae Regis

ATOREM.



CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS *Ex Officina Iordani Zileti.* 1564.

hic lib. fuit Guil. Drousteau Antecurf.



ADAMO KONARSKIO

POSNANIAE EPISCOPO,

Aurel. ET DIVI *nunc eor*

Sigismundi Augusti

Poloniae Regis in Italia

us Studios. ORATORI, *oium*

HIERONYMVS MAGIVS

IVRISC. ANGLAENSIS

S. P.



OMINIS non simpli

cem esse naturam,

ADAME KONAR-

SKI Praesul amplif-

sime, Philosopho-

rum facile princeps

Aristoteles testatur, & nos, si men-

tem adhibuerimus, fatis intelligi-

mus. Hinc ille vsu venire conten-

a 2 dit,

Epistola

dit, vt nulla res eadem semper nos
oblectet, quòd subinde eiusmodi
animo cupido infideat, quæ muta-
tionem, varietatemq; ipsam expe-
tat, atq; deposcat. Quamobrem au-
gusta illa mundi huius molitoris
effectorisq; Dei administra natura,
non tam vt virium suarum speci-
men quoddam planè admirandum
exhiberet, quàm vt nobis maximè
confuleret, multiplici rerum om-
nium copia, & varietate cuncta lo-
cupletasse videtur. Quocunq; enim
te vertas, quicquid in cernendi sen-
sum cadit, multiplex esse animad-
uertis. Cœlum variis exornatum
stellis; terram hîc montibus emi-
nentem, illhic vallibus lacunosam:
fontibus, riuis, fluminibus, stagnis,
lacubus ac mari irriguam atq; di-
stinctam: plantis præterea, herbis,
lapidibus, animantibus innume-
ris, multiformibus, uersicoloribus-
que

Nuncupatoria.

que (vt quæ marinis fluctibus continentur, præteream) passim iucundum oculis præbere spectaculum conspicias. Huius solertiam ingeniumq; homines cum multis aliis facultatibus artibusque, tum uel maximè his, quæ literarum monumentis continentur, fœliciter æmulati sunt; dum non vnã eandemque rem, sed planè innumeras nobis spectandas, inq; varios vsus desumendas proposuerunt. In quibus magna quadam sanè, & incredibile amœnitate ac utilitate respersi Variarum lectionum libri videntur, qui dum grauioribus curis studiisq; oppressi, & quasi confecti respirare, nosq; ipsos colligere uouerimus, hortorũ viridariorumq; oculis atq; animis loco sint. Quorum, siue antiquiores, siue recentiores quæras, quanquàm copia satis ingens circumfertur; ego ta-

Epistola

men, qui hoc ſcriptionis genus multum ſemper probauerim, quod quàm auctori iucunda confectio fit, tam etiam lectori pergrata ac frugifera lectio eſſe ſoleat; nō ideò ſi quid huiuſmodi ſuccifuis horis diligentia mea amicorum hortatu aliquando peperiffem, ſupprimendum abolendumq; eſſe, mihi vnquam in animũ induxi: quin multa in ſua priuatim capita cum collegiffem, literisq; tanquàm tyrocini mei monumenta conſignaffem, tantisper ea ſupprimenda eſſe cenſui, dum docti alicuius amici iudicium & cenſuram ſubirent, aut mihi ad ea, quæ rudia inchoataq; eſſent, perficienda, & quædam, quæ ſubinde diſplicerēt, recudenda, ocium aliquando inter innumera, quibus diuexor, moleſtiarum examina, & importuna negocia, concederetur. Verum dum id fruſtrà iam multos
annos

Nuncupatoria.

annos expecto, illud contigit, ut eorum, quæ à me fuerant animaduversa ac in libros relata, quædam mox & doctis quibusdam viris in mentem venerint, in lucemq; non sine laborum meorum iactura prodierint. Quare diem ulterius extrahendam diffundendamq; non esse, cum perspicerem, cõmodùm Venetias aduënit Carolus Sigonius vir omni elegãtis doctrinæ genere mirum in modũ (quod eius lucubrationes testantur) excultus, & cui nihil eorum, quæ in Græcis Latinisq; auctõribus ad antiquitatem cognoscendã penitusq; illustrandã pertinent, obscurum ac ignotũ vnquam videri possit. Huic cùm nõnulla ex his libris memoriter, quo eius extorquerẽ sententiam, recensuissẽ, tantum abest, ut ille ea improbauerit, ut ex eo, quod illi ostensum esset, exemplo reliqua perpẽdens, ut

Epistola

quàm primùm prælo libros hosce
in communem studiosorum vtilita-
tem subdendos curarem, hortatus
fit. Cuius ego iudicium secutus,
mox non sine maximi alicuius pa-
troni tutelari numine id faciendum
esse decreui. Tunc verò tu, ADA-
ME KONARSKI Præsul optime
atq; amplissime, mihi in mentem
veniebas, cuius dignitate, splen-
dore, atq; auctoritate, exilia hæc,
parumque meo nomine plausibi-
lia illustrarem, & contra nouita-
tis inuidiam, & vetustatis iniuriam
præmunirem. Tu siquidem illustris-
simo loco iure optimo positus, ac
omnibus planè virtutibus, quæ nõ
solum principi viro, sed sancto ac ir-
reprehensibili Episcopo maximè
conueniunt, exornatus, tantum ti-
bi apud omnes Christiani Orbis
nationes nominis, atq; auctoritatis
comparasti, vt quæ tuo tecta sint
præsidio

Nuncupatoria.

præsidio, vel nomen tuum præfere-
rant, nedum illæsa, sed magna quo-
que dignitatis accessione commen-
data, & augusta fore uideantur. Ac-
cessit eò, quòd postea quàm à Diuo
SIGISMUNDO AVGVSTO po-
tentissimo Poloniæ Rege, qui ad se-
ria quæque, & ad rerum summam
pertinentia tuo vti solet consilio, in
Italiam Legatus aduenisti, ea de te
magis magisq; increbuit fama, quæ
bonos omnes ad te amandum, su-
spiciendum, colendumq; pellexe-
rit. Non solùm enim hanc legatio-
nem ita gessisti, ac geris quotidie,
vt diligētiam tuam, & grauitatem,
Italorum Principes admirentur, &
ingenium incomparabile cogno-
scant, sed aliis etiam in rebus, vt to-
ta ferè Polonia, & Posnanix con-
sueuisti (etenim hæc tuis hodie stat
instituti sanctissimis seruandis, &
quasi vestigiis persequendis) vir-
tutis

Epistola

tutis pietatisque tuæ monumenta fanè quàm admiranda, passim relinquis. Nam, vt cætera silentio inuoluam, literatos homines nouus quasi sæculi nostri Mœcenas ita humanitate prosequeris, & beneuolentia complecteris ac foues, vt his etiam cõuictoribus, omniumq; horarum comitibus, familiariter utaris. Qui enim animum optimarum disciplinarum studiis excoluisti, præclareque in te alis virtutis laudem, virtutem ipsam in deligendis tibiq; asciscendis amicis, & comitibus, non fortunam, cuius boni ferè ludibriis patent, sapièter sequeris. Quare vt tui nominis memoria immortalitati consecretur, efficis. Ex his ego quanquàm gregalis, innumeras hæc animi tui dotes, & Episcopalis muneris ornamenta admirari, teq; mirum in modum amare cum cœpisssem, ac mox
quæ

Nuncupatoria.

quæ tui studiosissimus Iac. Breznicius iuuenis mihi propter singularem doctrinam multamq; probitatem charissimus, de te sæpe prædicabat, igniculos quosdam addidissent; aliquod animi studiiq; erga te mei edendum esse argumentum iudicavi. Ac sensi nihil in præsentia facere me commodius posse, quàm si hos Miscellaneorum, seu Variarum lectionum libros, tui nominis æternitati dicarem. Maiora certè, quibus dignus sis, præstabunt eruditissimi viri, & non parua Polonici nominis ornamenta Martinus Cromerus, Ioannes Sarius, Melchior Guilandinus, Stanislaus Ilouius, Andreas Patricius, cuius modo nemini Breznicius meus, Orecoius, aliiq; non pauci. Equidem quæ mea elaborare tenuitas potuit, sedulò præstiti. Quod autem ad munus hoc cartaceum pertinet,

Præsul

Epistola

Præful Illustrissime, illud te scire ve-
lim, quæ à me scripta sunt, non a-
deò pro Delphicis respõsis (vt mul-
torum mos est) habenda esse mihi
persuadere, vt non magnam erudi-
tis hominibus habiturus sim gra-
tiam, si non iniquo, & exulcerato
animo, sed vt homines humanita-
tis addictos studiis decet, me, si qua
errata offendent (vt fortasse nõ pau-
ca offendent) scriptis suis admo-
neant, & quasi labétem subleuent.
Tanto autem æquiore animo iu-
stas mihi ferendas esse reprehen-
siones duxi (dummodò obtrecta-
tionibus careant, & nonnihil pri-
mæ editioni condonetur) quanto
certiorem in Remp. literariam, cu-
ius gratia manum his rebus admo-
liri consueuimus, vtilitatem inue-
hi intelligam. Equidem cum nul-
lo adhuc mortalium tam prosperè
ac foeliciter actū esse video, vt erro-
re

Nuncupatoria.

re penitus cuiusquam scripta vacauerint. Homines sumus, & quæ naturæ nostræ imbecillitate contingunt, non sunt probro danda, aut ad contumeliam vlla ratione trahenda. Opinione hanc nescio quis malus genius humanis mentibus inuexit, erratis multùm de auctorum existimatione detrahi (cum tamen maximos viros, sapius etiam quàm par est, lapsos videamus) & ideò eum pro hoste habendum esse, qui illa in re literaria commotret. Hi certè mihi communi eruditorum odio (vt quod sentio ingenuè fatear) digni videntur, qui tantum sibi in studiis quibusq; arrogant, vt vel quæ temerè ipsis exciderint, aut sint effutita, inconcussa, sancta q; esse velint, omnemq; perinde respuant reprehensionem, ac quos à suis scriptis dissidentes intelligant, conuiciis, ac virulentis

tis

Epistola

tis maledictis proscindant. At hos meminisse oportet, hominum esse iudicia libera, eaq; lege libros inuulgari, vt alienæ censuræ aleã subeant. Quòd si quis æquus rerū æstimator existat, qui nihil sui ipsius amori det, tantum abest vt errata, quæ admiserit, à quoquam deprehendi ac indicari ægreferat, vt potius tanquàm homini, qui errãti sibi, viã commostrauerit, aut morbo aliquo intestino cæcoq; laboranti, pharmacum præsidiaque salubria exhibuerit, illi gratiam planè sit habiturus. Atq; hæc eò sanè pertinet oratio, vt mihi infensos esse nolim doctissimos aliquot nostræ ætatis viros, à quorum discrepauissent sententiis; sed quicquid à me allatum est, vt citra contradicendi libidinem ac solius studio veritatis, & sedulò factum est, ita æquo, vt certè facturos spero, animo ferant.

Nuncupatoria.

rant. Verùm tu KONARSKI Præ-
ful ampliffime (ne te longiore ora-
tione detineam, & in publica com-
moda peccem) hæc qualiacunque
fint, bonam in partem, & tanquàm
ftudii amorisq; erga te mei, ob-
feruantia; quoq; , & reuerentia; spe-
cimen, & pignus quoddam acci-
pies, & tua dignitate maximaq; au-
ctoritate tueberis, meq; clientu-
lorum tuorum albo adscri-

bes. Quod vt facias
te etiam atque
etiam rogo.

Vale.

Patauio Kal. Octob.

M D L X I I I.

ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΤΟΥ ΛΕΩΝΟΥ
εἰς Γεράνυμον τὸν Μάγιον.

Α Ἴδρῶν τὸν πανάριστον αἰεῖδεν ὄρσειο μούσα,
 Μάγιον Ἀγγλαριῆ, φέγγος ἑοῦ γένους.
 Τόν ῥα θεοὶ μακάρων φιλέουσι δοτῆρες εἰῶν,
 Ἢν διὰ σωφροσύνην, τὴν φρεσὶν ἧσιν ἔχει.
 Τοῦνεκ' ἀροῖτ' ἔδωσαν σοφίησιν ἰὰ βίβηθα πάσης
 Ἰδμεναι ἐνδυκέως, καὶ καλὰ πολλὰ γράφειν.
 Πρῶτον μὲν δεδάηκε νόμους ἀνδρῶν τε θεῶν τε:
 Εἶτα δ' Ἀριστοτέλους ἴην χαλεπὴν σοφίην.
 Πλεῖστα δέ τοι πολέμοιο κακοῦ σμωεγράφατο κέρδη,
 Οἷς γ' ἂν ἔλοι ῥέα τις, τὸν στρατὸν ἀντιπάλων.
 Νῦν δ' ἐκ δαιδαλέων συλλέξας δύσκολα εἴβλων,
 Αὐτὰ σαφηνίσας, γράμμασι τοῖσιν ἔθη.
 Ἄσ' Ἀδάμω θ' ἱέρωτε Κονάρχω φωτὶ ἀρίστῳ,
 Μούσης ἀπασίῳ, ποιμένι Πωσανίας:
 Πρέσβεϊ τε σκηπτοῦχου Σαυροματῶν βασιλῆος,
 Ἀρχοῖς Ἰταλίας πᾶσιν ἐπηνεμένῳ.
 Τοῦδ' ἐκὼν ὑλακομῶρους νῦν κύνας οὐνομα σείη,
 Δάκνειν τόνδε πόνον Μαγίου ἀντομένοιο.
 Χαίρετω οὖν Γεράνυμος ἀνὴρ θεῖος, ἀμύμων,
 Κόσμος πατρίδος ἧς, πίοιοσ Ἀγγλαρίας.

INDEX CAPITVM,
QVAE HIS LIBRIS
CONTINENTVR.

LIBRI PRIM I.



ORMENTA bellica, qui
bus Bombardis no-
men est, non quo pas-
sim traditur tempore
excogitata, aut in bel-
licos usus ascita. aucto-
res multi reprehensi

Cap. 1.

Seruii error detegitur, ac Virgilio locus libro septimo Aeneid. declaratur.

Cap. 2.

De apum natura, ac multiplici genere: allata ratio, quare Iustinianus Imperator apes feras esse dixerit, cum Plinius neque feri, neque mansueti generis eas esse scribat. Beroaldi conciliatio partim recepta, partim uerò improbata. Pauli Iurisc. locus declaratus. De uariis columbarum speciebus, & cur idem Iustinianus eas feras ut apes appellaue-
rit. Cap. 3.

b Multa

I N D E X

Multa, quæ de Gigantum proceritate, & magnitudine prodita sunt, uera esse, non solum ex grauissimorum auctorum testimoniis, sed ex his, quæ nostra ætate uisuntur, & miræ magnitudinis, of-
 sibus, quæ effossa sunt, demonstratur.

Cap. 4.

Hippocratis loca duo pugnantly conciliantur, & cur in miram proceritatem, amplitudinemq; corpora excre-
 scant, declaratur. Cap. 5.

Naues onerarias remis etiã agi olim consueuisse. Lazarus Baysius reprehensus. Cap. 6.

Gulielmi Budæi errata duo demonstrantur, & quid Ciceroni, atque aliis auctoribus equum admittere significet. Locum quendam Pandectarum, mutilum lacunosumq; ut Budæus existimauit, non uideri. Cap. 7.

Legem 12. Tabularum de addictis, non fuisse ex Solonis, aut ullius Græci Nomothetæ legibus depromptam. De lege *Σεσάχθια*. Quibus ex locis, iuribusq; ius Decemuirale collectum sit. D. Augustinus, Seruius, & Accursius notati. Cap. 8.

Ciceronis locus propter lacunam, uerborum

C A P I T V M.

uerborumq; defectum antea obscurus, Plutarchi uerborum adiumento, illustratus. Cap. 9.

Emendata cōstitutio quædam in lib. Legum nouellarum Theodosii, apud Iul. Frontinum, & in Codice Iustiniani. De Nili alluionibus, & aggeribus, ac Aegyptiorum fletu Nili irrigationem precantium. Illustrantur Rubricæ C. de Nili aggeribus non rumpendis, & de frumento Alexandrino: & quid Flumen sub titulo de Alexandria Primatibus in eodem C. significet, declaratur. Cap. 10.

Quaratione ab Horatio dictum sit, lippis, & crudis pila ludere, inimicum esse. Qualippitudine hic Poëta laboraret, & cur aliquando cū salubribus aquis careret, cœnare recusauerit. Cap. 11.

Quid Latinis, Græcisq; auctoribus animæ amissio significet; & quid causæ sit, ut non potius corporis amissio dicatur, cū anima principem locum obtineat. Serui cur corpora appellentur. Cap. 12.

Auli Gellii locus emendatur, & quæ esset funebrium tubarum forma, à Cællio,

I N D E X

fellio, Capitone, Gellio, Nonio, & cæteris ignorata, item tibiærum: & quem sonum Sicitines incinerent, declaratur. Quæ de eisdem tubis, tibiisq; à nonnullis prodita sunt, improbantur; & cur grauem sonum organa musica, quæ inflantur, emittant, demonstratur.

Cap. 13.

Librorum inscriptiones cur tituli appellentur. Becichemi, Alciati, aliorumq; sententia reiecta. Vnde factum sit ut libri permulti nullos, uel aduulterinos titulos habeant. Cap. 14.

Cur dies ab antiquis in duodecim horas distributus sit, & Romani hæreditatem omnem, ac pondera, mensurasq; plurimas in duodecim partes diuiserint, ex Galeno declaratum. Cap. 15.

Iustiniani locus in Institutionibus, Ciceronis uerbis declaratus. Cap. 16.

Quem imitatus Virgilius, frigus penetrabile dixerit. Qua ratione frigus urere dicatur. Aristotelis, Seruii, & Galeoti Martii sententiæ reiectæ. Cap. 17.

Musæum Poëtam antiquissimû, dum uentos ex diametro pugnantes induxit, parûm Philosophorum regulas obseruasse uideri. Cap. 18.

Carnes

C A P I T V M.

Carnes assas elixis humidiores esse, an sit existimandum. Aristotelis, & Galeni sententiæ, quæ pugnantes uidebantur, nullo negotio conciliatæ. Cap. 19.

Quàm uerè Iustinianus Hippocentaurum esse non posse dixerit. De Centauris, monstrorumq; ortu multa nec passim obuia. Vlpiani sententia reiecta. Cap. 20.

Ciceronis locus illustratus. Animantium multiugam esse distributionem. Cap. 21.

L I B R I S E C V N D I.



QUA de causa uis quædam famis non tolerabilis, quam Græci βούλιμον καὶ βούπειναν dicunt, in diebus frigidissimis multò facilius, quàm cum mite est cœlum, uentriculum obsidere confueuerit. Erasistrati, & Gellii incuria atque oscitatio demonstratur. Vocis εὐδία quæ sit significatio. Gellii uersio reiecta, Manardus reprehensus, & Hippocratis locus illustratus. Cap. 1.

b 3 Quæ

Quæ fuerint apud antiquos Diuisiones, quibus, & quando dari consueuerint. Declarata hæc uox in Pandectis; Accursii, Bartholi, Romani, & Tiracchelli error demonstratus. Cap. 2.

Inter Catamitos meritoriosq; pueros ponendum esse discrimen. Mendum, quod Vallæ libris infederat, demitur, & etymologia huius uocis Catamitus, passim recepta reiiicitur, ac cur pueri concubini, Catamiti sint dicti, demonstratur. Cap. 3.

Spinthriæ unde sic dicti. Pii Bononiensis, & Sabellici sententiæ improbatæ: emendatæque hæc uox in Tranquilli, & Lampridii codicibus. Cap. 4.

Francisci Connani, & Ioannis Ferrarii non leue erratum demonstratur. Cur spadones adoptare posse Iustinianus uoluerit, castratos non itē, quodq; sit horum spadonum impedimētum explicatur, & non nulla de eunuchis afferuntur. Cap. 5.

Statuæ pophyreticæ, quæ angulo cuidam templi diui Marci affixæ uisum tur Venetiis, quibus dicatæ fuerint, ex coniecturis non leuibus indicatum. Cap. 6.

C A P I T V M .

Hians Laurentii Vallæ contextus, uerbo, quod scribarum typographorumq; culpa deerat, restituto, expletur; & clypeus, quo ille contra nonnullas calumnias tegi possit, demonstratur. Cap. 7.

Quo pacto depuretur ferrû, acriusq; ad incidendum fodiendumq; reddatur. Stomoma, quod uulgò aciarium dicitur, qua arte efficiatur. Videri chalibem non stomoma, sed ferrum, tanquam genericam uocem, significare, Latinosq; uocabulo, quo stomoma significant, carere, Hebræos non item. De multis stomomatis generibus à Daimacho enumeratis. Cap. 8.

Quid sit garum, & qui sint lacerti apud Iurisconsultum in. l. Qui penum. ff. de Penuleg. Accursius reprehensus, & eiusdem legis contextus emendatus. Cap. 9.

Quænam illa fuerit machina, qua Archimedes memorabilem Hieronis nauē in mare deduxit, & quid sit ελιξ apud Athenæum. Cap. 10.

De argenteæ urnæ, qua Aemilii Pauli Papiniani cineres continebantur, inscriptione, quam Bartholomæus Socci

I N D E X

nus mendosam , quasi leguleis fucum facere uellet , in suis commentariis posuit . Et de honore , quo Ro. Imperatores eundem Papinianum prosequuntur .

Cap. 11.

Cur Horatius , & Cicero Ianum medium uocent , declaratur , & Chiliadum auctoris sententia rejicitur . Cap. 12.

Iudices qua ratione olim , leuato uelo causas cognoscere dicerentur . Cap. 13

An antiqui , & quo tempore stapiis sint usi : Galeoti Martii error , imposturaq; demonstratur , & Tortellius defenditur . Cap. 14.

Discrepare auctores in primi diuortii , quod Romæ factum est , anno assignando . Gellii locum , non esse , ut quidam uolunt emendandum . Plutarchi , Tertullianiq; in hac re auctoritas eleuatur , & Gellii sententia comprobatur . à Caio Iuriscōsulto diuortii allata etymologia rejicitur . De Viriplacæ Deæ sacello , & magistratu , qui de repudiis ius dicebat . Quæ uerba in repudiis , diuortiiq; solennia antiqui usurparēt . Cap. 15

Claudii Quadrigarii , Taciti , & Liuii loca , quæ pugnare uidebantur , conciliata , Ant. Iulianus reprehensus . Cap. 16

C A P I T V M.

Io. Bapt. Pium Bonon. malè interpretari quosdam Tibulli, & Virgilii uersiculos, magnoq; errore tumulos passim apio coronari solitos, scriptum reliquisse. De uariis coronarum sepulchralium generibus. Cap. 17.

De more Pythagorico in condendis sepulchro cadaueribus seruato. Locus in Plinii naturali historia emendatur. Cap. 18.

Lactantii Firmiani locus quidam indisquisitionem uocatur, eiusq; causa agitur. De pietate in defunctos, & Cœmeteriis, quæ inopum funeribus destinabantur. Cap. 19.

Capiti non parcere, quid apud eundem Lactantium significet, & quæ sit apud obscœni carminis auctorem tertia pœna declaratur. Cap. 20.

Videri scriptores aliquot, Tragicos Poëtas imitari, dum morituros, ut honestè caderent, curauisse dicunt. De proprii corporis post mortem, etiam ubi nullus sit sensus, hominibus insito pudore atque amore. Cap. 21.

I N D E X

† LIBRI TERTII.



• VARRONIS epigramma obscurissimū, Homeri imagini ab eo appositum, quod apud Gellium deprauatè legitur, à mendo purgatur, & genuina explanatione illustratur. Cap. 1.

Observatum quibus in locis hastas reponderent antiqui. Virgilii locus declaratur. Milites in armis dormientes, terræ hastas infixas, non iacentes habere consueuisse: atque eam consuetudinem non solum apud Illyrios; sed etiam apud Hebræos esse servatam. In uocis *σάμρωτις* explanatione discrepasse ab Eustathio Pollucem. Cap. 2.

Quæ fuerint apud antiquos fasciæ crules, & pedules; quibusq; illi usi sint calceis. Crepidæ unde dictæ. Feminalia, tibialiaq; priscis nulla fuisse. Cap. 3

De quibusdam, qui prima concubitus nocte, ædium lapsu perierunt, & de Dæmonum amoribus. Cap. 4.

Sanguinem, qui in occiso homine refrixit,

C A P I T V M.

frixit, planeq; fluere desit, si intra aliquot horas occisor accedat, è uulneribus dimanare. Qui huius rei causas perquisauerunt, uel rei meminerunt, auctores omnes demonstrantur; & Galeoti Martii, ac aliorum quorundam sententia exploditur, Cap. 5.

Aristotelem super Austri, qui ad nos peruenit, origine, discrepare à cæteris omnibus auctoribus; quin etiam sibi ipsi parum constare. Cap. 6.

Pellium, quibus frigora propulsari solent, quis usus, & quo tempore fuerit apud antiquos. Cap. 7.

Emaculata constitutio in tribus posterioribus Codicis Iustiniani libris. Azonis error demonstratur. Declaratur quæ sint in eadem constitutione Deliciæ, & apud Catonem tegulæ deliciares. Cap. 8.

Tertiū ne Consul, an Tertiò dici oporteat. M. Varronis sententia improbata. Cap. 9.

Veteris fuisse instituti apud Romanos cremare hominum cadauera. Plinius, qui hoc negat, reprehensus. Cap. 10.

Dissidium, quod inter Tacitum, & sacras

I N D E X

cras literas esse uidebatur, sublatum.

Cap. 11.

Cauisse scriptores, ne Gallos, frugum, uiniq; dulcedine captos, alpes superasse, seq; Italiæ superfudisse, affirmarent. Valerius Probus reprehenditur, & constitutio quædam Valent. & Grat. Imp. illustratur. Cap. 12.

De Urbis à Romulo ædificatæ forma. M. Varronis contextus corruptissimus emendatur, & declaratur. De pomærio multa, in quibus complurium auctorum errores demonstrantur. Cap. 13

Quibus olim uestibus in luctu mulieres uterentur. Blondi Foroliuiensis, Urbinatis uiri non indocti, & aliorum sententia improbatur. Cap. 14.

Quæ fuerit antiquorû de aquarum ortu sententia. Aristotelem contradicendi studio immodico, Platonis dicta quædam luxare, atque in absurda sensa detorquere. Cap. 15.

LIBRI

C A P I T V M.

L I B R I Q V A R T I.



VRIS quæ sit uera etymologia demonstratur, & quæ ab Vlpiano allata est abiicitur.

Cap. 1.

Bartholum iuris interpretum coryphæum in opusculis tribus, quæ sunt, Tyberias, de Insula, & de Alueo fluminis, falsa, & legibus rationiq; minimè consentanea scripsisse. Flumina cur taurinis prædita uultibus, & cornuta fingerentur. Festus reprehensus. Cap. 2.

Quas res emendis uendendisq; pecore, & iumentis stipularentur antiqui, & quas uerborum formulas usurparêt. Varronis uerba quædam declarata.

Cap. 3.

Locus in eiusdem Varronis uerbis perplexus declaratur, atque agitur de animalibus sacrificio ineptis. Cur homines corpore uitiati à sacerdotio arceantur. Cap. 4.

Roma cur communis patria à Modestino sit appellata, alio pacto quàm Alciatus

I N D E X

ciatus fecerit, declaratum. Romanum imperium, Orbem ex causa, quam Hegesippus attulit, nō esse dictum. Cap. 5.

Anli Gellii locus expenditur, & Alciati, Ferrarii, aliorumq; Iurisconsultorum error demonstratur. Cap. 6.

De fructibus arboris in confinio uel propè confinium natæ. Cuius uerba in Pandectis, & Iustiniani in Instit. emendata. Doctissimorum quorundam uirorum sententiæ reiectæ legibus aliquot declaratis. Agrorum terminos olim fuisse uarios. Cap. 7.

De parricidio, & pœnis, quibus antiqui parricidas afficiebant. Ouidii locus declaratur, & Constantini Imp. lex illustratur. Modestini uerba quædam lectionem à nonnullis allatam non ferre. Quo uirgarum genere, & qua ratione parricidæ cæderentur. Cap. 8.

Pestilentiis, quæ urbes, regionesq; uastasse dicuntur, an & bruta absumpta esse credendum sit. Hippocratis locus, qui multis auctoribus ad uersari uidebatur, quo modo sit accipiendus. Cap. 9.

Consuetudinē, qua ingredientes templa, lustrali aqua respergimur, etiam apud Ethnicos fuisse. Cap. 10.

Animas

C A P I T V M.

Animas nostras corporibus egressas, deductoribus egere. Quis eas deducat. Ethnicos Mercurio id muneris tribuere. Cap. 11.

An hominum umbræ sint, quæ circa sepulchra non nunquam uisuntur. Ethnicorum Theologorumq; nostrorum hac de re sententiæ relatæ. De uocatis Dæmoniacis, & à Lycanthropia correptis, qui in sepulchris degunt, & sepulchra noctu oberrant. Cap. 12.

Musicæ in humanos animos inq; corpora ipsa uim esse maximam, ex his, quæ literis prodita sunt, quæq; in dies usu ueniunt, demonstratur. Cap. 13.

Manes, seu potius Dæmones olim etiam æris tinnitu fugari, creditum esse, huius rei cùm apud nos tû apud Ethnicos quæ ratio adduci possit. Cap. 14.

Aemylii Probi locus in disquisitionem uocatus. Cap. 15.

Carnifices antiquis ominosos, ac magis, quàm nostra ætate inuisos fuisse. Diuum Cyprianum erga carnificem, à quo erat feriendus, munificum fuisse. Caroli V. Imp. constitutione carnifices esse inuiolabiles. Cap. 16.

Locus Aristotelis, sapientis Lyrici, Xen-

I N D E X


Xenophontisq; testimonio restitutus, atque illustratus. Cap. 17.

An iurè apud Ciceronem in libro de amicitia, à Biante remoueat^r sententia de amicitia cum futuræ inimicitia^e suspitione colenda. Cap. 16.

Ethnicorum quorundam mos obseruatus, qui sepulchris iam conditos defunctos, funalibus accensis honorare solebant. Cap. 19.

Locus in Commentariis Iulii Cæsaris, quo ille pontis lignei in Rheno constructionẽ describit, declaratur. Cap. 20

Apud Clementem Romanũ, & Epiphanium per *παλιῶν* interpretem, & obseruationes, quod hominum genus, & quæ res significentur. Cap. 21.



HIERO-



HIERONYMI

MAGII

MISCELLANEORVM, SEV VARIARVM LECTIONVM

LIBER PRIMVS



Tormenta bellica, quibus Bombardis no-
men est, non quo passim traditur tem-
pore excogitata, aut in bellicos usus
ascita; auctores multi reprehensi.

CAPVT I.



MORTALIVM genus, quo
nihil prestantius a rerum
omnium architecto atque
opifice summo in terris e-
ditum est; ad immorta-
lium superiorumque spiri-
tuum, atque adeo ad ip-
sius auctoris sui (si dicere fas sit) diuinitatem

proxime accedere uidetur, & merito celesti

A ori-

Hieronymi Magii

origine censetur : ea enim excogitavit , quæ non humana , sed supra hominis ingenium iure esse creduntur . Nam ut multa omittā , quæ in stuporem oculos mentemq̄. omnium abducere possunt , equidem nunquam satis miratus sum æneorum tormentorum , quibus Bombardis est nomen , inuentionem , eorumq̄. horrificam uim , unde urbium euerfiones , atque exercituum clades neutiquam uulgares emanarūt , indiesq̄. emanant . Mouent humanas mentes tonitrua , fulminaq̄. è nubibus extrusa perterrent , eadem arbores scindunt deiiciuntq̄. , turres operosaq̄. ; adificia demoliuntur , nihilq̄. non obuium perfodiunt : eadem planè , tormenta bellica tonitruis suis , tremendisq̄. eiaculationibus præstare uidemus . Quòd si Archidamus Agesilai filius , cùm Catapultæ iaculum (ut Plutarchus in Apoph. Laconicis retulit) tunc primùm ex Sicilia aduectum uidisset , exclamauit , O Hercules , uiri perijt uirtus . quid superioribus sæculis , cùm tormenta hæc omnium , quæ post hominum memoriam excogitata sunt , perniciosissima , primùm conspecta fuerunt , homines dixisse arbitramur ? Profectò non modò uirorum uirtutem opesq̄. , sed ualidas quasq̄. structuras , ualidosq̄. urbium arciumq̄. muros , deiectum abolitumq̄. iri , confestim exclamasse credendum est . Verùm quis

nam

nam mortale hoc fulmen primò procudere ausus sit, nullus est, qui literarum monumentis liquidò testatum reliquerit; quod optima ratione factum esse censent nonnulli, quandoquidem qui tot malorum, quot hodie uidemus, uiderunt superiora sæcula, omnisq; uisura est posteritas, causam præbuit, & totius quasi Orbis necem accersuit, indignus fuit, qui per hominum ora uoligaret. Quidam Salmoneum Aeoli filium quiddam Bombardis simile, quo Iouis fulmen imitaretur, adinuenisse autumant, de quo Virgilius Aeneid. lib. VI. sic cecinit.

- » *Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,*
- » *Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.*
- » *Quatuor hic inuectus equis, & lampada quassans.*
- » *Per Graiùm populos, mediæq; per Elidis urbem*
- » *Ibat ouans, diuûm q; sibi poscebat honorem:*
- » *Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen*
- » *Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.*

Alij, ut Franciscus Petrarcha, Robertusq; Valturius testatum reliquere, Archimedem Siracusanum, qui mathematicas cogitationes

Hieronymi Magii

ad machinarum usum summa felicitate conuertit, æneum, quo de agimus, tormentum reperisse crediderunt; hoc (nisi fallor) argumento ducti, quòd Plutarchus in Marcelli uita dicat, eo tempore, quo Siracusas oppugnabat Marcellus, Archimedes machinas plures instruxisse, quæ immensæ magnitudinis saxa incredibili fragore, ac celeritate, in Romanas copias etaculabantur. Quorum sententia haudquaquam recipienda uidetur. Si enim ita res haberet, Plutarchus Liuiusq; , qui multi sunt in Archimedis miro ingenio explicando, deq; machinis ipsius non siluerunt, et nihil, quod in obsidione Siracusarum gestum sit, prætermiserunt, longè (ut par est) maiora de machinis illis prædicassent, & tonitruum fulminisq; imitationem, ignisq; inter eiaculandum coruscationem fumidam, profectò silentio non inuoluissent. At, inquit, incredibilis Plutarchi fragoris meminisse, idq; ad rem declaranda satis uideri. Verùm ego respondeo, nec quidem satis esse ad Bombardam appingendam uideri, si instrumenta illa ab Archimede excogitata, saxa etiam fulminis more eiaculata esse, Plutarchus scriptum reliquisset: siquidem Vegetius lib. 4. cap. 22. Ballistas atque Onagros, quibus nullum tormentorũ genus ualidius reperiretur, maiora saxa fulminis

minis more contorquere ait, & infrà cap. 29. more fulminis quicquid percussissent, aut dissoluere, aut irrumperè consueuisse: quas tamen machinas longè à Bombardis & forma et usu abesse, nemo est qui nesciat. Adde quòd Romani cateroquè non oscitantes, id genus tormenta Romam asportassent, imitati essent, & ad bellicos usus traduxissent. Tradit Athenæus lib. 6. cap. 8. Romanos à Græcis machinas instrumentaq; expugnandis urbibus apta didicisse, eosq; ea in re superasse. Verùm, si dijs placeat, Romanos Archimedis machinas despexisse dicamus: quid autem de Græcis ipsis existimandum est? nunquid & hi Archimedis mirum illud inuentum nihili olim fecisse uideri possunt, cum apud eos tot tantiq; Mechanici reperirentur? An Heron, Pappus, Athenæus, Biton, atque alij huius farinae auctores, qui mechanica conscripserunt, quorum libros manuscriptos legimus (nullibi enim ad hanc usque diem cusi extant, quòd mechanica, præsertim, quæ ad antiquitatem pernoscendam spectant, non sine magno sæculi nostri dedecore in toto Christiano Orbe, cunctasq; apud nationes frigeant) negligentes adeò, parumq; oculati fuisse uidentur, ut mirum hoc instrumentum libris suis, quemadmodum cætera antiquorum, quæq; eorum ætate in usu erant, non

Hieronymi Magii

apposuerint? Et nedum non appositum, sed nul-
lam ab his de eo factam mentionem uideas.
Heron tamen uasculi cuiusdam igniuomi me-
minit, quod etiam delineat, in usum militum,
qui scalis admotis urbium muros conscendunt,
ad terrendos scilicet propugnatores, quo mi-
nus illis scandentibus, impedimento sint: il-
ludq; appellat ἀγγεῖον πυροβόλον; quod tantum
abest à Bombardæ usu atque adeò tormenti, cui
uulgò sclopeto, archibusioq; nomen est, ut tu-
bis igniuomis, quibus milites utuntur, si ip-
sis infixas hastas dempseris, ansamq; prope
calcem addideris, persimile uideri possit. Cor-
nazzanus, qui de Re militari uernaculis car-
minibus opus inelegantius, quàm quod à no-
stræ ætatis hominibus legendum uideatur, o-
lim edidit, lib. 3. cap. 2. Bombardam casu à
Coloniensi quodam Chimiſte adinuentam di-
cit. Hic enim, ut ille inquit, nitro, cinnaba-
ri, & allumine confectum in mortario asser-
uabat puluerem latere contectum, qui eò fortè
scintilla dilabente incensus, superimpositum
laterem, ualidè supra domus tabulata expu-
lit. Qua ille re animaduersa, cinnabaris alu-
minisq; loco, sulphur, & contusos carbones
addidit, igneq; iniecto, ualidiorem multò eia-
culationem fieri cognouit: quo experimento
edoctus, bellicam mox machinam confecerit.

Vrbinas

Vrbinas ille ἀπίτος, qui libros de Inuentoribus rerum conscripsit, lib. 2. cap. XI. si non labitur memoria (ab hinc enim multos annos malè feriatuſ curiosuſq; opus non dum uetium perlègi, non nullaq; ex eo ſubnotauim) diuerſa, nulloq; pacto credibilia de puluere illo uiri Germani Chimiçæ artiſ periti, literis prodidit. ait enim puluerem fuiſſe ſulphureum, nullamq; nitri mentionem facit. Siquidem ſulphur dum flammam alit, flatum, quo quidquam expellat, neutiſquam emittit. Omnis uerò tormentarij pulueriſ uis, ex factitio nitro, quod dum exuritur, in ſpirituſ reſoluitur, prodiſ: ſulphur uerò, & carboneſ, ad ignem excipiendum meliùſq; alendum adhiberi, tam apertum eſt, quàm quod apertiſſimum. Reſ etiam experimento patère poteſt; ſi quiſ nanq; ſulphuri carbonibuſq; in pulueriſ faciem contuſiſ ignem admoueat, nihil præter pinguem ac malè olentè flammã inde prodire cognoſcet.

VERVM quantum attinet ad tempuſ, quo id factum ſit, primumq; Bombardæ bello uisæ ſint, uſuiq; fuerint, non ſatiſ certò conſtat (quæ enim de Salmoneo & Archimede feruntur, ſabulam ſubolere intelligiſ) quòd quæ etate machina hæc inuenta ſit, literarum ſtudia, quæ à Gottica barbarie cladem acceperãt, iacerent. Laurentiuſ Valla lib. 2. cap. 34.

Hieronymi Magii

ſuarum elegantiarum, quas ille anno à Chriſto nato milieſimo quadringentefimo trigeſimo octauo ſcribebat, ut ipſe met teſtatur inſrà libro 3. cap. 14. non multum ante ſua tempora Bombardam in uſu eſſe cœpiſſe, his uerbis fidè facit, Nuper, inquit, inuenta eſt machina, quam Bombardam uocant, ideſt nò multo tempore abhinc. Iampridem Bombarda in uſu eſt, &c. Platina in uita Urbani v 1. huius nominis Pontificis ſummi, qui in pontificem lectus eſt anno humanæ ſalutis 1378. huius Pontificis tempore, prælio, quod poſt captam Clodiam inter Venetos, & Genuèſes factum eſt, Bombardam primùm inuentam, & in bellicos uſus conuectam, ſcriptum reliquit. Sic. n. ait; Hac etiam arte Barbadigus uſus eſt, inuenta tum primùm à quodã Theutonico Bombarda, quæ fuit à ſono, & tonitru ſic dicta. Nulla erat Scapha Venetorum, nullus Lembus, qui non duas Bombardas, & eo amplius haberet: quibus multi Genuenſes ut à re inſolita, nec ad præcauendum ſcita opprimebantur. hæc ille. Raphaël Volaterranus lib. 30. Commentariorum urbanorum, eadem de re in hæc uerba loquitur, Loco uerò Onagri ſimul & Arietis, æreas machinas, quas ex ſonitu Bombardas uocant, ingentis ponderis ſaxa igne impulſas, euomentes habemus: quæ quidem

dem machina primùm à Germanis dono Venetis data, cùm ij apud Clodiam fossam Genuenses obsiderent &c. Auctor ille Vrbinas, de quo supra, similiter huius machine usum primùm Venetis ostensum fuisse ait eo bello, quod ad fossam Clodiam gestum est, nempe anno humanæ salutis 1380. Florentinæ olim historiæ uernaculus conditor, & suæ Reip. scriba lib. 1. eodem anno primùm conspectas fuisse Bombardas, memoriæ consignauit: eademq; produnt Blondus Foroliuensis, omnesq; auctores, quos mihi legere contigerit, qui hac de re loquuntur. Qui eo tempore primùm uisas Bombardas dixere, errant, ut patet ex his, quæ Petrarcha scripta reliquit in lib. De Remedijs utriusq; fortunæ, Dialago 99. sua enim ætate non solum Ballistas aliasq; machinas usurpata demonstrat, sed & Bombardas ipsas, quarum tanquam notissimarum mentionem facit; & satis constat ex Matthæi Palmerij Chronologia aliorumq; auctorum scriptis, Petrar-cham anno à Christo nato 1374. obiisse. Ad de quòd historia rerum gestarum Alphonsi XI. Castellæ Regis, edocet, Barbaros anno ab eiusdem Christi natalibus 1343. Bombardas informes tamen (dolia nanque igniuoma appellantur) & multis antea sæculis in bello usurpasse, quod & Hispanus quidam adnotauit.

Hieronymi Magii

Ne autem nos mendacij insimules, adeas Petri Sublanciæ Episcopi (Leonem hanc urbem appellant) libros de rebus gestis Alphonfi Regis, qui Tolentum expugnauit. Quanquam autem Barbaros illos huiusmodi bellicis tormentis usos esse, negare non est cuiquam integrum, nihilominus sæculis illis, alijs nationibus cognita fuisse, præsertim Christianis, haud quaquam uerisimile uidetur: de his enim perpetuum ad Petrarchæ usq; ætatem, si Petrum Sublacensem Episcopum exceperis, silentium cum apud alios scriptores tum apud historicos, quos alioquæ huiusmodi tormentorû meminisse oportuit, uidere poteris. Quin Aegidius Colûnius Romanus, qui olim Lutetiæ Parisiorum Philippi Pulchri Gallorum Regis ætate, sacras literas publicè interpretabatur (cæpit uerò Philippus hic regnare, si Chronologijs credimus, anno ab Orbe redempto 1285.) libro 3. De Regimine Principum, Parte 3. Cap. 18. ubi de Trabucchis alijsque tormentis bellicis agit, nihil omnino de Bombardis loquitur; quæ profectò si tunc uspiam in usu fuissent, silentio ab eo non inuoluerentur. Sunt autem Trabucchi, machinæ lithobolæ (eiusdem generis serè sunt & Briccolæ uocatæ) quibus aorum nostrorum memoria, nasti molares in hostes iaciebantur; quibus Turcharum

charum Imperatorem dum Eubæam expugna-
ret, usum esse, atq; his nedum saxa prægran-
dia sed etiam equorum integra cadauera putre-
scientia, intra urbem esse eiaculatum constat:
quanquam & maximis ea in oppugnatione
Bombardis muros quatiebat. Huiusmodi Tra-
bucchos, seu Briccolas aliquot, se olim Ale-
xandriæ in Aegypto conspexisse, mihi narra-
uit uir Clarissimus Thomas Contarenus, mari-
timarum terrestriumq; copiarû Venetæ Reip.
superioribus annis Imperator. Non.n. harum
usum Bôbardæ statim, atq; omnino postea ex-
cusserunt, quòd non solùm propugnantibus, sed
etiâ oppugnâtibus nullo planè præ Bombardis
ipsis sumptu usui esset: quas penè abolitas, qua-
si ab inferis reuocare, ualidioresq; atq; utilio-
res reddere, multis uarijsq; additamentis nitè-
mur in libris de Militarib. technis, quos manu-
scriptos, superioribus diebus Michaëli Medi-
næ Hispano, summo Philosopho, & Theologo
dedimus, Consaluo Ferrando Cordubæ, Sues-
sanorum Duci Illustrissimo, nostriq; sæculi He-
roi maximo, offerendos. Hic enim ob incom-
parabilem rei militaris scientiam, atq; in bo-
narum literarum studiosos non medijs fidijs
uulgarem amorem, amicis in consilium adhi-
bitis, maximè dignus esse uisus est, qui diutur-
nis nec infructuosis (nisi fallor) meis in bellica-
rum

Hieronymi Magii

rum rerum studio laboribus potiretur . Antequàm huic capiti coronidè m appingamus , illud non est ignorandum , Briccolis ex editioribus locis turribusq; ipsis saxa eiaculari consueuisse (missilia nanque, teste Vegetio lib. 4. de Re militari cap. 29. quanto de excelsiori loco exeunt , tanto longius penetrant) cuius rei nos admonet liber tertius Iuris municipalis Florentinorum , in quo ciues priuatim in turribus Briccolas habere , prohibentur .

Seruii error detegitur, ac Vergilii locus libro septimo Aeneidos declaratur.

CAP. II.

SERVIVM Vergilij enarratorem, uirum fuisse doctissimum, nemo est qui nesciat; eius tamen lucubrationes, quæ ad ætatem nostram peruenerunt, insignibus scatent erroribus, quorum partem maximam audaciorum quorùdã culpa, qui bonos auctores margineis additamentis polluunt, partim eius incuria ut fit, atq; oscitatione, natam esse crediderim. Philippus Beroaldus, uir suæ ætatis in literarum mansuetioribus studijs maximus, iusto fermè opusculo, dum penè adhuc puer esset (ut Nicolaus Burtius in libello, cui titulum indidit, Bononia illustrata, attestatur) huius

huius Vergiliani enarratoris errores profectus est. Sed hunc plures Seruij lapsus, quos lector non indoctus facile animaduertere potest, fugerunt. E quibus unus est, quem pridem inter legendum obseruavi. Virgilij libro VII. Aeneidos de Lauinia uersus est,

» Iam matura uiro, iam plenis nobilis annis. Inquit ad hunc locum Seruius, Non est hic iteratio, sed secundum ius locutus est, in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur. Primum ergo ad habitum, secundum ad annos pertinet, hæc ille. Nunc an iura nouerit Seruius, dispiciamus. Iustinianus Institut. De nuptijs. §. I. in hæc uerba loquitur, Iustas autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fæminæ autem uiripotetes, etc. Et infra sub titulo, Quibus modis tutela finitur, Pubertatem autem, ueteres quidem, non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari uolebant. Nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene putauit, quod in fæminis etiam antiquis impudicum esse uisum est, idest inspectione habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideo sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimum quartum

7 Hieronymi Magii

*quartum annum completum, illicò initium ac
 cipere disposuimus, antiquitatis normam in fœ
 minis bene positam, in suo ordine relinquētes,
 ut post duodecimum annum completum, uiri
 potentes esse credantur, &c. Ex his igitur li
 quidò constat ueteres, ac recentiores, in fœ
 minis, quantum ad pubertatis argumentum
 attinet, annos spectasse, habitum uerò corpo
 ris non item; quòd habitum curiosius quærere
 (ut etiam Theophilus Antecessor existimat)
 indecorum esse putarent: tamen si Plato Dialo
 go de legibus x. i. in hanc sententiam loqua
 tur, Conuenientiam uerò (inquit) ætatis ad
 nuptias, & è contra, iudex nudos omnino ma
 res, nudas quoq; ad pubem usq; fœminas con
 spiciens, iudicet, &c. Quod tamen ad Roma
 norum leges translatum fuisse, nullibi constat.
 Seruius uerò de Romanorum iure, ut par est,
 sensit: alioquì ineptus fuisset omnino, si Ver
 gilium secundum Platonium ius loquutum es
 se censuisset, dum eum secundum ius loquutum
 esse scriberet. Non est tamen ignorandum, ad
 Vallem Egeriæ, ut Blondus in calce libri pri
 mi Romæ triumphantis scriptum reliquit, ad
 sextumdecimum ab urbe lapidem, prope op
 pidum Cinthianum, templum fuisse Fortunæ
 uirilæ, ad quod uirgines uiripotentes à paren
 tibus perductæ, conuenire solerent, quas tem
 pli*

pli illius sacerdos omnino nudatas, undique inspicere conjūnisset, ut corporis uicia apparentia indicaret. Quæ res nihilo magis Seruio adstipulatur. Non igitur Virgilius secundum ius loquutus est, nec Romanorum iura, ex habitu corporis, fœminarum ætatem probari unquam uoluerunt. Quamobrem contra Seruij sententiam, Vergiliano uersui iterationem inesse, existimandum est; quam adfabrè æmulari, atque expressisse uidetur Ouidius libro 14. Metam. de Canete Pici uxore sic inquit,

» Hæc ubi nubilibus primū maturuit annis,
 » Præposito cūctis Laurēti tradita Pico est.
 Nec longè ab ea abest Claudianus libro 1. de Raptu Proserpinæ, sic scribens,

» Iam uicina toro plenis adoleuerat annis
 » Virginitas.

Puellas hæc nobiles ac uiripotentes, Græci βαρυσώρους appellant. Pindarus Ode 3. σω βαρυσών διδύμοις πασι λήδας. Cuius uocis illa ratio est, quod ante primum concubitum, zonæ uirginalis solutio fieret, de qua plura cum alij tum uerò Antonius Iustus ciuis atq; affinis meus, optimus Iurisconsultus, honestarumq; omnium disciplinarum cultor haud in elegans, in Commētarijs suis in Lodouici Ariostii Satyram, quæ est ad Annibalem Malegucium à doctissimo illo Poëta exarata.

Hieronymi Magii

De apum natura, ac multiplici genere, allata ratio, quare Iustinianus Imperator apes feras esse dixerit, cum Plinius, neq; feri neq; mansueti generis eas esse scribat. Beroaldi conciliatio partim recepta, partim uerò improbata: Pauli Iurisconsulti locus declaratus. De uariis columbarum speciebus, & cur idem Iustinianus eas feras ut apes appellauerit. CAP. III.

APUM feram esse naturam Caius .l. v. ff. de Acquir. rer. dom. et Iustinianus Imperator, siue Tribonianus potius, Theophilus, & Dorotheus sub Iustiniani persona loquētes, Institutionibus de Rerū diuisione . §. Apum. manifestè affirmāt. Sed Plinius lib. 7. cap. 56. Naturalis hīstorīæ, neq; placidas, neq; feras esse apes, sed media inter placiditatem, & feritatem natura præditas dicit. Huius uerba sunt infra scripta; Damæ, inquit, mansuescunt rarò, cum feræ iure dici non possint. Complura nanq; sunt neq; placida nec fera, sed mediæ inter utrunque naturæ; ut, in uolucris hyrundines, apes in campo, in mari delphini, &c. Idem lib. 11. cap. 5. de apibus sic ait, Præterea cum sint neq; mansueti generis, neq; feri &c. & infra cap. 18. apes & rusticas

et apum plura esse genera testatur. Varro autem in feras & cicures diuidit. Aristoteles quidem in hanc sententiam loquitur lib. 5. de Hist. animal. Genera apum plura: optimum, quæ breues, uariæ, & in rotunditatem compactiles sunt. Secundum, quæ longæ, & uespis similes. Tertium, qui fur nuncupatur. grandis hic & aluo est ampliore. Quartum, fucus præcipua magnitudine &c. Et libro 9. Genera, inquit, apum plura, ut dixi: duo principum, alterum rusum, quod præstantius est, alterum nigrum, magisq; uarium, duplo amplius ape utili. Tertium genus, quod optimum. breue hoc, & in rotunditatem compactile, & uarium. At quartum longum, crabronibus simile. Præterea quod fur appellatur, nigrum hoc, aluoq; ampliore est. Quintum etiam fucus, qui omnium maximus est, sed sine aculeo, & ignauus. Differunt inter se apes parentibus natæ urbanis, & quæ rustico montanoq; uictu educatis prodierint. Sunt enim hæc syluestres horridiores aspectu, & iracundiores, & minores, sed opere, ac labore præstantiores. Hæc Aristoteles. De apum generibus eadem ex Aristotele Columel. cap. 3. lib. 10. Varro uerò Rei rusticæ libro. 3. Differunt, inquit, inter se quæ feræ & cicures sunt. nunc dico feras, quæ in syluestribus lo-

Hieronymi Magii

cis pascitant, cicures quæ in cultis. Sylvestres minores sunt magnitudine, & pilosæ, horridæ, puluerulentæ. Hæc Varro. Eandem apum sectionem approbasse uidetur Paulus Iurisconsultus cum inquit, Si apes feræ, in arbo re fundi tui, apes fecerint &c. quæ uerba leguntur in. l. Si apes. ff. de Furtis. feras nanque ad differentiam cicurum, dixisse censeripotest. Quæ res me fluctuantem diutius exagitarunt ac torserunt. Demum uolente Deo sum ad Beroaldi commentaria delatus in Apuleij librum. 8. de Asino aureo, in quibus ille perfunctoriè, qui hominis mos est, in prædictam litem delapsus, pacatâ omnia reddere conatur, & inquit, Cæterùm Plinius non tam Iurisconsultorum obseruationem spectans, quàm mores apium, & ciuilitatem, quæ hominum causa genitæ sunt, quarum mel, & cera usibus humanis seruiunt, scitè & eleganter dixit apes neque placidas haberi neque feras, sed intermedias, atque meditullio placiditatis, & feritatis collocatas. Hæc Beroaldus. Verùm quis unquam tam illiteratus fuerit, ut animalium naturam ad placiditatem aut feritatem quod attinet, ex ciuilitate, atque utilitate diiudicari contendat? Quotus quisq; est, qui Plinium ea de causa apes mediæ esse inter placiditatem & feritatem naturæ, censuisse dicat,

dicat, quòd hominum causa genitæ sint? nulus profectò . quandoquidem, si ad hanc regulam animalium naturas exigamus, uniuersa nec placida nec fera essent, quæ hominum causa cum rebus omnibus, ut Chrysippus inquit, idemq; Plinius in Proæmio libri. 7. item. 20. & 22. testatur, edita sunt à natura. Si ciuitatem spectemus, uespæ etiam, formicæ, & grues, quas animantes ciuiles Aristoteles appellat lib. I. cap. I. de Historia animalium, nec placidæ nec feræ dicendæ erunt, sed in meditullio collocatæ. Ciuiles, inquit Aristoteles, appello animantes, quæ labori communicant: idem quarum opus communi efficitur opera, munusq; idem omni est, quod non omnibus gregalibus competit. Ciuilis generis est homo, apis, uespa, formica, grus: quarum aliæ subduce degunt, ut grues, ut apes: aliæ nulli subditæ imperio sunt, ut formicæ, & alia innumera penè genera, &c. Præterea cum eadem de delphinis, hyrundinibusq;, quas animantes apibus exæquat Plinius, dici non possint, nempe quòd ciuiles non sint, et cera mellemq; usibus humanis non seruiant; meritò placida feraq; simul animalia, delphini, hyrundi nesq;, Beroaldi ratiæ non erunt. Illud rectè habet apud Beroaldum, scilicet quòd Plinius apum mores spectauerit, eorumq; ratione nec

Hieronymi Magii

feras nec placidas dixerit . Si quis enim earum naturam diligentius intueatur , ac pendat , in Plinij sententiam haud agrè pedibus ibit . nam ferae illae dici non possunt , quando hominis conspectum non refugiunt , sed placidorum in morem animalium inter homines degunt , praesertim quae assiduo eorum interuentu , qui aluearia curant , delinitae fuerint : ac etiam si in agris uel sub saxis , aut in arborum cauatis uetustate truncis mellificent , loca auia non quaerunt , & inaccessa , quasi nullo hominum timore percussa , nec uisa , aut degustata ab homine mella deserunt , aut aliò transferunt , sed quasi alueis humana arte inclusae , eodem loco persistunt , ac mitescunt . Columella cap. 3 . lib. 10 . Nam quanto , inquit , grandior apis , atque rotundior , tanto peior ; si uerò seuerior , maximè pessima . Sed tamen iracundia nota melioris , facile delinitur assiduo interuentu eorum , qui curant aluearia . Nam cum saepius tractantur , celerius mansuescunt , durantq ; si diligenter , &c . Quamobrem rectè inquit Portius in Com. ad Glossam . 6 . § . Pauonum . sub praedicto titulo De rerum diuisione , apum naturam non adeò esse feram , quin mutari possit . Atqui placidae etiam iure dici non possunt , quandoquidem facto examine , aliquando abscedunt , alioq ; commi-
grant ,

grant, & alueis inclusæ, in sylvas interdum aufugiunt, sæuiunt in homines aculeis, eorumq; contactum refugiunt. Eadem ferè de delphinorum hyrundinumq; natura dici possunt, cum & placiditatis & feritatis argumenta præferant. Plinius igitur quantum ad apum spectat naturam, rectè loquutus est, apes in uniuersum cum Caio, & Iustiniano nunquam, alioquì dicturus feras, sed potius cum Aristotele, harum alias urbanas, alias uerò rusticas (nam cap. 18. lib. 9. apes etiam rusticas uocat) aut cum Varrone feras, & cicures. Quam diuisionem & Paulus Iurisconsultus, uti supra diximus, approbasse uidetur, feras apes uocans, non quidem ratione iuris dispositionis, sed potius, ut de quo apum genere loqueretur, demonstraret; quasi ille sic dicat, Si apes non urbanæ mitesque iam factæ, sed agrestes, syluestresq;, & quæ hominum curam nunquam agnouerunt, in arbore fundi tui apes fecerint, &c. Atq; hanc Pauli mentem fuisse arbitror. Si enim secus sentiamus, eum Caio, Iustinianoq; aduersari dicendum esset, cum apes feræ, ad differentiam placidarum dici soleant. Verùm Caius Iustinianusq;, qui non ut Plinius atque Aristoteles naturalem historiam contexunt, sed iura explicant præscribuntq;, apes omnes in-

Hieronymi Magii

ter feras animantes retulerunt, quò sciri posset cuius'nam essent uel in syluis agrisq; repperæ, uel cum ex alueis dilapsæ, in naturalem laxitatem se recipiunt, alienisq; arboribus infederint. Nam alioquì non adedò rudes erant, ut quæ Aristoteles, Varro, & Plinius scripta de apibus reliquerunt, ignorarent, aut tanquam absurda contemnerent. Qua ratione factum est ut columbarum etiam, quas partim feras partim uerò placidas esse constat, feram in uniuersum esse naturam Iustinianus. §. mox sequenti, decernat. Quòd autem columbæ & placidæ & feræ reperiuntur, testis omni exceptione maior sit Aristoteles: Problemate nanque 44. sectionis 10. in animalium genere, quæcunque domestica sunt, ea etiam fera reperiuntur ait, non autem è conuersò. Lege quæ idem scripta reliquit de columbis, cap. 13. libri 5. De natura animalium. Athenæus cap. 16. libri 9. Dipnosoph. Columbarum, inquit, unum est genus, & species quinque, columba, uinago, phaps, palumbes, tur tur. Varro Rei rusticæ lib. 3. cap. 7. duo columbarum genera constituit, unum agreste, quod in turribus, & uillæ culminibus, à quibus sunt columbæ appellatæ, degere propter timorem, et nidificare solet: Alterum genus clementius, quod cibo domestico contentum,

gallina-

gallinarum more inter homines solet uersari, nidosq; passim construere. Ex his duabus stirpibus miscellum fieri genus tertium, fructus causa. Clementiorum columbarum species præter eas, quas Thuscia habet, Venetijs plurimas peregrinas uidimus, ut quas Cyprias uocant, Thurcas, Monighinas, & alias. Omnes autem, seu placidas, seu agrestes quæsieris, sub uno ferarum nomine in iure comprehendere oportuit, quòd, quanuis in turribus, peristerotrophijs, intraq; domesticos parietes eas habeamus, tamen sepe aufugere soleant apum more, nouasq; sedes, et loca auia quærere, unde lites poterant suboriri, quibus sanctione obuiam ire necesse fuit. Quanquam negocium aliquatenus nobis facessit quod legitur infra in eodem titulo, in . §. Gallinarum. inquit enim Imperator, gallinarum, anserumq; feram esse naturam, neutiquam censeri. nosq; id ex eo posse intelligere, quia aliæ sunt gallinæ alijq; anseres, quos feros appellamus. Ad quam normam si rem exigamus, uides admitti dissidium, columbasq; ipsas, quas domi, aut etiam in peristeronibus alimus, pro feris non esse habendas, eo quòd aliæ sint columbæ, quas feras uocamus. Verùm dicendum est Iustinianum Iurisq; consultos sequutos esse Varronem, qui loquens de columbis, præter

Hieronymi Magii

prædictas, quas ob allatam rationem pro feris habere par est, nullas alias agnoscit. Nam licet inueniantur uinago, phaps, palumbes, et turtur, quæ Athenæo, atque alijs sub uno columbarum genere sunt, non tamen à Latinis auctoribus columbæ (si memoria fidei utor) appellantur; ideoq; nulla de ipsis ratio habita est. Vnde etiam dicendum est, ne nomothetas incuriæ atque oscitationis insimulare aliquis meritò possit, rationem illam in prænotato. S. Gallinarum. positam, non pro solida perpetuaque ut fieri solet, quasi ea tanquam Lydio lapide aurum, ita animantium placida natura depræhendatur; sed insimul gallinarum anserumq; domesticorum placidam naturam, quæ in feram nunquam, ut omnibus in confesso est, denegerat, nomothetas illos eò impulsisse, ut ipsas feras non esse, nec pro feris unquam habendas, existimarent. Quæ ratio in columbis, apibusq; minimè uiget, cum quanuis feræ columbæ, feræq; apes, præter eas, quæ in hominum dominio sunt, reperiuntur (quod uerum esse supra grauissimorum testimonio scriptorum fuit demonstratum) tamen quæ placidæ habentur, maxima impermutabiliq; placiditate, qualem quantamq; in gallinis anseribusq; quotidie spectamus, præditæ non sint. Sed hac de re satis superq;.

Multa

Multa, quæ de Gigantum proceritate, & magnitudine prodita sunt, uera esse, non solum ex grauissimorum auctorum testimoniis, sed ex his, quæ nostra ætate uisuntur, & miræ magnitudinis ossibus, quæ effossa sunt, demonstratur. Cur hodie nulli generentur Gigantes. Homerum super humanæ staturæ contractione perperam Philosophari. CAP. IIII.

AETERNVM, atque increatum esse mundum, haud ignobiles Philosophi memoriæ prodiderunt. Quorum opinio et si quibusdam rationi consentanea uidetur, tamen quia fidei nostræ orthodoxæ aduersatur, abijcienda, prorsusq; exturbanda est. Mundus enim præter quàm quòd à sacris scriptoribus, creatus à Deo Optimo Maximo, & demum interiturus, uel nouam à depuratione faciem accepturus, citra errorem creditur; etiam ipse suam necem sensim aduentantem, uel hoc maxime argumento demonstrat, quòd homines nunc breuiores statura educat, qui recens dum esset, & florente iuuenta, maximos & proceros protulit. Qua de re probè et lepidè Esdras lib. 4. cap. 5. sic locutus est, Et interrogauit et dixi, Cum iam indicaris mihi uiam, loquar coram

Hieronymi Magii

coram te ; Num mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc iuuenis est, iam senectuti appropinquat ? Et respondit ad me, et dixit, Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi. Dices enim ei, Quare quos peperisti nunc, non sunt similes his, qui ante te, sed minores statura ? Et dicet tibi & ipsa, Alij sunt, qui in iuuentute uirtutis nati sunt, et alij, qui sub tempore senectutis, deficiente matrice, sunt nati . Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his, qui ante uos : & qui post uos, minori quàm uos, quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes . hæc ille . Verùm cùm nonnulli staturæ corporum facta esse fieriq; indies decrementa negent, & quæ de Gigantibus narrantur, commentitia esse, & aniles fabulas putent ; fuerit operæ precium hîc sub uno aspectu omnia ponere, quæ à nobis de Gigantibus sunt propere apud scriptores obseruata . Ut autem à sacris literis sumamus exordium, Moses Genes. cap. 6. ante cataclysmum Gigantes fuisse dicit, quorum ortum ita explicat, Postquam enim, inquit, ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt, isti sunt potentes à sæculo uiri famosi. Quæ uerba multis errandi ansam præbuerunt, existimantibus Angelos mulieribus se miscuisse, indeq; progenitos esse

esse Gigantes. Lactantius Firmianus lib. 2. de origine erroris, ait Angelis Deum permississe ut in terra commorarentur, hac tamen lege, ne terrestribus commacularentur, alioquin fore ut cœlestia amitterent: eos uerò nihilominus paulatim à Diabolo ad mulierum congressus esse pellectos, atque idèd coinquinatos, in cœlum postea non esse receptos. Qua de re Hilarius in Explicationibus suis ad Psalmum 132. cuiusdam extitisse librum testatur; atq; ait Angelos illos, filias hominum concupiscentes, cum de cœlo descenderent, in Phœnicia maximè excelsum montem Hermon conuenisse, montisq; nomen interpretatum, Anathema esse. Scriptum Simphorianus Camperius reliquit Praxis lib. 2. cap. 7. multos affirmare, Demones in Succubi forma, uirili semine accepto, eodemq; sub imagine Incubi in sulcos muliebres eiaculato, Gigantes ipsos genuisse. Demones autè alia peragere, frequentes Theologi affirmant, quibus Diui Augustini testimonium ex libro. 15. de Ciuitate Dei deesse non uidetur. Iosephus quoq; illustris auctor lib. 1. Antiq. cap. 5. testatum reliquit, ex Demonum cum mulieribus concubitu procreatos fuisse Gigantes. Sed causam hanc ortus Gigantum commentitiam esse, prænotatumq; Mosis locum agrè Gigantum historiam astruere,

Hieronymi Magii

astruere, nemo non uidet. Vt enim rectius sententium interpretum consensus est, filij Dei apud Mosem, pro Angelis accipi non debent: & per Gigantes ibi, non proceræ monstræq; magnitudinis homines, sed potius bellicosos præpotentesq; significare nobis uoluisse, sanctitate atque antiquitate reuerendus auctor, uidetur. Hunc locum quòd altercationes admittat missum faciamus, & ad alia indubitata ueniamus. Capite 13. Num. exploratores à Mose missi in terram Chanáan, Terra, inquirunt, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi uidimus monstra quædam filiorum Enach de genere Nephilim [alibi, giganteo] quibus comparati, quasi locustæ uidebamur. hæc illi. Vt autem tradunt Hebræorum Rabbini, Enach, uel potius Anach, uir fuit Gigantea proceritate præditus, à quo omnes Gigantes Anachim dicuntur. à quibus non abhorrent, quæ Theodorus habet Quæstione 26. ad lib. Num. In hanc enim loquitur sententiam, Quam dicit esse generationem Enach? Hic, ut uerisimile est, propter magnitudinem corporis, famatissimus erat, & uulgatissimus, genere uerò patrem omnino representabat. hæc Theod. Alij uerò dicunt Gigantes Enachim dictos, ab Enochia ciuitate. siquidem

Berofus

Berosus libro citato literis prodidit, fuisse circa Lybanum urbem Enos dictam, Gigantum domicilium. Ex quo patet etiam post cataclysmum fuisse Gigantes; unde & Noha filiosq; eius, & uxores, à quibus prognati erant, Gigantes fuisse quidam autumant, quibus ad stipulatur Berosus, aut quisquis ille fuit, qui libros Berosi titulo insignitos conscripsit, inquit libro primo Noha Gigantem fuisse. Gigantes fuisse apertius probatur cap. 2. Deuteronomij, sic enim ibi legitur, Dixitq; Dominus ad me, Non pugnes contra Moba-bitas, nec ineas aduersus eos prælium, non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filijs Loth tradidi eam in possessionem. Emin primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & ualidus, & tam excelsus, ut de Enachim stirpe, quasi Gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enachim. Et infrà, Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filijs Loth dedi eam in possessionem. Terra Gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt Gigantes, quos Ammonitæ uocant Zommim, populus magnus, et multus, & proceræ longitudinis, sicut Enachim, quos deleuit Dominus à facie eorum. Infrà etiam cap. 9. fit mentio Enachim. Iosue cap. 14. Da ergo mihi montem istum, quem

Hieronymi Magii

quem pollicitus est Dominus, te quoq; audiente, in quo Enachin sunt, & urbes magnæ atque munitæ. Et paulò post, Nomen Hebron antea uocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enachim situs est. Quo loco, Hieronymus in lib. De locis Hebraicis, Adami sepulchrum describi existimat: unde nonnulli magnitudinem ad corpus referunt, quibus suffragari uidetur Methodius Martyr, qui ait Adamum genuisse Seth Gigantem secundum similitudinem suam. Cuius etiam loci admiculo Thalmudistæ in libro Cambedrim in cap. huius initij, Ebacdynema deliramentum illud, sicut alia multa, de Adami corpore protulerunt, nempe adeò procerum fuisse, ut à terra ad cælum usque pertingeret. Vt tamen Epiphanius lib. 1. contra Hæreses Tomo 3. se legisse affirmat; alijq; non pauci, nec indocti testantur, Adam non in Hebron, sed propè Hierusalem in Caluariæ loco, cui Hebraicè Gulgota nomen est, tumultatus fuit. Quod si uerum sit, non solum multorum Theologorum, sed etiam Iuris nostri Pontificij auctorum interpretumq; sententia improbanda esset, qui in Decr. Causa. 13. Quæst. 2. cap. Hebron. Adami sepulchrum in Hebron fuisse censuerunt, uulgatam Bibliorum uersionem, & Hieronymi auctoritatem sequuti, nec animaduertentes

tes uocem, *Adam*, Hebræis et *Adamum* *Protoplastum*, & hominem significare: quibus etiam aduersantur Hebræorum *Rabbini* (si modo horum nugamenta digna uideri possunt, quæ in testimonium proferantur) qui ita uertendum esse contendunt, Nomen *Hebron* antea fuit *Kiriath Arbam*, homo maximus inter *Anachim* &c. E quibus unum memoria teneo *Rabbinum Solomonem*, qui ad hunc locum, in hanc loquitur sententiam; Hoc nomen *Arbam*, nomen est Gigantis, qui est homo magnus in Gigantibus &c. *Alij Kiriath Arbam*, pro ciuitate quatuor, accipiunt (*Arbam* enim quatuor significat) quod in ea quatuor uiri sepulti sint, scilicet *Anach* pater, et *Achiman*, *Scisai*, & *Thalmi*, eius tres filij, quorum mentio habetur in citato cap. 13. Num. his uerbis, *Ascenderuntq; ad Meridiem*, et uenerunt in *Hebron*, ubi erant *Achiman*, et *Scisai*, et *Thalmi* filij *Enach*. ut male etiam in citato cap. *Hebron*, *Hebron* ciuitas trium uirorum esse dicatur. Sed hac de re Theologi nostri decernant. *Deuteronomij* cap. 3. *Og* regem *Basan*, Gigantem fuisse legitur. hæc enim ibi de eo habentur, *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe Gigantum*. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in *Rabbath* filiorum *Ammon*, nouem cubitos habens

Hieronymi Magii

habens longitudinis, et quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti uirilis manus. Præterea lib. 1. Regum cap. 17. literis est consignatum, fuisse spurium quendam in castris Philistinorum nomine Goliath è Geth, altitudinis sex cubitorum, & palmi. In Iudith etiam historia, Gigantum mentionem factam esse uidemus. hæc enim in ea cap. 16. leguntur, Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi Gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith &c. Diuus Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 9. uastiora amplioraq; priscorum hominum corpora quàm sua essent ætate, attestatur, & inter cætera hæc quoque protulit, Vidi, inquit, ipse non solus, sed aliqui mecum in Vticensi litore, molarem hominis dentem, tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulus minutatim concideretur, centum nobis uideretur facere potuisse. Sed illum Gigantis alicuius fuisse crediderimus. nam præter quòd erant omnium multò maiora tunc corpora, Gigantes longè cæteris anteibant. Sicut alijs, nostrisque deinde temporibus, rari quidem, sed nunquam fermè defuerunt, qui modum aliorum plurimum excederent. &c. Idem inferius, Verùm, ut dixi, antiquorum magnitudinis corporum, inuenta plerunque

runque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multò posterioribus sæculis produnt. Idem in frà cap. 23. Romæ paucis ante annis quàm ea urbs à Gotthis uastaretur, fuisse fœminam dicit, corpore quodam modo Giganteo, quæ non ex maxiniis orta esset parentibus, ad quam uisendam mirabiles fierent mortalium conuentus. Quod pertinet ad molarem illum hominis dentem, formæ similitudine deceptum esse Augustinum crediderim, (non enim centuplo corporibus nostris maiora Gigantum fuisse corpora, quod ex dente illo argui uides, est existimandum) molaremque illum Elephantum, aut marinæ beluæ fuisse. Nicephorus lib. 12. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 37. scriptum reliquit, natum Theodosio imperate, hominem quædã in Syria, forma Gigantea, proceritate cubitorum quinque, & unius prætereà palmi, Antonium nuncupatum; alterum uerò in Aegypto hominem adeò paruum, ut perdici similis uideretur. Sua quoque ætate se hominem uidisse Syro antedicto persimilem, quem breuis admodum staturæ mulier peperisset.

SED iam ad Ethnicos scriptores ueniamus. Herodotus lib. I. auctor est, sub terra inuentum fuisse Orestis cadauer, longitudinis cubitorum septem. Plinius quoque naturalis hi

Hieronymi Magii

istoriæ lib. 7. cap. 16. posteritati prodidit, in Creta, terræ motu abrupto monte, inuentum fuisse corpus hominis stans 46. cubitorum, quod alij Orionis, alij uerò Etionis fuisse tradi derunt. Etionis loco, quidam legunt, Oti. Idem testatum reliquit, sua ætate sub Impera tore Claudio, aduectum fuisse ex Arabia hominem nouem pedum longitudinis, nouemq; insuper unciarum, idest brachiorum quatuor, & $\frac{7}{8}$. Ad hæc corpora quædam in Sallustia nis hortis, non fuisse maiora brachijs quin que, & $\frac{1}{8}$. quæ eisdem planè uerbis Solinus cap. 5. retulit. Philostratus lib. 5. hæc Apol lonij Thianæi uerba retulit, quæ ad astruen dam de Gigantibus fidem, non parùm condu cere uidentur, Ego, inquit, Gigantes fuisse di co, multisq; locis, diruptis tumulis, eiusmodi corpora ostendi: non tamen, ut fertur, cum Dijs pugnasse credo, sed forsàn Deorum ædes, ac templa uiolasse &c. Non ab similia affert idem Solinus cap. 14. loquens de Phlegra his uerbis, Illhic siquando, ut accidit, nimbis tor rentes excitantur, & aucta aquarum ponde ra ruptis obicibus, ualentius se in campos ru unt, eluuiione ossa etiamnum feruntur detegi, quæ ad instar sunt corporis humani, sed modo grandiori, quæ ob enormem magnitudinem, monstruosi exercitus iactant extitisse, &c.

Pausa-

Pausanias quoque, uasta fuisse antiquorum corpora demonstrat, licet à fabulis, et mendacijs parùm distare quæ scribit, mihi uideantur. eam enim tali ex Aiacis cadauere, fuisse magnitudinè refert, ut si quis secundum symmetriam, & naturalem partium humani corporis inter se competentiam ratiocinetur, incredibili proceritate corporis præditum fuisse Aiacem cum uitam inter homines uiueret, necessariò colligat. Sed Pausaniam Calderini opera Latine loquentem audias, De illius corporis magnitudine (inquit Pausanias) Myusus quidam ita mihi referebat. aiebat enim mare ad eam tumuli partem, quæ litus respicit, inundasse, aditumq; ad monumentum parasse non difficilem; cadaueris quoque magnitudinem uel ex hoc me aduertere iubebat, quòd ipse pedis illius talo pro disco uteretur, ac præcipuè genuum ossibus, quæ medici molas uocant, &c. Idem inferius refert in Asterij insula, ante Milesiorum urbem sita, cadauer Asterij iacuisse (fuisse uerò hunc Anaëtis, qui ex terra natus sit, filium existimatum) quod nihilo decem cubitis breuius esset. Hic uerò Anac fortasse ille est, cuius in sacris literis, ut supra uidimus, mentio habetur. Multa enim Græci ex Hebræorum fontibus hausuerunt, suasq; ad fabulas detorserunt. Gellius lib. 3.

Hieronymi Magii

Noctium Atticarum cap. 10. Varronis ex Hebdomadibus sententiam sequutus, an ultra septem pedes humana excrescere possint corpora, ambigere uidetur. Sic enim loquitur, Præter hæc modum esse dicit summum adolescenti humani corporis, septem pedes: quod esse magis uerum arbitramur; quam quod Herodotus homo fabulator, in primo historiarum, inuentum esse sub terra scripsit Orestis corpus, cubita longitudinis habens septem, quæ faciunt pedes duodecim, & quadrantem. nisi si (ut Homerus arbitratus est) uastiora, prolixiora; fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc, quasi iam mundo senescente, rerum atque hominum decremента sunt. Hæc Gellius. Plutarchus in Theseo, ipsius Thesei corpus magnum fuisse demonstrat, loquens in hanc sententiam, Locum effodit, quo factò apparuit magni corporis sepulchrum, & iuxta pilum, atque ensis. Loquitur autem de eius sepulchro. Sed nec minus uetusta desunt effossorum ingentium cadauerum exempla. literarum nanque monimentis proditum est, Clementis pontificis Maximi, & Henrici IIII. ætate, anno humanæ salutis M D. Romæ adinuentum fuisse Pallantis corpus, tantæ proceritatis, ut murorum urbis pinnas erectum, uertice pertingere posset. Galeoti Martij

*tij ex cap. 36. de doctrina promiscua, uerba re-
 tulisse sit satis, Nam Gigantes (inquit) fuisse,
 sacra narrat historia, & Romæ tempore
 Henrici III. inuentum est cadauer Pallantis,
 quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis, ut
 longitudine sui, Romanos muros æquaret, etc.
 Nec uerò, si huius magnitudinis cadauer ef-
 fossum credamus, Pallantis id fuisse minùs fue-
 rit existimandum, quòd Virgilius libro Aë-
 neidos x. eius corpus exustum fuisse arguat,
 » *Arsurasq; comas obnubit amictu.*
 cum satis constare possit, illud de Pallantis con-
 crematione κατὰ πρόληψιν moris fuisse à Poë-
 ta prolatum. Præterea Ioannes Boccacius
 lib. 4. Geneal. ut Gigantes fuisse, creditu faci-
 le sit, hanc de Gigantis maximi cadauere nar-
 rat historiam, mihi quidem fabulosam. Inquit
 enim sua ætate, rusticos quosdam in Sicilia non
 procul à Drepano fodientes, maximum adinue-
 nisse antrum, in quo sedens esset Gigantis ca-
 dauer, quod leua contum cuiusuis nauis malo
 maiorem teneret. Quo in cineres, ut uetustissi-
 mis cadaueribus usu uenit, statim soluto, plū-
 bum, quod conto inerat, plusquàm mille, &
 quingentas libras excessisse; dentes libras no-
 uenas, cranei uero partem multa frumenti mo-
 dia excepisse. Atq; Boccacius idem, facta
 supputatione, Gigantis illius procentatam ul-*

Hieronymi Magii

tra ducentos cubitos processisse, unde Polyphemum fuisse creditum sit. Melchior Guilandinus Borussus, amicus meus, uir præter omnium disciplinarum absolutam cognitionem, in plantarum fossiliumq; omnium, cæterorumq;, quæ ad rem medicam pertinent doctrina, primi nostra ætate nominis, superioribus diebus, cum uarijs de rebus mecum cõmentaretur, è re nata, facta Gigantum mentione, mihi narrauit, se, cum anno à Christo nato 1559. in Aphricam captiuus esset perductus, Iuliæ Cæsare caluariã Gigantis miræ magnitudinis uidisse, quam Hispani duo identidem captiui, dum aratro terram proscinderent, exarassent, & ad Regem Assanum Hariadeni Senobarbi filium miraculi, & adipiscendæ libertatis ergò, magno mortalium cõcursu conueherent: quos tamen spes fefellit, cum Rex Barbarus, & qui omnino ἀνοῦτος nulla re minus quàm antiquitatis studio, atque admiratione afficeretur, pro libertate quinos ipsis Venetos aureos persolui iusserit. Huius autem caluariæ ambitum spithamarum fuisse undecim, idem retulit, seq; ab Hispanis illis, cum mox diligentius de re percuntaretur, audiuisse, eodem loco, quo caluaria illa reperta esset, reliqua etiam cadaueris ossa miræ, ut symmetriæ ratio exposcebat, magnitudinis superfuisse. Alexander

der Centellius Romanus, Abbas multa probitate insignis, mihi postea cum Ioanne-andrea Anguillario Poëta percelebri eadem de re loquenti, narrauit, se in Calabria, in agro Rhegino, cum iuxta templum, cuius ille Antistes est, alius terram effodi cisternæ cōstruendæ gratia, ruderaq; multa egeri curaret, cadauer uetustissimum non uulgaris magnitudinis inuenisse, longitudinis nimirum brachiorum quinque, cuius ossa uetustatis iniuria, nimioq; humore delibuta, facillè confracta sint. superesse tamen etiam num pedum ossa cum dentibus aliquot, quæ ut testis possim esse oculatus, se ad me perferenda curaturum, sanctè recepit. Americus Vespucius Florentinus, uir magno cū animo tū ingenio præditus, qui incognitas Orbis partes, maris pericula haudquam reformidans perlustrauit, Gigantum insulam (sic nanque hodie nuncupatur) inuenit, in qua, ut alij etiam, qui ad eam appulerunt, attestati sunt, quanquam proceræ magnitudinis homines sint, nullus tamen brachiorum quinque longitudinem implere conspicitur. Cum Carolus huius nominis quintus Imperator, Bononiam imperij diadema à summo Pontifice accepturus, aduenisset, seruum habuit à pedibus, uisendæ magnitudinis, qui tamen proceritatem brachiorum quatuor non

Hieronymi Magii

excedebat : cuius nos sepulchrum modumq; in eadem urbe in quodam sacello superioribus annis spectauimus. Venetijs in Cruciferorum Ecclesia asseruatur os femoris Diui Christophori, licet parte ex altera comminutum, tantæ magnitudinis, ut eorum, quæ de uiri huius proceritate legimus, fides, uisu astrui possit. Nostra etiam ætate Paulum III. Pont. Max. ossa quædam humana mostrosæ magnitudinis habuisse, non obscuræ fidei Aulici mihi narraunt. Causam, cur nostra ætate gigantes non generentur, Mundi esse senectam, ut supra dicebamus, manifestum est. Plinius quoque lib. 7. cap. 16. hoc exustioni ascribit. sic enim ait de hominis proceritate loquens, In plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri, propemodum obseruatur; rarosq; patribus proceriores, consumente ubertatem seminum exustione, in cuius uices nunc uergat æuum. Quam rem & Vergilium animaduertisse crediderim, dum & frugum semina degenerare, minoraq; in dies fieri dixit, sic enim cecinit Georgicorum libro 1.

- » Vidi lecta diu, & multo spectata labore
- » Degenerare tamen, ni uis humana quotannis
- » Maxima quæq; manu legeret. sic, omnia fatis

» In peius ruere, ac retro sublassa referri.
 Quanquam Aristoteles lib. I. Meteor. terram
 locis duntaxat quibusdam, non autem uniuersam,
 nec eodem tempore, senescere, & rursus
 iuuentutem adipisci scribit. cuius iuuentus se-
 nectusq; , animalium plantarumq; iuuentuti,
 & senectuti minimè sit comparanda. Quem
 sequutus auctor libri De Mundo ad Alexan-
 drum, siue Theophrastus, siue alius eius sæcu-
 li Philosophus fuerit (Aristotelis certè opus
 non esse, liquidò constat) ait terram, naturam
 nihil uetustescentem æquè custodire, licèt ter-
 ræ motionibus concutiat, profuue obrua-
 tur, & per partes exuratur. Mundi igitur
 uel uniuersi, uel huius inferioris senectus, ad-
 uentansq; exustio, ex qua siccitas inuehitur,
 seminumq; ubertas, atq; innata uis calorq; in-
 sumitur, decrementi causam afferunt. Quæ res
 Empedoclem impulit, ut sui æui homines, præ
 illis primis, instar obtinere infantium, ut Pli-
 tarchus lib. 5. cap. 27. De Placitis Philoso-
 phorum scriptum reliquit, affirmare non sit ue-
 ritus. Homerus quoque, quem Iustinianus
 noster in Pandectarum Proœmio, omnis uir-
 tutis parentem appellat, humana in dies de-
 crescere corpora, Iliad. lib. 5. ubi de Aenea &
 Diomede uulnerato loquitur, & libro 12. ubi
 de Aiace, itemq; Hectore, haud obscure de-

Hieronymi Magii

monstrat ; sic enim inquit, ut unum duntaxat locum adducamus .

» ἔκτων δ' ἀρπάξας λαῖαν φέρον, ὅς ῥα πυλάων
» εἰσήκει ᾠρόθεν ᾠρυμνὸς παχύς. αὐτὰρ ὕ-
περθεν

» ὄξυς ἔην. τὸν δ' οὔκε δ' ὕ ἀνέρε δῆμου ἀρίστω,

» ῥηϊδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσειαν

» ὄιοι νῦν βροτοί εἰσί. &c.

*Idest . Hector autem rapiens lapidem porta-
bat, qui portas*

» *Stetit ante, deorsum crassus, sed supernè*

» *Acutus erat . hunc neque duo uiri ex popu-
lo optimi*

» *Facile ad plaustrum à terra prouoluerent,*

» *Quales nunc homines sunt .*

*Quæ Homeri loca Plinius, Gellius, ipseq; Iu-
uenalis obseruarunt , sic nanque hic loquitur
Satyra 15 .*

» *Nam genus hoc uiuo tunc decrefcebat Ho-
mero ,*

» *Terra malos homines, nunc educat atque
pufillos .*

*Homerum æmulatus Vergilius, sic inquit li-
bro Aeneidos 12. de Turno loquens ,*

» *Saxum antiquum ingens, campo qui fortè
iacebat*

» *Limes agro positus, litem ut discerneres
aruis :*

Vix

- » *Vix illum lecti bis sex ceruice subirent,*
 » *Qualia nunc hominum producit corpora*
tellus.
 » *Ille manu raptum ualida torquebat in ho-*
stem.

Fuitq; tanta Virgilij auctoritas, ut Augusti-
nus libro 15. de Ciuitate Dei cap. 9. ad astruen-
dani de priscorum hominum statura fidem,
hos uersus adnotarit. Idem Vergilius Geor-
gicorum libro 1. quod ad rem attinet sic ce-
cinit,

- » *Ergo inter sese paribus concurrere telis*
 » *Romanas acies iterum uidere Philippi.*
 » *Nec fuit indignum superis, bis sanguine*
nostro
 » *Aemathiam, & laetos Aemi pinguescere*
campos.
 » *Scilicet & tempus ueniet cum finibus illis*
 » *Agricola incuruo terram molitus aratro,*
 » *Exesa inueniet scabra rubigine pila,*
 » *Aut grauibus rastris galeas pulsabit in-*
anes,
 » *Grandiaque effossis mirabitur ossa sepul-*
chris.

Lucretius ante Virgilium eandem rem his est
uersibus profecutus libro 2.

- » *Sic igitur magni quoque circum moenia*
mundi

Hieronymi Magii

- » *Expugnata dabunt labem putresq; ruinas*
- » *Omnia ; debet enim cibus integrare no-
uando,*
- » *Et fulcire cibus, ac omnia sustentare :*
- » *Nequicquam quoniam nec uenæ perpe-
tiuntur*
- » *Quod satis est, neque quantum opus est na-
tura ministrat :*
- » *Iamq; adeò effæta est ætas, effætaque tel-
lus ,*
- » *Vix animalia parua creat, quæ cuncta
creauit*
- » *Sæcla, deditq; ferarum ingentia corpora
partu .*

Verùm quod spectat ad Homerum, dicendum uidetur, eum aut malè esse Philosophatum, dum à Troiano bello ad suam ætatem luculentum decrementum hominis staturam passam esse demonstrat (& si non me latet, eum hyperbole, quæ Vergiliana etiam minor sit, usum fuisse) aut numerosis propè sæculis ætate à Troiano bello absuisse . Quod si uerum sit quotquot de Homeri ætate loquuntur scriptores, prorsus errarent ; siquidem non multos admodum annos inter Troianum bellum, & Homeri tempora enumerant . Herodotus centum septuaginta octo annos post Ilij expugnationem natum esse Homerum, memoriæ consignauit

gnauit, τῶν δὲ, inquit, τρωϊκῶν ὕσερον γέγονεν ὄμιρος ἔτεσιν ἑκατὸν ἐξήκοντα ὀκτώ. Cassius, ut Gellius refert lib. 17. Noctium Atticarum, cap. 21. memoriæ in Annalibus mandauit, Homerum uixisse post Troianum bellum annis centum, & quadraginta. Cornelius uerò Nepos, eodem Gellio ibidem referente, dicit, ante Romam conditam annis circiter centum & sexaginta. Solinus cap. 53. humanis rebus excessisse post Ilium captū anno 272. Archilocus uerò in libello de Temporibus, Homerum Meonium (multi siquidem fuerunt Homeri) à Troiano excidio anno 500. floruisse dicit.

PLUTARCHVS, qui omnium sententias diligenter est perscrutatus, in eiusdem Homeri uita, quosdam dixisse ait, natum fuisse Homerum Troiani belli tempore, eiusdemq; spectatorem fuisse: Alios uerò, centum annis post, alios centum quadraginta. Quosdam non integros octoginta annos inter Troiani belli tempora, & Homeri genesim enumerasse, plures uerò in hanc conuenire sententiam, annis centum post bellum Troianum, esse natum. Sed omnes falsa prodidisse dicere, temerarij hominis, rerumq; omnium prorsus ignari fuerit. Vnde reliquum est, male philosophari Homerum, qui centum anno-

Hieronymi Magii

*rum aut paulò maiore curriculo, hominũ pro-
ceritatis decessionem minimè obscurã factam
existimauit. Equidem cùm adhuc scholasticus
essem miroq; antiquitatum studio tenerer, mul-
ta antiquorum sepulchrorum folia cum Pisis,
tum in alijs Italiæ urbibus obseruauì, sumq;
permensus, quæ tamen parum aut nihil, & si
ante mille aut eo amplius annos facta erant,
longitudine à nostri sæculi folijs arculisq; se-
pulchralibus aberant. Superioribus annis ui-
di ego Pisauri unà cum Ioanne Ricciardesco
Iurisconsulto integerrimo, ac ciue meo, tunc
urbis illius Prætore, in præclarissimo Vr-
binatum Ducis armamentario æreas galeas,
in agris Metauro adiacentibus, ubi Asdru-
bal cum exercitu cladem accepit, effossas, quæ
ab ijs, quas modò milites nostri gestare solent,
ad magnitudinem quod attinet, non discrepa-
bant. Et nihilominus, uti omnes certò sciunt,
tempus illud, quo prosperè à Romanis ad Me-
taurum cum Asdrubale pugnatum est, ab æ-
tate nostra longo sæculorum agmine dissitum
esse constat. Quo fit ut dicere par sit, innume-
rabilia propè sæcula, non breuia annorum in-
terualla, in humanis corporibus luculenta, uel
saltem sensilia decremента parere. Si quis er-
go humanæ staturæ seram, obscuramq; con-
tractionem diligentius spectet, haud profectò
rationi*

rationi consentaneum esse dixerit , in tam brevi temporis spacio , humanæ proceritati , sensibile quicquam , exustionis uel temporis iniuria potuisse decedere .

Hippocratis loca duo pugnancia , conciliantur , & cur in miram proceritatem amplitudinemq; corpora excrescant , declaratur. CAP. V.

SUPERIORA me admonent, ut hîc quædâ,
de causa incrementi corporum afferam. Aui cenna Tractatu 2. partis prioris Canticorum, Causæ, inquit, magnitudinis membrorum sunt, fortitudo, & potentia formatiue, & etiam nutriens. Aristoteles etiam incrementû corporum à forma fieri non à materia, contra Empedoclem probat: quod & eruditissimus Varchius meus aliquando adnotauit. Crescere nanque perfectio est, & perfectiones in composito, à forma sunt, imperfectiones uerò à materia. Idem lib. 3. de Part. anim. cap. 6. calorem esse ait, qui augendi uim obtineat. Medicorum princeps Hippocrates in libro de Aëre, aquis, & locis, incrementum à temporum anni temperata mistura, aërisq; clementia proficisci ait; in hanc enim loquitur sententiam. Longè enim pulchriora, & maiora

ra

Hieronymi Magii

ra omnia nascuntur in Asia, estq; regio ipsa hac nostra multò mansuetior: sunt mores hominum benigniores, & cultiores. Causa uerò horum est, temporum anni temperata mixtura, siquidem in medio solis ex ortu sita est ad Auroram, à frigiditate ac caliditate omni remotior. Incrementum autem & benignitatem inde proficisci, omnibus in confesso est, cum nihil sit præcellens & cogens uiolenter, sed per omnia æqualitas uigeat &c. Infra uerò in Asia homines esse ait magnitudinis eximiæ, quibus tamen uirilitas, audacia laborisq; tolerantia non insint, huiusq; rei causam præbere tempora ipsa anni, quæ non magnas mutationes faciant neque caloris neque frigoris, sed semper æqualia permaneant, cum regio proximè accedat ad temperaturam optimæ constitutionis. Infra uerò sibi ipsi aduersari uidetur, sic inquit, Quicumque regionem montanam asperam, nudam, & non aquosam incolunt, his mutationes temporum contingunt magnæ, & diuersæ, unde & hominum formas magnas progigni conuenit, qui et ad laborem, & ad uiriliter agendum à natura præsent, quibusq; feritas & immanitas non mediocriter à natura sint congenitæ. Hæc ille. Vides ubi mutationes magnæ, & diuersæ sint, corpora gigni magna, cum contrà idem Hippo-
crates

crates *suprà*, temporum anni temperatam *mi-
sturam*, & *aequalitatem*, cum non magnæ mu-
tationes fiant, incremento corporum causam
suppeditare, manifestè dicat. Quin tantum ab-
est ut mutationes temporum ad hominum pro-
ceritatem conducere uideantur, ut morbos po-
tius, eodem Hippocrate attestante *Aphorif-
morum part. 3. Aphorismo 1. & in lib. de
Humoribus*, pariant. mutatio nanque, ut Ga-
lenus ait in *lib. Artis med. naturæ est inimi-
ca*. Existimauit aliquando Hippocratem cum
de montanis hominibus loqueretur, magnitu-
dinem accipere quantum spectat ad latitudi-
nem, & profunditatem, non quantum ad pro-
ceritatem (& horum etiam ratione magnitu-
dinem dici, fidem facit Galenus in explicatio-
nibus suis in *Aphorismum 54. particulæ 2.*)
cum illud subdat, scilicet homines illos alpi-
nos ad laborem, & uiriliter agendum à natu-
ra præstare. nouimus enim huiusmodi corpo-
ra, non solum in hominibus, sed etiam in iu-
galibus, maiore prædita esse robore, neruo-
siusq; in labores conari; cum contrà proceri,
cito flaccescant, ac labore conficiantur, suaq;
mole etiam feriata planè corruant. Verùm
postea animaduertens Gallos Germanosq; ,
qui huiusmodi regiones incolunt, proceris &
ad laborem ferendum uiriliterq; agendum

D aptissimis

Hieronymi Magii

*aptissimis præditos esse corporibus, hanc abie-
ei sententiam, censuique non unam esse altius
excrescendi causam, ideoque pugnantiam Hip-
pocratis uerbis inesse nullam. Alpinorum ue-
rò hominum corpora, immodica esse proceri-
tate, frigoris mutationisque et humoris ratione.
Etenim haud obscurum est propter ἀντιπερι-
στασιν frigoris, ad augeri corporis calorem, un-
de uentres hyeme naturà sunt calidissimi, fa-
meque; eo tempore maximè urgemur. Calorem
uerò in huiusmodi locorum incolis, propter mu-
tationes augeri, idem Hippocrates in eodem
libro testatur. Mutationes uerò morbos ipsis
non conciliant tum propter robur duritiemque;
corporum, tum propter assuetudinem. Vitru-
uius lib. 6. cap. 1. Septentrionibus subie-
ctos, sanguine abundare ait. Alexander A-
phrod. Probl. 2. libri 2. Scythis calorem in-
teriora tenere, partibusque; insidere principibus
testatur. Cum ergo calor ad interiora pro-
pter frigoris contraobstantiam se colligat,
roboreturque; ac adaugeatur; calorque; Ari-
stotele libro 3. de Part. anim. cap. 6. attestan-
te, augendi uim obtineat, merito ad proceri-
tatem editiora illa loca, de quibus Hippocra-
tes loquitur, conducere uidentur, quod pro-
pius ad mediam aëris regionem frigidissimam
accedentia, uentisque; afflata, frigida sint. Ad-*

hæc

hæc sperma ipsum eadem ratione & spirituosius, & calidius harum regionum hominibus inest. Cum autem, ut Physicorum omnium consensus est, spermatis calor spiritusq; fundendi ampliandiq; uim obtineat, merito à primis fœtus rudimentis embryoni insitus, fundendo, alimoniam attrahendo, digerendoq; plurimum ad magnitudinem adipiscendam con-
 ducet. Aristoteles Problemate 8. sectionis 14. nobis maximè adstipulatur dum in hanc loquitur sententiam, Fit igitur ut qui loca inhabitant calida, refrigerentur, qui frigida concalescant. Vtrobique tamen corpora magna adolescunt, eo quòd, qui frigida colunt, insito calore abundant, qui calida, calore loci refoventur: quippe cum in calidis & à calore incrementum sequatur, frigus autem uim astringendi constipandiq; habeat. Cum igitur alteri principium intra se uehemens augendi obtineant, alteri nullo extremo frigore impediuntur, merito utriq; augeri possunt plenius, &c.
 Quem partim sequutus Plinius lib. 2. Nat. hist. cap. 78. in Aethiopia propter ignium nisum, in aduersa uerò glaciali mundi plaga propter humoris alimentum, corpora esse procerata testatur. Ac profectò humorem, incrementi maximi non solum in animalibus, sed etiam in plantis causam præbere, in confesso

Hieronymi Magii

est. Vnde altissimorum montium arbores, quarum humor à Sole non exhauritur, quarumq; insitus calor ex dicta iam causa roboratur, in miram assurgunt proceritatem. Vitruuius lib. 2. cap. 10. scriptum reliquit, quod & nos sæpe uidimus, arbores in ea Appennini parte, quæ Septentrionem spectat, ex humore nimio, Solisq; defectu, crassiores fieri: & infrà lib. 6. cap. 1. refrigeratas regiones, quòd absint à Meridie, ipsisq; humor non exhauriatur à caloribus, quin eo affluant, homines alere ait corporibus præditos amplioribus, ideoq; sub Septentrionibus gentes esse immanibus corporibus. Plinius uerò lib. 7. cap. 2. Maxima, inquit, in India gignuntur animalia. Indicio sunt canes grandiores cæteris. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant. Hæc facit ubertas soli, temperies cæli, aquarum abundantia. Hæc ille. Humorem autem proceritati causam præbere, ipse met Hippocrates in eodem libro affirmat dum in hanc loquitur sententiam, At qui cum multus aër ab aquis regionem occupet, ob hanc ipsam causam, quod ad formam ac corporum speciem attinet, Phasiani sunt à reliquis hominibus longè diuersi: sunt enim magnitudine ingenti. Et hoc quia utuntur aère maximè humectato, & quod apud ipsos anni
tempo-

tempora non uarias habent neque ad æstum, neque ad frigus permutationes &c. Ex qua ratione fit ut longè maiora animalia in mari, quàm in terris uisuntur, quòd Aristoteles Problemate 54. sect. 10. obseruauit. Plinius quoq; lib. 9. cap. 2. magnitudinis immanium maris beluarum, causam euidentem esse ait, humoris luxuriam. Terra, Plinio eodem auctore, nullum animal Elephanto maius habet. Elephas uerò, teste Aristotele, quadruplo maior est boue. At quantò maiora Oceanus alit monstra? Horum nonnulla ad eam excrescunt magnitudinem, ut nisi ossa templorù parietibus miraculi gratia, affixa conspiceremus, quæ de ipsis narrantur, fide prorsus indigna uideantur. Vnde non immeritò, monstrosa Neptuno tribuit antiquitas, & Orion Neptuni de stirpe, Gigas fuisse fertur: quod & Martius De Doctrina promiscua cap. 36. obseruauit. Latiorẽ locum præterea, amplumq; alimentum, non modicum facere ad magnitudinem corporis, affirmat Aristoteles Problemate 14. sectionis 10. Quamobrem alio ampliore præditæ mulieres quanquam humiles, fœtus edunt maximos procerosq; . Huius etiam rei parentum proceritas, non modica habet momenta, magnos enim fœtus, à magnis prodire parentibus conspiciamus. Numerosæ

Hieronymi Magii

igitur, adipiscendæ proceritatis sunt causæ; hæ nimirum, ut ex suprâ relatis est manifestum, Fortitudo et potestas formativæ virtutis, seu calor spiritusq; , qui in spermate continetur amplissimus; amplissima alimonia: temporum anni temperata mistura, aërisque clementia, fortes aëris mutationes: frigus: aëris calor, igniumque nisus: humoris luxuries non solum in aëre, sed etiam in alimentis: alui amplitudo. Harum causarum si multæ coierint, gignuntur Gigantes, non quidem eius magnitudinis, cuius, recens creato mundo, gignebantur, sed miræ proceritatis homines, quales nostra ætas vidit, habereq; dicitur Gigantum uocata insula, ab Americo Vesputio primum lustrata. Verùm antequàm caput hoc reprimo, illud etiam afferre libet, quod Aristoteles in lib. De Generatione animalium scriptum reliquit, scilicet perficiendi cuiusq; animalis certam esse magnitudinem tum ad maius tum ad minus, quem terminum non supergrediuntur, ut uel maiora uel minora euadant (Seneca in Quæstionibus naturalibus, crescendo legem appellat) atq; ut idem lib. 2. de Anima literis prodidit, omnes res naturales habere tam in qualitate, quàm in quantitate quendam terminum, quandamq; præstitutam mensuram tam in paruo quàm in multo, ultra quem

quæ eas aliter inueniri sit ἀδύνατον. Si ergo nostra ætate aliqua corpora communem excedēt magnitudinem, atq; exilitatem, id non in immensum neque ad minimam paruitatem fiet. Neque etiam hîc illud silentio inuoluendum esse uidetur, fieri aliquando in iumentis monstrosas magnitudines. Eam ob rem legere est apud Lium libro primo Dec. 1. bouem olim in Sabinis cuidam patri familiæ miranda magnitudine ac specie esse natam, cui monumentum miraculo, fuerint Romæ in uestibulo templi Dianæ fixa per multas ætates cornua.

Naues Onerarias remis etiam agi olim consueuisse. Lazarus Bayfius reprehensus. CAP. VI.

Lazarus Bayfius, uir non contentus nendæ eruditionis, quin de literis benemeritus, in libro de Re nauali sic inquit, de longis abundè diximus, de Onerarijs, paucis disserendum. Quæ Onerariæ dicuntur, quòd essent oneri ferèdo idoneæ, et ea ratione φορτηγῶι dicuntur à Græcis. Polybius in primo ἔχων ἑκατὸν ἑκοσι σκάφη καὶ τὴν ἀγορὰν σχεδὸν ἐν ὀκτακοσίαις ναυσὶ φορτηγῶις. Lium Dec. 3. lib. 7. Naues, quas Lium tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, appara

Hieronymi Magii

*tuq; mœnium oppugnandorú; partim tormen-
tis, & saxis, omniq; telorum missilium gene-
re instruit. Onerarias quoque, non eas solùm,
quæ remis agerentur. Quibus uerbis declara-
tur, Onerarias non solere remis agi. Hæc Bay-
fius: qui omnem antiquitatem obseruasse atq;
excussisse hoc loco minimè uidetur, quando qui-
dem non solùm uelis, uerùm etiam remis, One-
rariæ, φορτηγοί à Græcis uocitæ (Thucydi-
des, ut Pollux adnotauit lib. 1. cap. 9. portato-
rium, Onerariam uocat, & Plautus in Mer-
catore, Gerariam) cursum conficiebant. Quod
uerum esse, dubio procul demonstrat Homerus
Odys lib. 9. sub Ulyssis persôna, sic canens,*

*κύκλωπας γὰρ ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ
σηκῶ,*

*χλωρὸν ἐλαίνεον, τὸ μὲν ἔκταμεν ὄφρα φοροίην
αὐανδέν. τὸ μὲν ἄμμες εἴσκομεν εἰσορόωντες
ὄσονθ' ἰσὸν νῆος ἐεικοσόροιο μελαίνης,
φορτίδος δ' ῥείης, ἥ τ' ἐκ περὰ μέγα λαΐτμα.
τόσον ἔην μῆκος, τόσον πάχος εἰσοράασαι.*

Ideſt, si uerbum uerbo reddas,

*Cyclopis enim iacebat magnus contus iux-
ta caulam*

*Viridis, oleaginus, quem quidem inciderat
ut portaret*

*Exsiccatum: hunc quidem nos comparaui-
mus insipientes,*

Quan-

Quantus malus nauis uiginti remorum nigrae

*Onerariae, latæ, quæ transit magnam undâ,
Tanta erat longitudo, tanta crassitudo ex
uisu conijciendo.*

Vides quàm ualidè hic Homeri locus contra Bayfi observationem pugnet. Ut ergo omnis error absit, dicendum est, Onerarias maximas, quæ nulla nisi uentorum ui impelli possent, ut etiam hodie fit, remis agi non consueuisse (nunc tamen triremium forma Onerariæ naues ædificantur, quas uernaculo sermone Galeas grossas uocant, quæ remis etiam aguntur, quamuis mole Onerarijs non sint inferiores) minores uerò ut hæ, quæ uiginti remorum essent, & remis, & uelis, & ut nauigandi ratio atque usus exigebat, maria sulcasse.

Gulielmi Budæi errata duo demonstrantur, & quid Ciceroni, atq; aliis auctoribus equum admittere, significet. locum quendam Pandectarum mutilum, lacunosumq; ut Budæus existimauit, non uideri. CAP. VII.

GULIELMVS Budæus homo doctus & diligens, qui Pandectarum libris situ & tene-

Hieronymi Magii

tenebris obsitis, non parum lucis attulit, quo nomine Iurisperiti omnes illi maximè debemus, in suis annotationibus quodam loco sic inquit, Admittere equum, interdum pro conscendere accipitur, ut apud Ciceronem in secundo de Finibus, Num etiam cum P. Decius se deuoueret, & equo admisso in mediam aciem Latinorum irrueret, &c. Cum adolescens adhuc è Grammaticorum scholis non essemgressus, atque in hunc Budæi locum incidissem, statim eum lapsum esse animaduerti. eo nanque loco, equum admissum, non pro conscenso, sed pro concitato, & celeri accipi debere satis demonstrat Valerius Maximus sic uocem interpretatus lib. 5. cap. 6. de eodem P. Decio scribens, Caput, inquit, suum pro Reip. salute deuouit, ac protinus concitato equo, in hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem quærens, irrupit. Concitato equo, ut uides, dixit, pro eo, quod Cicero habet, Admisso. Quin ipse met Cicero rem totam aperit, dum lib. 3. De Natura Deorum loquitur in hæc uerba, Rebantur enim fore ut exercitus Imperatorem equo incitato se in hostem immittentem persequeretur, id quod euénit etc. Idem lib. 1. de Diuinat. de P. Decio, Post triennium autem cum Consul esset, deuouit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus. Quo eius factò
superati

superati sunt & deleti Latini. Vbi uides uerbum *Irrupit*, equi concitationem admittere. *Cæsar* quoque lib. I. *Belli Gallici* eodem significatu uerbo ipso, quo de agitur, usus est, *Constitius*, inquit, equo admisso, ad eum accurrit, dicit montem, quem à *Labieno* occupari uoluerit, ab hostibus teneri, &c. *Penelope Ouidiana*.

» Hic lacer admissos terruit *Hæctor* equos. *Magno Francisci Philelphi* errore, qui lib. 36. *suarum epistolarum*, *Amisso* legit, qui alios etiam, neque infimi ordinis scriptores assecras habet, præter *Egnatium* non obscuræ hominem famæ, qui in obseruationibus in *Ouidij Heroid.* *admissos* in eodem uersu legendum esse contendit. Prædictis, *Ouidij* eiusdem luculentius testimonium accedat ex lib. I. *Metamor.* ubi sic ait,

» ut quæ monebat

» Ipse amor, admisso sequitur uestigia passu. *Admissum* *passum* pro *celeri*, quasi se ipsum *Apollo* ad cursum acrius concitasset, dictum esse perspicias. *Abhinc* multos annos cum hac de re ad *Franciscum Robortellum*, uirum de *Græcis Latinis* quæ literis, de quæ morali *Philosophia* bene meritum, retulissem, ille quæ ut amantissimum præceptorem decuit, ingenium meum esset exosculatus, ac laudibus etiam, ut me

arden-

. Hieronymi Magii

ardentiorē in literarum studia redderet, eſſet proſecutus, nescio quo fato poſtea factum eſt, ut in eius amici libris, Franciſci Floridi quædam de re, longa admodum præcedente præſatione, ſcripta ſint. Idem Budæus in annotatione ad hæc uerba legis 2. De Origine iuris, Populi conſenſu partim in carcere necati. Ita ruruſ reſpub. ſuum ſtatū recepit.] ſic ſcriptum reliquit, Deſunt hîc haud dubiè quatuor uerba. Adde igitur, Partim in exilium acti. nunquam enim hæc particula partim, non geminata reperitur. hæc ibi. Ac cùm Ciceroniſ auctõritatibus particula geminationem oſtendit, rem ex Liuiõ intelligi poſſe dicit, qui refert ex Decemuiris, de quibus Pomponiuſ Iuriſconſultuſ loquitur, Appium, & Oppium in uincula coniectõſ, ſpontanea morte iudiciuſ præueniſſe, eorum uerò collegas exiliij cauſa ſolum uertiſſe. Cui & auctõriſ innominati ex cap. 21. libri De Viriſ illuſtribus, quem quidam Plinio Cæcilio, quidam Cornelio Nepoti, quidam uerò nouiſſimè Probo adſcribunt, teſtimõniuſ addo, qui ait in Decemuiroſ illoſ omneſ aut morte, aut exilio fuiſſe animaduerſuſ. Verũm quanquam Budæi additamentuſ ſatiſ probabile uidetur, inuenio tamen calamo exarata & membranacea exemplaria quædam, quæ refragantur, cùm uerba à Budæo

deo addita, minime habeant, nec alia præter ea, quæ in olim uulgata editione habebantur: deinde quia Lucretium uideo lib. 5. et 6. hanc particulam, partim, citra geminationem usque passe, apud quem deprauatum esse contextum, cum ratio carminum obsistat, dicere cuiquam non fuerit integrum. Priore loco sic inquit Lucretius,

» Et partim mutant cum tempestatibus unda
 » Raucisonos cantus cornicum sæcla uetusta,
 » Coruorumq; greges, ubi aquam dicuntur,
 & imbres

» Poscere, et interdum uentos, aurasq; uocare.
 Posteriore uero,

» Hunc homines fontem nimis admirantur,
 & acri
 » Sole putat subter terras feruescere partim,
 » Nox ubi terribili terras caligine texit,
 » Quod nimis à uera longè est ratione remotum.

Cicero lib. 2. de Diuinat. A nobilissimis, inquit, ciuibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus iaceret. Idem de Amicitia, Sed nihil est quod illi non persequantur his argumentis, partim fugiendas esse nimias amicitias, neque necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus. Valerius Maximus lib. 2. de Institutis, Pars capitali iudicio damnata. nec alia

Hieronymi Magii

alia simili poſtea uoce reſpondet , quod idem eſt ac ſi , partim , dixiſſet . Per multas , quas habeo auctōritates , miſſas facio , ne teſtibus uti non neceſſarijs uidear .

Legem xii . Tabularum de addiſtis , non fuiſſe ex Solonis aut ullius Græci nomothetæ legibus depromptam . De lege Σειράχθια . Quibus ex locis iuri- busq; ius Decemuirale collectum fit . Diuus Auguſtinus , Seruius , & Accuſius notati . CAP. VIII.

DECMVIRALIBVS legibus , quibus duodecim tabulis eſt nomen , cautum fuit , ut ſi quis ob pecuniam debitam , quam ſoluere nō poſſet , adiudicatus , addiſtus q; eſſet , eius corpus in partes ſecatam creditoribus diſtribueretur . de qua lege Cicero in lib. de legibus , & Gellius lib. Noc. At. 20. cap. 1. Hanc , cūm acerbam nimis ſæuitiaq; inſignis ſit (quanquā Sextus Cæcilius apud Gellium , eam pœnæ huius ſæuitia in terriculamentum , & ne ad eam perueniretur excogitata , ſancitam eſſe contendit) & à Romanorum ingenijs quodammo- do aliena , longe q; ab humanitate abeſſe uideretur , quidam Iuriſconſultus ἀμωτος omnino , non ex Decemuirorum penore urbis ue mori- bus

bus depromptam mihi affirmabat, sed potius ex Solonis, Draconis'ue legibus (huius nanque leges sanguine scriptas, ob sæuitiam, quosdam dixisse) deductam censebat. Eam ego ex Solonis Draconis'ue legibus minime fluxisse, sed ex urbis potius manasse institutis, contra differebã. Satis enim constare ex Liuij lib. 2. multò ante quàm legati Romani in Græciã legum causa mitterétur, consueuisse neçti debitorum, inq; eos uerberibus priuatim dæseui. Adhæc nuspiam esse lectum, Draconem Solonem'ue huiusmodi legem sanxisse; quin tantum abesse ut Solon in obæratos sæuiendum esse censeret, ut potius Σεισάχθειαν legem (hanc Legati illi Romã haudquaquã attulisse uidentur) qua alieni æris onera subleuaret, et grauatos à uinculis tutos rederet, tulerit. Cùm Diodorus Siculus De antiquorum gestis fabulosis lib. 2. scriptũ reliquerit, Aegyptiorũ legibus sancitum fuisse, ut debitorum bona, nõ corpora essent creditoribus obligata, eamq; legem uideri Solonem ad Athenienses transtulisse, quã Σεισάχθειαν appellauerit, dũ decerneret ne ob usuras (inquit Diodorus) ciuium corpora neçterentur. De qua lege scribit etiam Plutarchus in Solone, in lib. de Vitã. usu. in Politicis, & in libello De Fortuna et uirtute Alexandri. Satis ergo constare non ex Solonis,

aut

Hieronymi Magii

aut Draconis legibus, eam de additis sanctionem esse ductam, sed aliunde deriuatam. His ille tandem acquieuit. Quantum autem ad rem attinet, sciendum est, ex legibus regijs et ex moribus populi Romani, ut ex Alicarnassæ lib. 2. & 10. cognoscimus, multa in 12. Tab. translata fuisse; quin, ut Seruius literis prodidit, ex Faliscorum legibus aliquid in easdem fuisse conuectum; sic enim ait in explicatione ad hunc uersiculum lib. 7. *Aeneid.*

» Hi Fescenninas acies, æquosq; Faliscos.
Romani missis Decemuiris, à Faliscis collegerunt iura fœcialia, & nonnulla supplementa 12. Tabularum, quas habuerunt; nam ab Atheniensibus decem habuerunt tubulas. hæc ille. Præterea non est negandum, licet hinc Seruius, Liuiusq; libro 3. Decadis primæ, Atticarum dūtaxat legum, ex quibus 10. Tabulæ Romæ descriptæ, & ad rumores hominum, propositæ, correctæ mox sint, faciant mentionem (sic enim ait Liuius, Iam redierant Legati cum Atticis legibus. eo intentius instabant Tribuni &c.) ex alijs quoque Græciæ urbibus Decemuirale ius collectum uideri. Cuius rei hæc habeo argumenta. Idem Liuius libro citato; Missi, inquit, Legati Athenas Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus: iussiq; inclytas leges Solonis descri-

describere, & aliarum Græciæ ciuitatum instituta, mores, iuraq; noscere &c. Pomponius in Pandectis sub titulo De origine iuris. l. posteriore. §. Exactis. sic ait, Placuit publica auctoritate decem constitui uiros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus &c. at in hoc labitur Pomponius, quòd contra historiariarum fidem, decem fuisse à Romanis missos legatos dicit, cum tres solùm fuerint. Gellius lib. 20. cap. 1. de eisdem 12. Tab. Eas, inquit, Leges, cum Sextus Cæcilius, inquisitis, exploratisq; multarum urbium legibus, elegantibus, atque absoluta breuitate uerborum scriptas diceret, &c. Iustinianus Instit. De Iure nat. gentium, & ciuili, Et non ineleganter in duas species ius ciuile distributum esse uidetur, Nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum fluxisse uidetur &c. Quæ cum non satis perspecta haberet Diuus Augustinus, aut fortasse (quod magis putandum est) memoriæ uitium pateretur, non sine errore lib. 2. De Ciuitate Dei, cap. 16. Romanos à Lacedæmonijs iura accepisse negauit, Seruij, ut opinor, relata auctoritate ductus, & Liuij uerbis illis, Iam redierant Legati cum Atticis legibus. Eruditissimi sanctiq; uiri, qui his libris De Ciuitate Dei præter rem Ecclesiasticam, non mo-

Hieronymi Magii

dicum rem literariam promouit, uerba hæc sunt, Si autem à Dijs suis Romani uiuendi leges accipere potuissent; non aliquot annos post Romam conditam, ab Atheniensibus mutarentur leges Solonis: quas tamen non ut acceperunt, tenuerunt, sed meliores, & emendatiores facere conati sunt. quauis Lacedæmonijs Lycurgus leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit: quod prudentes Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt. Hæc Augustinus, Cui magis obstat Ammianus Marcellinus, qui libro 16. rerum gestarum testatum reliquit, leges Sumptuarias ex Rhetris Lycurgi, idest Axonibus, Romam translatas, diu fuisse obseruatas, demumq; senescentes à Iuliano Imperatore paulatim fuisse reparatas. Sanè errat quoq; Seruius dum inquit ex 12. Tab. decem Romanos ab Atheniensibus habuisse (hoc idem cum Seruio censuit etiam Accursius noster in Glo. sua ad prænotatum Iustiniiani locum) cum nullus, quòd equidem meminero, auctor numerum legum Athenis allatarum protulerit, & Liuius harum mentione, tanquam ex principe Græciæ urbe perlatarum, contentus, dicat mox instituisse Tribunos, ut tandem scribendarum legum initium fieret, decemq; postea fuisse conditas tabulas, propositasq; publicè, &

ad

ad rumores hominum de unoquoq; capite edito, fuisse correctas. Nisi si, scriptioem decem tabularum, solam è Græca lingua uersionem, Lilio significare existimandum sit, cùm Pomponius dicat in prænotato. §. Exactis. leges in tabulis Decem æneis, uel eboreis perscriptas, fuisse pro rostris propositas, ut possent apertius perspicere. Nam si Græcè scriptæ fuissent propositæ, à paucis legi potuissent, cùm eo tempore Græcarum literarum non admodum periti essent Romani. Gellius lib. 11. cap. 18. à Decemuiris duodecim tabulas scriptas fuisse dicit. Idemque lib. 17. cap. 21. ab ijs primò decem fuisse tabulas conscriptas, mox duas alias additas, testatur.

Ciceronis locus propter lacunam, uerborumq; defectum antea obscurus, Plutarchi uerborum adiumento, illustratus.

CAP. IX.

IN libro Ciceronis secundo de Legibus, hæc uerba leguntur, Hoc uerò nihil ad Pontificum ius, & è medio est iure ciuili, ut per æs, & libram hæredem testamenti soluant, & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est idipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione

Hieronymi Magii

latione debeat: sitq; ea * non doctum
 hominem sanè, cuius fuit Accius perfamilia-
 ris: sed mensem credo extremum anni, ut ue-
 teres Februarium, sic hic Decembrem seque-
 batur. Hæc Cicero. Quæ ante asteriscum uer-
 ba sunt, nullo pacto iis, quæ sequuntur cohæ-
 rent. Priora nanq; de sacris perpetuis dicta
 sunt, posteriora uerò ad ius Manium faciunt.
 Asteriscus ergo inter ea, quæ tractationis de
 sacris perpetuis calcem facerent, et caput de
 Manium iure habebant, locatus est. Sed quem
 nam dicit Cicero sequutum fuisse Decembrem
 mensem, aut ad quid sequutum, et de qua nam
 re hîc & in uerbis, quæ uetustate penitus ob-
 soleuerunt amissaq; sunt, loquutus est? Dicen-
 dum est de inferijs, parentalibus, et Decio Bru-
 to: quod apertè satis, et luculenter demonstrat.
 Plutarchus in Problematibus dum Ciceronis
 dictum, ex hoc, ut in confesso est, loco citans,
 in hanc sententiam loquitur, Quid est, quòd
 cum ceteri Romani Februario mortuis infe-
 rias mittere, & parentare consueuissent, De-
 cius Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri fa-
 ciebat? & quæ sequuntur. Vides non parum
 lucis è Plutarchi uerbis Ciceronis contextui
 alioquì obscurissimo accedere.

Emendata Constitutio quædam in lib.
 Legum nouellarum Diui Theodosii,
 apud Iulium Frontinum, & in Codi-
 ce Iustiniani. De Nili alluionibus,
 & aggeribus, ac Aegyptiorum fletu
 Nili irrigationem precantium. Illu-
 strantur rubricæ C. de Nili aggeri-
 bus non rumpendis, & de Frumento
 Alexandrino, & quid Flumen sub ti-
 tulo de Alexandria Primatibus in
 eodem C. significet, declaratur.

C A P. X.

IN libro legum nouellarum Diui Theodosii,
 sub titulo, De Alluionibus, et paludibus,
 legitur Constitutio, quæ in sui media ferè par-
 te hæc habet uerba, Ideò suggestionem tui cul-
 minis admittentes, non Aegyptijs solis, nec
 de limi tantû alluionibus loquimur; sed quod
 salubre est orbi terrarum, atq; omnibus pro-
 uincijs promulgamus, &c. Eadem in libro Iu-
 lij Frontini, de Controuersijs limitum, habe-
 tur, & hæc eadem uerba continet, non sine
 mendo, quod etiam legitur in doctissimi uiri,
 omniq; encomio maioris, Pauli Manutij. Ad-
 ditamentis ad Calcipini Lexicon, quibus eiusdè
 constitutionis uerba ex Frontino inserta sunt.
 Pro eo enim, quod est Limi, legendum est Ni-

Hieronymi Magii

li. quod conijcio ex. l. 3. C. de Alluionibus et pal. quæ ex eadem profluxit. sic enim ibi scriptum cernere est,

Impp. Theod. & Valen. A. A. Cyro P. P. Ea, quæ per alluionem, siue in Aegypto per Nilum, siue in alijs prouincijs per diuersa flumina possessoribus acquiruntur: neque ab æra uendi, neq; à quolibet peti &c. huc etiam illa spectant, quæ in. l. præcedenti leguntur,

Imppp. Archad. & Honor. & Theod. A. A. A. Cæsario P. P.

Si quos inundatio Nili fluminis reddidit ditiores &c. Vbi etiam illud est animaduertendum contextui prænotatæ legis tertiæ, mendum infedisse; quod fuit in causa ut Accursius nescio quid de uitio somniaret, & comminisceretur. Pars autem mendosa hæc est, Ne uel alluionum ignorare uitia, uel noxiam possessoribus uideamur inducere &c. Cùm potius, ut nos admonet idem liber legum Nouellarum Diui Theodosij, ita sit legendum, Ne per alluionum ignorantiam, uetitam rem, & maximè noxiam, possessoribus, uideamur indicere. Accedit eò quòd uerba illa, Sed quod salubre est orbi terrarum, atque omnibus prouincijs, promulgamus. satis demonstrant, uerba, quæ præcedunt, priuatim ad loci uel regionis unius alluionem spectare potuisse,

potuisse, ideò non esse, limi, legendum. Cum autem, si alibi uspiam, fiant maximæ iuxta Nilum alluiones, terræq; immodica accrementa, meritò, de huius fluminis alluionibus uerba facta esse, potest intelligi. Quod autem maiores quàm alibi, fiant circa Nilum alluiones, testatur Aristoteles, qui libro primo Meteor. ait, uideri Aegypti regionem in dies singulos magis, magisq; exaruisse, à Niloq; omnem adaggeratam aduectamque esse. Quod ipsum & Seneca Naturalium questionum lib. 6. cap. 25. existimauit. quo loco etiam sic loquitur, Tantum enim (si Homero fides est) aberat à continenti Pharos, quantum nauis diurno cursu metiri plenis lata uelis potest: sed continenti adnota est &c. Strabo lib. 1. Itaque Aegyptus uniuersa sub Herodoto, fluuij munus appellari iure potuit, & si non uniuersa, ea saltem, quæ sub agro est inferiore, qui Delta nuncupatur, &c. Nilus enim (hunc Gellius lib. 10. cap. 7. fluminum, quæ ultra imperium Romanum fluerent, prima esse magnitudine dixit) auctu magno quot annis, ut Herodot. lib. 2. Diodorus primo, & alij testantur, per Aegyptum spatiat, liminum trahit, alluionesque, ut par est, magnas, agrorum limites confundens, facit; unde excogitatam primò ab Aegyptijs geome-

triam, cum apud Herodotum libro citato, tum apud Iamblichum, Strabonemq; lib. 17. Geograph. legimus. Cicero lib. 2. de Natura Deorum, de eiusdem Nili alluione, Aegyptum, inquit, Nilus irrigat, & cum tota aestate, obrutam oppletamq; tenuerit, tum recedit, molitosq; & oblimatos agros ad ferendum relinquit, & c. Vlpianus quoque. l. 1. §. Ripa. ff. De fluminibus, Nilum incremento suo Aegyptum operire testatur. Ex alluione flumen hoc nomen esse sortitum, nonnulli dixere, ut Nilum antiqui, quasi νεὸν ἰλύν, hoc est nouum limum uocauerint, quod nouum lutum quotannis aduehat. Cum uerò inundatio Nili, quaedam sit stercoratio, praesertim cum amplissima est, meritò Aegyptij Isidis sacra celebrantes, Nili irrigationem fletibus solebant implorare. Quò respexisse Statius uideatur, cum inquit,

» melius uotis Mareotica fumat
 » Coptos, & ærisoni lugentia flumina Nili.
 Nisi potius, lucentia, legendum sit. Ad quem locum Lactantius, siue, ut alij malunt, Luctantius enarrator, sic inquit, Coptos ciuitas Mareotica Aegypti, in qua Io uersa in Isidem colitur, cui sacris Sistro celebratis Nilus exæstuat. Lugentia.] De sacris Isidis tractum, quia prouentum frugum quæerunt Aegyptij usque ad

ad ueros planctus, nam irrigatio Nili, supra dictorum fletibus imploratur. hæc ille. Ex incrementi autem mensura, Aegyptij frugum copiam, aut penuriam prævident: siquidem, ut Plinius lib. 5. cap. 11. posteritati prodidit, cum Nilus ad duodecim cubitos intumuerit, prouincia famem sentit, in 13. etiam numesis rit. 14. cubiti hilaritatem afferunt: 15. securitatem: 16. delicias, & hoc iustum dictum esse ex obseruatione incrementum. Quæ res in Nili statua antiquitate uisenda, quæ Romæ in Vaticano conspicitur, puerulis sexdecim eam quasi scandentibus, supremoq; copię cornu manu præferente, significata est ab antiquis. Plinius lib. 35. cap. 7. Inuenit eadem Aegyptus in Aethiopia, quem uocant Basaltem, ferrei coloris, atque duritiæ, unde & nomen ei dedit. Nunquam hic marmor repertus est, quàm in templo Pacis, ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus. argumento Nili sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis eius intelliguntur. hæc ille. Propter uim autem latè se effundentium Nili aquarum, magnis præuenire Aegyptum molibus, & exaggerationibus oportuit, quæ ff. de Extraordinarijs criminibus. l. Saccularij. chomata appellantur, idq; idè ut terra seri possit. Iustinus lib. 2. Sic inquit,

Hieronymi Magii

quit, *Aegyptum autem, quæ tot Regum, tot sæculorum cura, impensaq; munita sit, & aduersus uim decurrentium aquarum, tantis instructa molibus, tot fossis concisa, ut cum his arceantur, illis recipiantur aquæ, nihilominus coli, nisi excluso Nilo non potuerit: nec posse uideri hominum uetustate ultimam, quæ siue exaggerationibus Regum, siue Nili trahentis limum, terrarum recentissima uideatur &c.* Legere ne pigeat quæ de aggere hyrundinum miro opere constructo iuxta Copton oppidum, Plinius lib. 10. scripta reliquit: de quo & Bechhemus *Epistolicarum quæstionum Centuria prima cap. 63. Aquæ Nili stagnantes, apertis admitti molibus, & fossis excludi consueuerant. Plinius lib. 5. cap. 9. Cum steteret aquæ, apertis molibus admittuntur. Ut quæq; liberata est terra, feritur &c. in quem usum erant commata & diacopi, quo Nilus in campos commodè admitteretur, aut intra alueum compesceretur, quarum uocum mentio est incitata. l. Saccularij. de quibus Budæus in Annotationibus, & Beroaldus ante ipsum in Commentarijs in Apuleium de Asino aureo, è quibus multa desumpsit Budæus. Earum fossarum meminit Suetonius in Augusto cap. 18. qui eas longa uetustate oblimatas, fuisse Augusti cura deterfas, quo Aegyptus feracior,*

cior, & urbicae annonae habilior redderetur. Est à nonnullis memoriae consignatum, Romanos rei frumentariae gratia, fossas, alueosq; à singulis regionibus Aegypti, aere publico in Nilum perfodiendos curauisse, quibus frumenti uis ingens Alexandriam, ac demum Romam conueheretur, incredibilique sumptu alueorum illorum aggeres ut seruari curasse: quo spectasse existimant Impp. Honor. & Theodosium C. de Nili aggeribus non rumpendis, ubi lege lata decernunt, absumendos esse flammis, delicti patratiloco, qui aggeres, et ualla fluentis Nilum uiolauerint. Quaquàm probabilis fortasse ob praedictos potius aggeres eam editam esse sanctionem, dici aliquis existimabit. Et si scio frumentum Alexandriam conuehi consueuisse, unde in libro Codicis undecimo titulus est, De frumento Alexandrino. Et in titulo mox sequenti, qui est, De Alexandriae Primatibus, Corporati ciuitatis Alexandrinae, repurgandi fluminis onere liberantur. quo in loco flumen pro fossis praedictis accipio, quibus aqua excluderetur, uel admitteretur, aut etiam per quas in Nilum, & Alexandriam frumentum, et mox cum in alias regiones, tum Romam conueheretur. Suetonius enim huiusmodi fossas Augusti cura ad feracitatem regioni conciliandam, & urbicae

Hieronymi Magii

urbicæ eam annonæ habiliorem reddendam, cum oblimatæ essent, deterfas dicit, ut supra retulimus; à cuius deterfionis, repurgationisque onere, Corporati ciuitatis Alexandriae liberantur. Hegesippus lib. 4. cap. 27. in portum Alexandriae maximum, quæ ad usum totius Orbis proficerent, conuectari, necessarium fuisse ait; & regionem Aegypti feracem, totum orbem terrarum frumento alere atque instruere necessarijs mercibus, scripsit.

Qua ratione ab Horatio dictum sit, lippis, & crudis pila ludere, inimicum esse. Qua lippitudine hic Poëta laboraret, & cur aliquando, cum salubribus aquis careret, cœnare recusauerit.

C A P. XI.

CUM Gregorio Angeleri Jurisconsulto eruditissimo, mei que amantissimo, animi gratia, Horatii hos uersus lib. 1. Sermonum Satyra 4. legebam.

- » Hinc muli Capuæ clitellas tēpore ponunt :
- » Lusum it Mæcenas, dormitum ego Vergiliusque;
- » Nanque pila lippis inimicum & ludere crudis.

Videbatur perspicacis ingenij uiro, & à Musis

sis haudquaquam alieno, non admodum esse re-
ctè ab Horatio dictum, crudis inimicum esse pi-
la ludere, cùm hoc ludi genere corpus pluri-
mum, ut in confesso est, exerceatur, calorq; na-
turalis, ut Galenus testatur in Com. ad A-
phor. 48. particulae 2. Aphorismorum, exer-
citij beneficio commoueat, ualidaq; fiant,
quae in membris sunt uirtutes naturales, ani-
males, & uitales. Vnde tantum abesse ut lude-
re crudis sit inimicum ille dicebat, ut potius
ad cibi concoctionem, cruditatesq; abolendas,
egregiè conducere uideretur. Qua in re quid
ego sentirem, ut audacter proferrem, deq; Ho-
ratij lippitudine, si quid scitu dignũ haberem,
subticere nollem, amicè rogauit. Cui me olim
quadam ad eos uersus spectantia subnotasse di-
xi, atque ex hypomnematis hæc retuli, quæ
Miscellaneis nostris digna uisa sunt. Neuti-
quam est ambigendum, crudis pilæ ludum
exercitiumq;, esse incommodum. cùm Gale-
nus lib. 4. cap. 5. De Symptomatum causis, in
banc sententiam loquatur, Sic etiam, inquit,
ex ijs, qui cruditatibus abundant, nouimus
quosdam dum quiescerent, nihil perpeti; dum
uerò uel balneis, uel Soli se exponerent, hor-
rere; idq; multò magis si exercitarentur. Nã
& Sol, & balneum, & exercitatio, ad mo-
tum excitant excrementa alioquò quiescentia,
quem-

Hieronymi Magii

*quemadmodum & ex animi affectibus ira .
Porrò à se ipsis ad motum insurgunt excre-
menta , si uel calefiant , uel extenuentur , uel in
spiritum degenerent . Neque mirum uideri de-
bet , ea minùs corpus infestare dum quiescunt :
dum uerò mouentur & plurimùm lacerare , &
concutiendo , horrorem , rigorem , & febrim
inducere . Etenim dura corpuscula , quæ oculis
extrinsecùs incidunt , si clausis genis particu-
la quieuerit , aut parum omnino , aut nihil mo-
lestiæ inferunt : si uerò moueatur , intolerabi-
li dolore cruciant &c . Apud Celsum quoque
libro primo cap . 2 . legimus , ijs , qui crudis a-
bundant , quietem somnumq; cruditatis præ-
sidia esse optima . siquidem , ut Galeni senten-
tia est lib . 4 . de Sanitate tuenda , & Methodi
7 . quiete crudi humores concoqui , non irrita-
ri solent . Crudis igitur , clarissimorum testi-
monio medicorum , ac non obscura ratione , pi-
la ludere inimicum est , propter exercitatione
ipsis incommodam ; præsertim cum in hoc lu-
do corpus permoueatur atque agitetur . Pau-
lus Aegineta lib . 1 . cap . 17 . loquens de exer-
citationum generibus , eam , quæ corico , &
parua pila fit , celerem uocat . Galenus in li-
bro de paruæ pilæ exercitio , ait hoc ludo
omnes ex æquo corporis partes exerceri , si
quis uelit ; sin malimus unam præ cæteris exer-
cere*

cere, id etiam licere. Iulius Pollux lib. 9. cap. 7. quod est, De Symposiorum ludis &c. pilæ ludum laboriosum esse demonstrat. eum adeas, nam ipsius uerbis perlectis, ludum huiusmodi non solum crudis, sed & lippis incommodum inimicumque esse, cognosces. Athenæus quoque libro primo. Dipnos. Cap. 8. multa dicit intentione, multoque labore opus esse ad ludum exercitationemque pilæ, & robore ad reuolutiones in caput. Nunc ad Horatium: crudus enim intelligitur Virgilius, cum Horatius supra, se lippum esse fateatur. Lippis quoque pilæ lusum inimicum esse eadem de causa, scilicet propter humorum, qui oculos uexant, agitationem, nemo ibit inficias. Adde quod Aristoteles Problemate 11. Sectionis primæ, corpora, quæ uehementer incalescunt, ac humore priuantur, aridis lippitudinibus infestari ait. Talem uerò fuisse Horatij lippitudinem crediderim, cum ipse met non uno in loco se biliosum fuisse arguat. Biliosos autem ob carnis caliditatem, & siccitatem, siccas lippitudines inuadere, testatur Hippocrates manifestè in libro De aqua, locis, & aëre. Cui astipulatur Galenus in explicationibus ad Aphorismum 13. particule 3. dum in hanc sententiam loquitur, In calidis uerò naturaliter, & cholericis sicca ophthalmia erit. Sicca dicitur,

cum

Hieronimi Magii

cùm nihil ab oculis mittitur. Et mox, Cholericis autem sicca ophthalmia euenit propter caliditatem capitis, & siccitatem sui. hæc ille. Satis ergo patet Horatium sicca laborasse lippitudine. Lippitudinis ratione factum est (ut hîc alter huius Poëtæ locus in eadem Satyra. 5. declaretur) ut cœnare, cùm aqua esset insalubris, noluerit. sic enim ait.

» Hîc, ego propter aquam, quòd erat deterima, uentri

» Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
» Expectans comites. &c.

Quam rem Iacobus Taurellus, uir doctissimus, olim in Perusino Gymnasio ad eius sobrietatem indicandam, dum publicè Horatium interpretaretur, adnotandam esse censuit; & si alioquè de Lyricorum more, hic Poëta in uini potatione suadenda multus sit, seq; bibacem planè demonstrat, quod antea ab Anacreonte in eius, qui typis cusi sunt, uersibus, & ab Alcæo Poëta Mitileneo, apud Athenæum lib. 1. Dipnos. cap. 17. & ab alijs alibi factum uidemus. Quanquam non me latet Hippocratem, Aphorismo 31. part. 6. dixisse, meri potionem dolores oculorum soluere; & Galenum in Com. ad eum Aphorismum testari, se iuueni cuidam sicca lippitudine malè affectum, cui oculi quasi sicci, uenæ autem tur-

gentes

gentes essent, ut balneo, & modica uini potione uteretur, præcepisse. Quod me tamen de mea non deicit sententia, cum Hippocrates in libro de Visu, ad lippitudinem annuam & popularem, inter cætera, aquæ potum conducere dicat, idemq; Galenus loco prænotato, dicat sanguinem coagulatum, qui in oculis decumbit, potu uini, quod propriè coagulata dissoluit, suumq; ob motum citissimum à uenis eijcitur, fundi ac depelli, si alia corporis plenitudo non adsit, à qua Horatium immunem, ob literarum studia, desidemq; uitam, cum & biliosus esset, neutiquam fuisse credendum est; alioqui à mero saltem modico, quod citra abstinentiæ iacturam fieri eo casu poterat, non abstinuisset. Huc spectant hi eiusdem uersus ex Epistola ad Valam lib. I.

» gelida cum perluor unda

» Per medium frigus.

Et infra,

» Collectos ne bibant imbres, puteos ne perenneis

» Iugis aquæ: nam uina nihil moror illius oræ.

Iam igitur patet ex prædictis qua lippitudine Horatius laborauerit, et cur lippis pilæ ludus sit inimicus. Quibus etiam et hoc accedat, noxium esse id genus ludi lippitudinibus, pro-

Hieronymi Magii

pter oculorum exercitium citumque uarias in partes deflexum, quibus rebus oculi uexantur. Hæc autem usuuenire ludentibus, nemo est, qui nesciat, & Galenus in libro de Paruæ pilæ exercitio, loquens in hanc sententiam, demonstrat, Quòd uerò, inquit, etiam oculos exercere oporteat, hinc discere datur, si in memoriam reuocauerimus, quòd nisi quis pilæ momentum, quo feratur, diligenter præuideat, necesse est ut ab eius præhensione aberret, &c.

Quid Latinis Græcisq; auctoribus, animæ amissio significet, & quid causæ sit ut non potius corporis amissio dicatur, cum anima principem locum obtineat. Serui cur corpora appellentur.

CAP. XII.

PUBLICA autem iudicia hæc sunt, Lex Iulia maiestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem uel Remp. aliquid moliti sunt, suum uigorem extendit: cuius pœna, animæ amissionem sustinet, &c. Verba hæc sunt Iustiniani Imperatoris in Institutionibus sub Rubrica, De publicis iudicijs, quæ cum pridem legerem, accipiebam animam cum Accursio nostrisq; Iureconsultis, pro animato corpore,

corpore, quandoquidem, ut ille ait, anima non in hominis, sed in Dei potestate consistit. Cui concinere uidebatur hic Iuuenalis ex Satyra 9. uersiculus,

» Quorum animas hic farre suo custodit, & are.

Idest, ut quibusdam placet, animata corpora. Verum cum postea animaduertere Latinos auctores, qui elegantius loquuti sunt, Græcosq; simili loquendi modo usos fuisse, ut Sallustum in Catilina, ubi inquit, Quod si uirtuti uestra fortuna inuiderit, caueate ne inulti animam amittatis. Et Probum in Epaminonda, ubi de eius obitu loquitur; Homerum Iliad lib. 24. Musæum in libello de Herone, & Leandro, & alios; cœpi rem attentius pressiusq; considerare, & animam pro uita accipiendam censui. eamq; rem cum alijs argumentis, tum his Sallustij eiusdem ex Catilina uerbis demonstrari intellexi, sic enim inquit, Nam ferè quem quisque uiuus pugnando locum ceperat, eum amissa anima, corpore tegebat &c. Vnde morientes animam efflare dicuntur. Alioquì anima pro animato corpore sumitur. Lucretius lib. 4.

» Nam certè ex uiuo Centauri non fit imago,

» Nulla fuit quoniam talis natura animai,

Hieronymi Magii

Atque ita etiam pro homine apud Hebræos non semel hæc uox usurpatur, ut Numer. cap. 19. Act. Apost. cap. 27. & alibi. Quam rem Chrysostomus Homilia 49. in cap. 24. Matthæi, Epiphanius in libro, cui titulus est, ἀγκύρωτος, alijq; adnotarunt. Si Nonio Marcello credimus, anima etiam pro corpore, seu caduere aliquando accipitur, ut apud Vergil. Aeneid. xi. ubi ait,

» *Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis*

» *Hanc patriam peperere suo, decorate supremis*

» *Muneribus.*

Sed hæc satis aperta. Illud uerò non modica difficultate obstructum uidetur, morientem hominem, animam dici amittere, non è diuerso, corpus. Cùm enim anima in hominis compage principem locum obtineat, & à dissolutione supersit; potius dicendum uidetur, hominem, qui morte corripiatur, corpus amittere, quàm animam. Aristoteli nanque lib. 1. de Anima, tex. com. 90. anima magis corpus continere uidetur, quàm corpus animam. ad quem locum Auerroës inquit, animam magis esse dignam, quæ causa sit copulationis corporis, quàm è contra. Idemq; Aristoteles lib. primo De partibus animalium cap. ultimo,

corpus

corpus totum, animæ gratia conditum dicit. Quin quanquam homo ex anima & corpore constat, tamen animam ipsam non corpus, hominem esse, Cicero in Somnio Scipionis testatus est. Tu uerò (inquit) enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusq; is est quisque, non ea figura, quæ digito monstrari potest. Hæc ille. Plotinus quoque in libro, cui titulum indidit, Quid est animal, quid homo. animam ipsam, uerum esse hominem censuit. in quorum sententiam discessit Macrobius lib. 2. cap. 12. Com. in Somnium prænotatum. Quid ergo dicendum est? censuerim hunc loquendi modum usurpari, quòd tunc anima pro spiritu, & uita, non autem pro ipsa anima rationali accipiatur, uel quia corpus solum in cernendi contrectandiq; sensum cadit, solumq; nostrum esse uidetur. quam sententiam nobis suadet Seruius in explicationibus ad ea uerba Palinuri libro 6. *Aeneidos Verg.*

• Nunc me fluctus habet, uersantq; in litore uenti.

Dum sic inquit, Quia secundum Philosophos corpus solum nostrum est, quod nobiscum oritur, nobiscum perit. Anima enim generalitatis est, & adeò non est nostra, ut etiam in

Hieronymi Magii

*alia corpora plerunq; transeat . Ergo ; Me, cor-
 pus meum, quod est hominis proprium . Est au-
 tem Homeri, αὐτοῦς δ' ἐλώρια τεῦχε κύνεσσιν .
 hæc Seruius . Qua fortasse ratione, serui, qui
 in nostro sunt dominio, corpora à Græcis ap-
 pellantur . Athenæus Dipnos . lib. 5 . cap. 8 .
 ex Moschione, qui De nauæ Hieronis Syracu-
 sij commentaria scripsit, sic habet, Ἀρχιμή-
 δης ὁ μηχανικὸς μόνος αὐτὸ κατήγαγε δι' ὀλίγων
 σωμάτων, κατασκευάσας γὰρ ἕλικα, τὸ τηλικού-
 τον σκάφος εἰς τὴν θάλασσαν κατήγαγε . πρῶτος
 δ' Ἀρχιμήδης ἔρε τὴν τῆς ἕλικος κατασκευήν .
 Idest, Archimedes Mechanicus solus pauco-
 rum corporum adiumento (is enim Helicem
 comparauit) tantam nauim in mare deduxit .
 Primus autem Archimedes Helicis usum ex-
 cogitauit . Tametsi in Latina Athenæi uersio-
 ne, uideamus uocem σωμάτων ad instrumenta
 referri . Quod à doctissimo interprete non sine
 aliqua ratione, aut auctoritate factum esse non
 est uerisimile . At rem citra controuersiam
 manifestam ostendit Epiphanius libro præno-
 tato dum in hanc loquitur sententiam . Et con-
 suetudo, inquit, solct seruos, corpora uocare .
 Dominus, inquit, centum corporum : immo
 etiam animas habentium . Quandoquidem ue-
 rò dominium hominum, corporibus domina-
 tur, & non animabus, propterea seruos, me-
ritò*

ritò corpora uocauerunt cum anima, ut corporum usum ostenderent. hætenus Epiphanius :

Auli Gellii locus emēdatur, & quæ esset funebrium tubarum forma, à Cæselio, Capitone, Gellio, Nonio, & cæteris ignorata, itē tiliarum, & quem sonum Siticines incinerent, declaratur. Quæ de eisdem tubis tibiisq; à nonnullis prodita sunt, improbantur, & cur grauem sonum organa musica, quæ inflantur, emittant, demonstratur.

CAP. XIII.

VT AVLVVS Gellius retulit Noctium Atticarum lib. 20. cap. 2. Marcus Cato in Oratione, quam inscripsit, Ne imperium sit ueteri, ubi nouus uenerit, sic loquutus est, Siticines, & liticines, & tubicines. Sed Cæsellius Vindex, inquit Gellius in Commentarijs lectionum antiquarum, scire quidem se ait, Liticines lituo cantare, & tubicines tuba; quid isthuc autem sit, quod Siticines cantant, homo ingenuæ ueritatis, scire se negat. Nos autem in Capitonis Attei Coniectaneis inuenimus, Siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est uita functos, & sepultos. Eosq; habuisse proprium genus tubæ,

Hieronymi Magii

qua canerent, à cæterorum tubicinum proprietate differens, quos Sicinistas uulgus dicit &c. Eadem ferè habet Nonius Marcellus. Sed in qua re proprium illud genus tubæ à reliquis tubis differret, & quid diuersum Siticines à tubicinibus canerent, neuter, nec ullus alius scriptor explicat. Quæ res ne amplius in obscuro decumbat, aliqua à nobis afferenda sunt in medium, si tamen prius lectorem monuerimus, uideri corruptum esse Gellij contextum eo loci, ubi inquit, Quod Siticines cantant. Non enim quod, sed, quo, est legendum, cum de instrumento, non de modo loquatur. Quam rem satis intelligimus ex eo, quod Gellius ex Capitone subiicit, scilicet, Siticines habuisse proprium genus tubæ, qua canerent, à cæterorum tubicinum proprietate differens. Est igitur sciendum tubas illas fuisse cæteris latiores, ac longiores, quales in antiquorum sepulchris aliquando exculptas uidimus; ipsosq; Siticines graue canere consueuisse. Longitudinem quidem maiorem, quam in cæteris tubis esset, demonstrat Ouidius libro 2. Amorum, Elegia 6. ubi loquens de morte Psitaci, aliasq; aues, ut defuncti funus faciant, alloquens, sic canit,

» *Horrida pro mæstis lanietur pluma capillis.*

» *Pro longa resonent carmina uestra tuba.*

Vides

Vides tubæ longitudinem signari. Latiores uero cæteris eas fuisse, ostendit Galenus lib. 3. De Symptomatum causis, eo loci ubi de flatibus loquitur, qui in uentre inferiore fieri solent. Porro, inquit, sunt alij bombosi, bombis latissimarum tibiæ non absimiles. quales habere solent ij, qui Tymbausæ, idest, Siticines nominantur: quæ ob materiam, ex qua constant, purum sonum reddere non possunt, & uia quæ spiritus transit, latitudo, sonum efficit grauiorem. Atqui huiusmodi flatibus in crassis intestinis consistunt. ubi uacua fuerint ab excrementis. Quod si humor quispiam in his continetur, accedit hinc quoque bombo forma quædam; uocantq; omnes eiusmodi sonum, uel potius murmur, Græcè borborygmon, etc. Licet uerò de tuba non quatur, quia tamen & tubis Siticines utebantur, nullo pacto ambigendum est, eos sicut tibiæ, ita etiam tubas latiores habere consueuisse: quo grauior, nempe lugubris, sonus emitteretur. Siticines autem grauiorem incinere sonum consueuisse, demonstrat etiam Aristoteles lib. 5. de generatione animalium, dum in banc loquitur sententiam, Spiritus enim calidus, crassitudine sua, grauitatem efficit uocis. Frigidus præ sua tenuitate contrarium facit, quod uel in tibijs patet. qui enim calido utun-

Hieronymi Magi

tur spiritu, & talem emittunt qualem Siticines & lamentantes, grauiorem sonum inspirant tibiis, &c. Siticines uerò lamentantesq; *αἱ Σιτικίνες* ab Aristotele ibi nuncupantur, quos Apulcius lib. 1. Floridorum, Monumentarios dictos, fidem facit his uerbis, Is igitur Antigenidas cum esset in tibicinio adprimè nobilis, nihil æquè se laborare, & animo angimè dicebat, quàm quòd monumentarij Coraulæ, tibicines dicerètur, &c. Quo loco ex itinere adnotandum est, non conuenire Dionem Chrysostomum in nomine, huius enim sententiæ uerba habet in 9. Oratione, Dixit autem paulò ante hæc tempora Philosophorum quidam non malus, Ismenum ob hoc maximè indignari solitum, quòd Siticines appellarentur tibicines. At nequaquam res est indignatione digna, ut mihi quidem uidetur. nihil enim mortuis detrimenti afferunt Siticines, neque illis sunt molesti. hæc Dio. Nunc ad rem. Verùm & si in uniuersum grauis sonus feralis lugubrisq; erat; fuit nihilominus in usu Lydia harmonia acuta stridulaq;. Refert Plutarcus in lib. De Musica, Platonem Lydiam harmoniam deprecari, quòd acuta, uehemens, & stridens sit, aptaq; complorationibus. Primaq;, inquit Plutarchus, eius constitutio, lugubris quædam res traditur fuisse, ac

se, ac primum Olympum funebre tibia carmen
 in funere Pythonis; Lydio ritu cecinisse, in
 primo Musicæ scripsit Aristoxenus, etc. Idem
 Plutarchus in Polit. ex Platone eodem, modu-
 lationem, et cantum Lydium, luctuosum, con-
 questuosumq; esse testatus est. Accedit eò Pol-
 lucis quoque testimonium, qui libro 4. loquens
 de tibijs, sic ait, si Latinè eius uerba exprimas,
 Paratretæ luctui conueniebant, acutè & len-
 tè inflatæ, &c. Ad tibias lugubres quod at-
 tinet, non est ignorandum, scriptum eodem li-
 bro reliquisse Pollucem, Phryges lugubrem ti-
 biam inuenisse, qua ab ipsis accepta Cares usi
 sint. Lactantius, siue Luctatius Grammaticus
 ait; Siticines usos Phrygio modo, inuento à
 Pelope Phrygio, apto ad euocationem anima-
 rum. γίγγασ tibias, Phœnicum inuentum, lu-
 gubres fuisse, ostendit Iulius Pollux libro cita-
 to (de his & Athenæus lib. 4. cap. 24.) sic
 & Dydimus dum ita scribit, οἱ πρὸς τὸν αὐλὸν
 ἀδόμενοι θρήνοι, ὃ γὰρ αὐλὸς πένδιμος. Funebres
 tibias Flamini audire, illicitum fuisse Festus
 ait lib 6. nihilominus ex Massurio Sabino a-
 pud Gellium lib. 10. cap. 15. patet, funus exe-
 qui Flaminem, religione minimè fuisse impe-
 ditum, in quo citra dubium hæ tibie audie-
 bantur. Tales autem erant aduncæ, quod satis
 indicat Papinius libro 6. Thebaidos, dum sic
 canit,

Hieronymi Magii

canit,

» *Cum signum luctus cornu graue mugit adunco*
Tibia.

Hæ tibiæ ex ebore fiebant, Propertius,

» *Tibia Mygdonijs luget eburna sonis.*

Quæret hîc fortasse aliquis, cur Galenus, Aristotelesque Siticinum mentionem facientes, tibiæ duntaxat, non tubas nominauerint? ac cur etiã Cicero in Miloniana oratione loquens de funere Clodij, tiliarum non tubæ meminerit, ubi inquit, Sine cantu, sine tibijs &c. & Alex. Aphrod. Probl. 76. libri primi, lugètibz tibiæ cur adhiberentur cû quærat, nullam tubæ mentionem faciat? Quantum spectat ad Aristotelem, Galenum, & Aphrodiseum, respondeo eos tiliarum solùm meminisse uideri, quòd hæ essent frequentiores, cùm minoribus funeribus popularium, aut si libet etiam nobiliorum hominum, puerorumq; adhiberentur; tubæ contrà rarius conspicerentur, quòd in maioribus funeribus nobiliorum usurparentur. Singulis hæc auctoritatibus probasse sit satis. Ouidius Tristium lib. 5. Elegia prima,

» *Interea nostri quid agant nisi triste libelli,*

» *Tibia funeribus conuenit ista meis.*

Suam enim extenuans fortunam Ouidius, tibiæ sibi non tubam, conuenire dixit. nam ut inquit Propertius,

Tibia

» *Tibia funesta tristior illa tuba.*

Et ipsemet lib. 3. Fastorum,

» *Cantabat mœstis tibia funeribus.*

Matthæus Euangelij cap. 9. Cùm, inquit, uenisset Iesus in ædes primatis, uidissetq; Tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis, Sedecite, non enim mortua est adolescentula. Vides, licet puella primatis esset filia, tamen tibicines, non tubicines funeri fuisse adhibitos, nimirum, quantum coniectura assequi licet, ratione ætatis defunctæ. Persius Satyra 3. funus describens patricij uiri, tubicinem non tibicinem facit adesse. inquit enim,

» *Hinc tuba, candelæ, tandem beatulus alto*

» *Compositus lecto, crassisq; lutatus amomis*

» *In portam rigidos calces extendit.*

Quod pertinet ad Ciceronis locum, facere ille uideri potest tiliarum, non tubæ mentionem, ut Deorum ira Clodio etiam mortuo illatam infœlicitatem, augeat: quasi dicat, nec tibiæ quidem, quæ minoribus populariumq; hominum funeribus adhibentur, adsuerunt. Verùm quanquam, quæ dicta sunt, uera esse in faciem, ac subsistere uidentur, est nihilominus animaduertendum non solum maiorum natu populariumq; funeribus tibus esse adhibitas, sed etiam nobiliorum. Cicero enim lib. 2. de Legibus sic inquit, Honoratorum uirorum laudes

des in concione memoranto, easque etiam ad cantus, ad tibicinem prosequuntor: cui nomen Næniæ. quo uocabulo etiam Græci, cantus lugubres nominant. Hæc ille. Testantur quoque Festus lib. 12. & Nonius ubi de Præficis, & Nænia (hic quidem uerbis Varronis ex libro 4. de Vita Pop. Rom.) nænias in funere ad tibiam cani consueuisse. Communes autem funeribus omnibus nænias fuisse, est existimandum. Vnde in Miloniana oratione, quem cantum et quas tibias Cicero significare uoluerit, iam manifestè intelligis. Putauerim itaque tibicines funeribus quibuscunque adhibitos olim fuisse, eamque ob rem frequentem funebrium tibiæ mentionem, tubæ non item. Ex quibus patet Franciscum Aligerum Florentinum, Gregorium Giraldum Ferrariensem, multosque alios errare (horum opinionem refert eruditissimus Manutius in lib. de Legibus Romanis, nec improbat) qui aiunt, tubicines adhiberi consueuisse funeribus hominum ætatis prouectioris, puerorum uerò tibicines; & eorum, quæ relata sunt, nullam habent rationem. Verùm quid de Atteio Capitone dicemus, qui de Siticinius scribens, tubæ duntaxat facit mentionem? Putauerim id eum fecisse, non quòd frequentiores tubis tibias esse, Siticinesque ipsis uti ignora-

ignoraret, sed quo diuersitatem tubæ adnotaret, & si cum diuersæ etiam horum à reliquis tibiæ essent, earum etiam meminisse debuit. His satis proq; ingenij nostri captu explicatis, reliquum esse uidetur, ut aliquid de causa grauitatis cantus tiliarum, tubarumq; breuiter tamen, dicamus. Aristoteles quidem, ut uides, crassum instantis aërem, eam esse affirmat: Galenus uerò instrumenti latitudinem; qui etiam Artis medicinalis cap. 69. sic inquit, Eo, inquit, modo, neq; acuta natura uox sine angustia faucium, neque grauis sine latitudine fieri potest. Idem Com. 23. in lib. 3. Hippocratis de Morbis vulgaribus, ad part. 32. uocem sonoram, & acutam, à siccitate effici organorum testatur: quæ res etiam causam præbere mihi uidetur acutæ echiticorum uoci, licet Aristoteles Problemate 37. sectionis 19. paucitati aëris uelociter lati id tribuat, qui fortasse et siccitatem trachæ, talé uocem simul in echiticis efficere non negasset. Sanè grauitatem uocis sonique, cum latitudine organi crassus aër unà, parere uidetur. Cum uerò arcta aër permeat uia, tenuis prodit, quod perspicere potes hyeme. Si enim aperto ore exuffaueris, spiritum cernes in nebulæ aut fumimorem satis crassum: si uerò compressis labijs; adè idem spiritus tenuis erit, ut oculorum sensum

Hieronymi Magii

sum effugiat . Idemq̄; usuuenit in musicis organis, quæ uel follibus, uel ore inflantur : nam si os, quod flatum primò accipit, nimis sit contractum, acutum sonant, tenui nimirum, & cito aëre, fractoq̄; ingrediente. Si uerò patens latumq̄; sit, grauem mittunt sonum, ob crassum, lenteq̄; latum. Pariter cùm eadem organa incaluerint inaruerintq̄;, acutum sonant . Sed hæc hætenus .

Librorum inscriptiones, cur tituli appellentur . Becichemi, Alciati, aliorumq̄; sententia reiecta . Vnde factū sit, ut libri permulti nullos, uel adulterinos titulos habeāt. **C A P. X I I I I.**

CV^M olim Alciati commentaria legerem ad Titulum Pandectarum De Rebus creditis si certum petatur, animaduerti doctum cæteroquē hominem censere, Titulum inde dictum, quod factum, nomen, & memoriam tueatur auctoris . quam ille nominis notationem mutatus est à Marino Becichemo Scodrensi, qui Epistolicarum quæstionum Centuria prima, Cap. 49. sic inquit, Titulus autem dictus est, quasi tutulus, eo quod factum, nomen, & memoriam tueatur auctoris . Sic Becichemus . Quæ sententia passim recepta est, uideaturq̄;

deturque his Varronis uerbis ex lib. 6. de Lingua Latina posse comprobari, Tutulati, inquit, dicti sunt, qui in sacris capitibus habere solent ut metam. Id tutulus appellatur, ab eo quod matres familiâs, crines conuolutos, ad uerticem capitis quos habent uti uelatos, dicunt tutulos; siue ab eo quod tuendi causa capilli fiebat; siue ab eo quod altissimum in urbe, quod est arx, ea res tutissima, tutulus uocatur. Hæc Varro. Cui adstipulatur Festus lib. 18. qui titulos, milites esse dictos scriptum reliquit, quasi tutuli essent, dum patriam tuerentur. Verum ego librorum inscriptiones, titulos dictas existimo, à Flaminicarum capitis ornamento, quod uitta purpurea innexa crinibus fiebat. Idem Festus lib. 17. Tutulum uocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat uitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem, &c. Quam inuenio apud Iulium Pollucem lib. 4. ubi loquitur de calceamentis uestibusq; Tragicis, & Comicis, lenas etiam, meretricumq; matres uittam quandam purpuream capiti induere consueuisse. Quia ergo inscriptiones in librorum capitibus fiebant non sine ornamentis, & rubro colore, dictæ sunt tituli, quasi tutuli, à similitudine uidelicet ornamenti capitis Flaminicarum. Quod autem librorum ti-

Hieronymi Magii

tituli rubro colore scriberentur, satis est ex Martiale, & Ouidio manifestum. Ita enim hic ait in principio lib. Tristium,

» Nectitulus minio, nec cedro carta notetur.

Ille uerò Epigrammate 146. ad Lupericum de libro,

» Rasum pumice, purpuraq; cultum.


Legum quoque tituli eodem exarabantur colore, & ut quidam uolunt, etiam earundem initia seu primæ literæ, quamobrem rubricæ dicti sunt. Vnde Iuuenalis Satyra. 14. maiorum leges rubras dixit, et Persius Satyra 5. Mas-surij rubricam. Non solum autem librorum legumq; tituli rubro scribebantur colore, sed etiam sepulchrorum. Plinius lib. 33. Naturalis historiæ Cap. 7. ait minium in uoluminum scriptura usurpatum, clarioresq; literas uel in auro, uel in marmore, uel etiam in sepulchris fecisse. Quia uerò librorum tituli minio conscribebantur, plurimumque exornabantur antiquitus, dum scribæ librarijque spaciū & tituli & ornamenti ab ijs, quos uulgò à minio, Miniatores appellamus, scribendi, relinquunt, factum est, ut antiquorum libri non pauci, ad nostram ætatem, uel absque titulis, uel cum spurij inscriptionibus, perueuerint. Multos ego manuscriptos mem-
brana-

branaceosq; libros, & reuerendæ uetustatis tales conspexi, superioribusq; annis Ferrariæ apud Ioannembapt. Giraldum, uirum eruditissimum & amicum meum, Heronis librum περι πολεμικῶν ὀργάνων, ullo absque titulo legi: cumq; ille cuius esset auctoris, se prorsus nescire diceret, ego qui eundem librum Bononiæ in Bibliotheca Diui Saluatoris unâ cum Corrado meo, & Ioanne Andrea Sartorio legissem, Heronis esse indicaui.

Cur dies ab antiquis in duodecim horas distributus sit, & Romani hæreditatem omnem, ac pondera, mensurasq; plurimas in duodecim partes diuiserint, ex Galeno declaratum.

CAP. XV.

SEMEL tedium lætionis auctorum omnium ei, qui uelit inter doctos haberi, deorandum esse, non sine causa eruditissimi uiri censuerunt. multa enim, quæ aliquando usui esse possunt, in ijs libris delitescunt, quos uelut in cultate, quàm consecramur, longè uisus esse sepositos. Quod cum uerum esse in incertum sit, legeremq; ideò Galeni lib. De uisusque animi peccatorum notitia atque medela, in eum incidi locum, in quo scitè atque ele-



Hieronymi Magii

ganter , cur dies in duodecim horas ab antiquis , à Romanis uerò hæreditas (quam rem nemo Iureconsultorum nostrorum obseruauit) cum pluribus & mensuris & ponderibus , in duodecim partes scietur , declarauit . Loquitur autem in hanc sententiam , agens de diei horarum numero duodenario , Porrò , inquit , numerum hunc tanquam omnium utilissimum delegerunt . dimidium enim continet , & duplum , & quartum , & sextum , & duodecimum , quæ nullus alius post ipsum numerus , usq; ad uigesimum quartum , continere uideatur . Hunc etenim tanquam longiorem repudiarunt , & duodenarium numerum ueluti commoderatum iudicantes , in tot particulas totius diei tempus diuiserunt . Hanc autem partitionem ex usu esse alij multi , & Romani ipsi experientia comprobantes , atque utentes , ostendunt : siquidem hæreditatem omnem , cum testamentum condunt , in dodecim portiones distribuunt , & ponderum , ac mensurarum , quibus in uita opus est , plurimas , in duodecim partes diuidunt . Hæc Galenus . Vides quàm bene rem auctor hic doctissimus explicet . Sanè quod de miçtu duodenario animalis cuiusdam in Aegypto Serapidi dicati , ab Hermete Trismegisto obseruato traditur , unde dies in duodecim horas sit diuisa , hæc q; ab
urina

urina sint dictæ, fabulam olet. Spectant ad ea, quæ de diuisione hæreditatis dicta sunt, allata à Iustinianno Instit. de hæredibus instituentis §. Hæreditas et. §. Et si plures. cū his, quæ tum ab alijs interpretibus, tum à nobis in nostris Annotationibus scribuntur, quæ cū cuius obuia sint, consultò hîc missa facimus.

Iustiniani locus in Institutionibus, Ciceronis uerbis declaratus. CAP. XVI.

NON exilem continere difficultatem uide-
ri potest Iustiniani locus Instit. De iure naturali, gentium, & ciuili. §. Sed ius quidem. Verba Triboniani, Theophili, & Dorothei Græcorum Iureconsultorum, qui Institutiones hæc composuerunt, semperq; sub Iustiniani persona loquuntur, hæc sunt, Sed quoties non addimus nomen cuius sit ciuitatis, nostrum ius significamus. Sicuti cū Poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Vergilius. Nullo pacto hæc uerba, Imperatoris personæ, aut etiam Græcis Iureconsultis, quadrare uidentur, siquidem Græcus fuit Iustinianus, semperq; in Græcia uixit, ut non obscuris scriptorum monumentis est manifestum. Cur inquit, Apud Græcos egregius Homerus, apud

Hieronymi Magii

nos Vergilius? At dices ideò hæc uerba proferri quòd Romanorum esset Imperator, unde sub initium Proëmij, seu potius Epistolæ, quæ eisdem Institutionibus præfixa est, se Principem Romanum, non autem Constantinopolitanum, aut Græcorum appellat. Quæ ratio & si plausibilis est; potest tamen & infrascriptis Ciceronis uerbis, quæ mihi prima capessenti iuris elemèta, et hoc loco hæsitanti, lectio obtulit, huiusmodi exturbari difficultas. Sic enim inquit lib. 2. De natura Deòrum, Mutuemur hoc quoq; uerbum, dicaturq; tam æther Latine, quàm dicitur ær: etsi interpretatur Pacuuius,

» Hoc, quod memoro, nostri cælum, Graii perhibent æthera.

Quasi uerò non Graius hoc dicat. At Latine loquitur, siquidem nos non quasi Græcè loquentem audiamus. Docet idem alio loco,

» Graiugena de isto aperit ipsa oratio.

Hæc Cicero. Sic ergo hoc loco dicere possumus, Iustinianum quia Latine loquitur, quasi Latinum illis uti uerbis, par esse.

Quem imitatus Vergilius, frigus pene
 trabile dixerit. Qua ratione frigus
 urere dicatur. Aristotelis, Serui, &
 Galeoti Martii sententiæ reiectæ.

CAP. XVII.

VERGILIUS libro primo Georgicorum,
 docens, ad conciliandam terræ pinguedi-
 nem, quo pacto & cur steriles agros incende-
 re profit, inter cætera sic inquit,

» Seu plures calor ille uias, & cæca relaxat
 » Spiramenta, nouas ueniat quæ succus in
 herbas,

» Seu durat magis, & uenas astringit bian-
 tes;

» Ne tennes pluuiæ, rapidiue potentia So-
 lis

» Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus ad-
 urat.

Cum, teste Aristotele in Meteor. & Galeno
 lib. 3. de Simplic. med. fac. cap. 5. frigus den-
 sandi constipandiq; uim facultatemq; habeat,
 uidebitur fortasse semidocto alicui, malè fuis-
 se à Vergilio frigus dictum penetrabile, cum
 magis epithetus calori conuenire uideatur,
 qui, eodem attestante Philosopho, aperiendi
 raraque faciendi corpora, facultatem uirtu-
 temque continet. Verùm non ita rem habere

Hieronymi Magii •

cùm experimentum, tū Lucretij uersus (hunc imitatus esse Vergilius haud dubiè uidetur, cùm frigus penetrabile dixit) satis demonstrant. sic enim cecinit ostendere uolens difficile admodum esse creditu, quidquam in rebus solidi reperiri:

» Permanat calor argentum, penetraleque frigus

» Quando utrunque manu retinentes pocula rite

» Sensimus infuso lympharum rore supernè. Infrà uerò idem Philosophus (non enim est cur eum Poëtam appellemus, quando nihil præter uersus, poëticum habet) frigus manale appellat, ignem uerò penetralem, ut perspicuum esse possit, pari penetrandi uis & frigus & calorem pollere, rectèq; à Vergilio frigus dictum esse penetrabile. Illud uero non æquè perspicuum est, cur frigus adurere Vergilius dicat, cùm nihil magis igni, cuius propriè munus exustio est, frigore sit inimicum? Nec uerò solus hic Poëta huiusmodi uim frigori tribuit, sed etiam Lucanus, qui sic ait,

» Vrebant montana niues.

Et Cornelius Tacitus lib. 13. Ambusti multorum artus uis frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt, &c. Multi etiam alij, quos breuitati consulens silentio inuoluo, ta-

lem

lem in frigore uim agnoscunt, ex qua ratione, si Pompeio lib. 14. credimus, pruina nomen accepit, quòd fructus scilicet, ac uirgulta perurat. Seruius quidem locum his uerbis declarat, Hoc ad Solem, & ad frigus pertinet; nam uno sermone duo diuersa conclusit, quæ tamen unum effectum habent. nam & frigoris finis, est caloris initium; et summus calor, frigoris est principium. unde quasi unus effectus est et frigoris et caloris. hæc Seruius frigidè nimis, & insipidè. Aristoteles uerò libro 4. Meteor. ad rem quod attinet, in hanc loquitur sententiam, At, inquit, frigus agens est, uelut corrumpendi et labefactandi uim obtinens, uel ut ex accidenti quippiam molitur, quemadmodum supra docuimus. Siquidem frigus aliquoties & calefacere, & comburere dicitur, non more quidem caloris, sed quòd calor in unum conducatur, aut certè aduerso teneatur contactu. hæc Aristoteles. Hunc sequutus Galeotus Martius, eius tamen suppresso nomine, sic loquitur sub finè cap. 3. lib. de Doctrina promiscua, Sed frigus nunquam urit, licèt uterq; Poëta (loquitur autem de Virgilio, & Lucono) dixerit: ueruntamen causam præbet incendij: nam adueniente frigore uehementi, id caloris, quod sparsim in folijs & herbis, & alijs huiusmodi, natura locauit, adueniente

contra-

170 Hieronymi Magii

contrario colligitur in unum, & fortius iam, quæ prius fouebat, exurit. Exustio ergo à calore fit, causam præbente frigore, &c. Sed hi, ut Lucretij uerbis utar,

» *Magnopere à uera lapsi ratione uidentur. Non eo inficias, calore innato: præditas esse plantas herbasq; omnes, testantibus Aristotele ipso lib. 2. de Part. animal. cap. 3. et Galeno lib. 3. de Simplic. medic. facul. cap. 5. et ratione ipsa suadente: siquidem alimentum è terra attrahunt, alterant, concoquuntq; , crescunt, germinant, fructusque generant, quæ munera caloris esse, nemo negat: sed tantum ipsis inesse, quantus, si in unum à frigore compellatur, ad exurendum satis sit, mihi non fieri ullo pacto uerisimile, audacter affirmo. minor enim hic est quàm qui nedum exurere, sed & sensu percipi possit: siquidem plantæ non multo indigent calore ad alimentum conficiendum, cum, ut Aristoteles inquit citato cap. 3. suis radicibus alimentum iam confectum è terra hauriant, non ipsæ conficiant: quocirca excrementum neutiquam contrahunt, cum terra caloreque eius perinde ac uentre utantur. Modicus ergo ille calor omnino, quantum per ἀντιπερισσῶν unitus, exurendo est ineptus. Idq; uerum esse inde facillè intelligitur, quòd licet homo calore maximè affluat,*

quem

quem tactu statim sentimus, cutimq; frigori peruiam habeat, non tamen dum manus aut pedes frigore corripuntur, calorem adaugeri sentit, aut exustionem se pati intelligit. Cum, si res, ut Aristoteles Martiusq; arbitrantur, haberet, & calorem intra manus pedesq; in algoribus adaugeri maximè, sensuque exustionem percipi oporteat. Adhæc in maximis caloribus, cum adeò Solis æstu incalescunt herbe arboresq;, ut is sensu percipiatur, non tamen hæ exuruntur, si radicibus humoris copia suppetat. Est ergo dicendum, ob restinctum caloris innati in herbis plantisque, nullam amplius uiuidi humoris fieri attractionem, humoremq; insitum à frigore depelli, unde necessariò euenit, ut hæ tanquam ignis calore adustæ inarescant, & ideò adustæ dicantur. Quod uerum esse, hæc Ecclesiastici uerba cap. 43. fidem faciunt, eo loci, ubi de Aquilone sermo est, Et deuorabit montes, et exuret desertum, & estinguet herbam sicut ignis. Ita enim legendum est, si Græci contextus fidem sequi uelimus, non autem, Viride sicut ignem. ut habet uulgata uersio. Huc accedit Varro lib. 4. De Lingua Latina, qui sic ait, Virgultum dicitur à uiridi: id à ui quadam humoris, quæ si exaruit, moritur. Quod autem frigesacta siccantur inq; plus æquo frigesactis, calor, qui pro-

Hieronymi Magii

propriam rei naturam tuebatur, commoriatur, unde corruptioni locus sit, est admodum manifestum, si quis Aristotelem lib. 4. Meteor. & Galenum lib. 3. De Simplic. med. facult. cap. 13. legat. Huc etiam spectant è Damocratis Clinico uersus infrascripti, qui ab eodem Galeno lib. 10. de Compositione phar. sec. loc. cap. 4. referuntur, de herba Iberide uocata, & Latinè ita sonant,

- » *Aestate pendent folia, donec multa hyems*
- » *Sarmentitiâ deducat hæc ad imaginem, &*
- » *Deiecta, & exiccata depereant gelu.*

Cum igitur frigus calorem plantis innatum extinguat, omnemque euocet humorem, penitusque inarescendi causam præbeat (quod & calor efficere alia ratione solet) meritò ex quadam similitudine, comburere dicitur; non autem quòd per ἀντιπερίσσειν à frigore calor insitus in unum compulsus, adeò exardescat, ut partes, quibus obducitur, in ignis morem exurat.

Musæum Poëtam antiquissimum, dum uentos ex diametro pugnantem induxit, parum Philosophorum regulas obseruasse uideri. CAP. XVIII.

ANTIQUISSIMVS, pariter atq; elegantissim-

gantissimus Poëta Musæus, in libello De Herone, & Leandro, sic scriptum reliquit,

» μαρναμένων ανέμων, ζεφύρω δ' ἀντέπνευ
δ' ἄρος

» καὶ νότος ἐς βορέην μεγάλας ἐφέκεν ἀπειλάς.
Ideſt, Pugnantis uentis, Zephyro autem
contra spirabat Eurus,

» Et Notus in Boream magnas immisit mi-
nas.

Cum hi uenti ex diametro inuicem opponantur, haud rectè factum à Musæo uidetur, dum eos uno eodemq; tempore unà flantes, quasi pugnam conferentes, magnamque ideò cientes tempeſtatem, inducit. ſiquidem qui Philoſophicas res diligentius pertractant, id fieri non poſſe affirmant; ipſeque Philoſophorum princeps Ariſtoteles lib. 2. Meteor. ubi latè de uentis agit, huiusmodi inſimul flatus fieri poſſe negat, dum in hanc loquitur ſententiam, Sic autem ordinatis uentis, manifeſtum eſt quòd ſimul flare contrarios quidem non eſt poſſibile: ſecundum enim diametrum. Alter igitur ceſſabit uiolentiam paſſus. Non ſic autem poſitos ad inuicem nihil prohibet. Hæc ille. Sed huiusmodi non pauca apud antiquos reperiuntur, temporum culpa, quibus omnes naturæ reſceſſus non erant perluftrati. Huic Muſæi erato ſimile & illud uideri poteſt Alcæi Poë-

Hieronymi Magii

te Mitilenæi, qui potum per asperam arteriam ferri, pulmonemque eo perfundi existimavit. in hanc enim sententiam cecinit, ut legere est apud Athenæum libro 1. Dipnos. cap. 17. & lib. 10. cap. 9. ex Comitij uersione.

» *Vino pulmonem irriga,*
» *Flammata surgunt astra perfidæ Canis,*
» *Sitiunt calore cuncta, tempus est graue.*
Per asperam nanque arteriam non potus dilabitur, sed spiritus ultro citroque com meat, ut ex humanorum corporum dissectione tam apertum est, quàm quod apertissimum. οἰσοφάγος uerò poculentis esculentisq; destinatur, quam gulam Latini appellant. Verùm, ut apud Gellium lib. 17. cap. xi. relatum legimus, non solum Alcæus, sed Plato, Hippocrates, Philistio Locrus, & Dioxippus Hippocraticus, commentum de potus in arteriam pulmonemque influxu, crediderunt, ipseque Plutarchus, quanquàm Erasistrato iurè reclamante, in eorundem sententiam partim discessit.

Carnes affas elixis humidiores esse, an sit existimandum. Aristotelis, & Galeni sententiæ, quæ pugnantes uidebantur, nullo negotio conciliatæ.

CAP. XIX.

ARISTOTELES *Meteor. lib. 4. de Hepsefi, idest elixatione; ac optesi, idest asfatione agens, affas carnes elixis humidiores esse affirmat; quòd nimirum quæ affantur crusta quadam obducantur, unde meatus pori que obstruuntur, insitusq; humor euocari nequit; cùm contrà in his, quæ elixantur, humor ab aquæ elixantis calore euocetur, & quasi exurgatur. Quod uerum esse experimenta satis ostendere uidentur. Si quis enim affas carnes, non tamen admodum excoctas, scindat, humorem quendam planè aqueum statim abundè effluere animaduertet; quod tamen elixis scindendis non usuuenit, cùm humor insitus in elixantem aquam, ac in ius abierit: cuius rei haud obscurum præbet argumentum ius ipsum, quod carnem sapit, idque magis uel minus, quo magis aut minus caro hepsefim fuerit passa. Verùm quanquàm citra controuersiam, Aristotelis sententia uera esse uidetur, super ea tamen ambigere fluctuareque semidoctus fortasse lector cogetur, cùm Galenum contra-*

rium

Hieronymi Magii

rium planè sentire uiderit . in hanc enim loquitur sententiam lib. 3 . de Alimentorum facultatibus , cap. 1 . Quæ nanque , inquit , affantes , aut in sartagine frigentes mandunt , ea corpori siccius dant alimentum : quæ uerò in aqua præcoquunt , humidius : quæ in patinis condiuntur , inter hæc media sunt &c . Sed dissidium aboleri posse uidetur , si dicamus Aristotelem de insito proprioque carniū coctarum humore esse loquutum , Galenum uerò de adscitio , extrinsecusque illapso . Cum enim rem medicam pertractet , coctas ipsas carnes non absolutè quales ex se sint (qui Philosophorū mos esse consuevit) considerat , sed duntaxat pro ut se habent ad corpus humanum , quod medico faciendum esse ipse met demonstrat De Simplic. med. facul. lib. 1 . cap. nouissimo ; lib. 2 . cap. 20 . & lib. 3 . cap. 4 . & 5 . Adhæc dicendum etiam uidetur Galenum loqui de carnibus perfectè assatis , ac planè excis (artem nanque parandorum obsoniorum , quæ medico plurimùm conuenit , & de qua nonnulli medicorum libros etiam antiquitus , ut apud Athenæum patet lib. 12 . cap. 4 . ediderunt , melius Galenus ipse callebat) quæ iucundiores & gratiores quàm humidiores , ac aqua illa manantes , esse solent , quanquàm non ita concoctioni expositæ . Illud uerò prorsus

sus indubitabile est, aquam dulcem potabilemque; non solum alimenta humidiora reddere; sed etiam ulcera squalida, & quæ supra modum inaruerint, emollire, udaq; efficere, ut citato lib. I. de Simplic. med. fac. cap. 7. idem testatur: qui capite mox sequenti & hoc literis prodidit, ab aqua feruente corporibus exustis, siccitatem uti ijs, quæ ab igne sunt assa, neutiquam conciliari.

Quàm uerè Iustinianus Hippocentaurum esse non posse dixerit. De Centauris môstrorumque; ortu multa, nec pasim obuia. Vlpiani sententia reiecta.

C A P. X X.

CV M in uillam agri Anglarensis, cui *Camparma* nomen est, montanam quidem, at aucupijs, uenationibusque; & lucorum umbra ingentium æstate gratissimam, concessissem; essetque; mecum Paulus Ligijs, iuuenis legalis Philosophiæ studiosissimus, inclinato in postmeridianum tempus die, ut obrepentem somnum amoliretur depelleretque; anagnostis ille cæpit fungi munere. Anglare nanque digrediens, mutos quosdam magistros in enchiridij formam contractos, sibi comites ascieuerat, inter quos Iustiniani erant Institutiones.

H In

Hieronymi Magii

In his sub titulo De inutilibus stipulationibus, quæ adscribimus, tunc uerba legebat, At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, stipulatus fuerit, ueluti Stichum, qui mortuus sit, quem uiuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit; inutilis erit stipulatio. Hic cœpit ille subdubitare, & in eam faciliè adduci sententiam, ut Iustinianum, seu potius ueros harum institutionum auctores, lapsos crederet, dum ideò stipulationem subsistere negant, quòd Hippocentaurus esse non possit. Cuiq; enim, qui literas nossent, satis constare, Claudium Cæsarem, ut est à Plinio lib. 7. Naturalis historiæ cap. 3. relatum, scriptum reliquisse, Hippocentaurum olim in Thessalia esse natum, eodemq; die interisse: eundemq; Plinium, eius Principatu illi ex Aegypto in melle allatum, se uidisse testari. Esse igitur posse Hippocentaurum, atque ideò stipulationis robori locum esse, dicendum uideri, ille discendi studio contendebat, et ecquid ego hac de re sentirem sciscitabatur. Respódi Institutionum auctores receptam scriptorum multorum sententiam sequutos, qui Hippocentauros, seu Centauros conficta esse monstra, nunquamq; in rerum natura fuisse, censuerunt; eaq; etiam ratione non ualere stipulationem sciuisse, quia, et si huiusmodi monstra

stranascantur (similia nanq; aliquando monstra diuersiq;ue etiam generis fieri, illis minimè obscurum fuisse, nemo negabit) non tamen ullo pacto uiuere possunt; statim nanque edita emoriuntur. Qua ratione uerba hæc à Vergilio 6. Aeneidos prolata Seruius affirmat,

» Centauri in foribus stabulant, Scyllæque bifformes.

Sic enim scriptum reliquit, Bene in foribus, quia, & quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt, &c. Verùm quæ tunc memoriæ lapsu omisi de Hippocentauris monstrisq;, & ad hunc locum spectare uidentur, refero. Lucretius lib. 4. conmentitia monstra hæc esse affirmat, sic enim canit,

» Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo

» Esse queunt duplici natura, & corpore bino.

» Ex alienigenis membris compacta potestas:

» Hinc illhinc par uis, ut non par esse potis sit;

» Id licet hinc quanuis hebeti cognoscere corde.

» Principiò circû tribus actis impiger annis

» Floret equus: puer haud quaquam, sed sæ-

Hieronymi Magii

pe etiam nunc

- » *Vbera mammarum in somnis lactantia querit.*
 - » *Post ubi equum ualide uires ætate senecta*
 - » *Membraq; deficiunt fugienti laeguida uita.*
 - » *Tunc demum puerili æuo florente iuuentus*
 - » *Occipit, & molli uestit lanugine malas.*
 - » *Ne fortè ex homine, & uterino semine equarum*
 - » *Confieri credas Centauros posse, nec esse*
 - » *Aut canibus rapidis succinctas semimarinas*
 - » *Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum,*
 - » *Inter se quoniam discordia membra uideamus.*
- Idem hoc ipsum citato libro affirmat, his uerbis,*
- » *Omne genus quoniam passim simulachra feruntur,*
 - » *Partim sponte sua, quæ sunt aëre in ipso,*
 - » *Partim quæ uarijs ab rebus cunque recedunt,*
 - » *Et quæ conficiunt ex harum facta figuris.*
 - » *Nam certè ex uiuo Centauri nõ fit imago,*
 - » *Nulla fuit quoniam talis natura animai.*
 - » *Verùm ubi equi atque hominis casu conuenit imago*

Here-

» Hærescit facilè extemplo quod diximus
ante,

» Propter subtilem naturam, & tenuia te-
sta.

Cicero lib. I. Tusculanarum Quæst. Is pla-
nè, inquit, perspiciet, inter Hippocentaurum,
qui nunquam fuerit, & Regem Agamemno-
nem nihil interesse, &c. Idem lib. I. de Na-
tura Deorum, Quis enim Hippocétaurum fuis-
se, aut Chimæram putat? Sic Cicero. Cui ad-
stipulatur Ovidius lib. 4. Tristium, Elegia 7.
sic canens,

Quod precor esse liquet: credam prius ora Me-
dusæ

Gorgonis anguineis cinctâ fuisse comis.

Esse canes utero sub uirginis, esse Chimæram,

A truce quà flâmis separat angue Leam:

Quadrupedesq; homines cum pectore pecto-
ra iunctos,

Tergeminumque uirum, tergeminumque
canem.

Hammonius in lib. περὶ ἐπιφανείας, Quod, in-
quit, possibile est, & contingit aliquando es-
se; ridiculum fuerit si quis dicat esse impossi-
bile: repugnantia enim loquetur. Quod au-
tem non possibile est esse, neque esse contingit,
ut non possibile est, neque contingit Centau-
ros esse, ergo impossibile est esse, &c. Ioannes

r Hieronymi Magii

quoque Chrysoſtomus Homilia 7. ad cap. 3. Epistoła ad Colossenses, Hippocentauros, monstra esse ficta testatur. Aristot. lib. 2. Phys. ait quòd quèadmodum non inuenitur planta, quæ ex uite & olea composita, uinũ ac oleum producat, ita nõ inuenitur animal ex homine, & tauro conflatum. Palephatus in lib. De non credendis Poëtarum fabulis, & Lucanus in Phar. pariter negant Centauros esse. Orosius lib. 1. cap. 14. hæc, quæ ad rem nostram pertinet, scripta reliquit, Sed, inquit, Thessalos Palephatus in libro primo incredibilium, prodit ipsos à Lapithis creditos, dictosq; fuisse Centauros, eo quòd discurrentes in bello equites, ueluti unum corpus equorum, & hominum uiderentur, &c. De Centauris Diodorus Sic. lib. 5. & Seruius ad illud Georgicorum 3.

» Frena Peletronij Lapithæ, girosq; dedere.
 Plutarchus tamen in libro, cui titulus Latinis uerbis inditur, An brutis ratio insit, existimare uidetur, Minotauros, Aegipanes, Sphinges, Centaurosque ex promiscuo hominum cum brutis coitu nasci. Thales etiã idem usuuenire demonstrauit; traditum nanque est, cum in Periandri armento monstrum ex equa natum, quod pectore tenus humana præditum esset effigie uidisset, surridentẽ monuisse, ne pa
 floribus.

Floribus, quibus uxores deessent, uteretur. Rabbi Eleazer, uir impendio delirus, in explanationibus suis ad cap. 2. Genes. ait ex promiscuo Prothoplasti cum brutis, iumentis que omnibus coitu, monstrosos homines editos esse. quam rem retulisse, mihi erat religio, nisi prius ab Hispano quodam pio uiro, ex Franciscanorū familia, lib. 3. Fortilitij fidei (hunc enim ille titulum operi suo adscripsit) relata animaduertissem. Eadem obscœna & a piorum mentibus arcenda opinio, nugacibus quoq; Thalmudistis insedit, ut ex his, quæ ipsi in libro Hyobamud, in citatum cap. 2. Genes. ad ea uerba, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea] literis prodiderunt, perspicitur. Sed ad Centauros atque ad rem nostram redeo. Galenus lib. 3. de Vsu partium corporis humani, cap. 1. optimis demonstrat argumentis, absurdam, atque impossibilem esse Ceutauroorum procreationem; cui illud in postremis non habetur, substantiam hominis, & equæ permisceri non posse. Eius prolixum nimis sermonem, breuitati studens omitto. Aristoteles libro 8. de Historia animalium cap. 28. ea animalia, quæ diuersi generis sunt, si coierint, tunc generare affirmat, cum eadem ferendi uteri tempora habuerint, et corporum magnitudinibus non multum discrepauerint.

Hieronymi Magii

Atque idem testatur lib. 2. de Gener. anim. cap. 5. illud etiam addens, prolificam fieri admissuram, si animalia natura non multum distant. Et infra lib. 4. cap. 3. ouem ex homine uel canem, & e conuerso, progigni posse negat, quod uteri gestationis tempora non congruant. Quanquam autem monstra quasi ex homine, & bruto conflata uisuntur aliquando, talem tamen affirmat uerè non esse mistionem; Iam, inquit, puerum capite arietis, aut bouis referunt, idemq; in cæteris membrum nominant animalis diuersi, uitulum capite pueri, & ouem capite bouis natam asseuerant. Quæ omnia accidunt quidem causis supradictis, sed nihil ex his, quæ nominant est, quanuis similitudo quædam generetur, &c. Cur mulieres nonnunquam bruta pariant, legere ne pigeat apud Thadæum Flor. in explicat. in Ioannitij Isagogas ad cap. 18. Verùm res non fictæ sed factæ his, quæ relata sunt, maximopere aduersari uidentur. Scriptum enim Volaterranus in Commentarijs urbanis reliquit, sub Pio huius nominis III. Pont. Maximo, in nostra Hethruria puellam quandam quod cum cane adamato stupri consuetudinem habuisset, grauidam esse factam, ac semicanem fœtum edidisse, hoc est pedibus manibus, ac auribus caninis, cætera uerò hominem;

nem; remq; expiationis gratia ad Pontificem fuisse delatam. Memoriae proditum est, Auenione anno salutis humanæ 1543. ex simili concubitu editum esse monstrum humano quidem capite præditum, sed auriculis, collo, brachijs, manibus, ueretro, partibusq; alijs quibusdam caninis; puerperam uerò fassam esse, se à cane initam, ideoq; mox Pridie Cal. Aug. iussu Francisci Gallorum Regis unà cum cane amasio, uindicibus flammis facinus expiasse. Multa etiam alia non absimilia feruntur. Ego ut monstra huiusmodi interdum enasci non nego, ita Aristotelis, Lucretij, Galeniq; sententiam non desero. Fieri autem talia, non ex bruti, sed hominis spermate, cum Accursio, doctisq; uiris existimo, causam discordis formæ præbentæ muliere, quæ dum iniretur, animal, cuius forma fœtui conciliata sit, cogitatione menteq; cõplectebatur. Vim autem fœtum intra uterum effigiandi, scæminæ concipientis cogitationi inesse, testatus est Hippocrates, qui ut Diuus Hieronymus in Quæstionibus super Genesim refert, mulierem adulterij suspitione laborantem, eo quòd infantem enixa esset, qui nullo pacto eius uirum facie referret, hac liberauit ratione, quia pictura infanti non absimilis, eius cubiculo inesset. Quo argumêto Quintilianus, quod & ab Alciato obseruatum uidimus,

Hieronymi Magii

dimus, matronam defendit, quæ Aethiopem enixa erat, cùm eius coloris icunculam in thalamo haberet. Meminitq; Augustinus rei non dissimilis lib. 10. de Ciuitate Dei, ubi rem à Jacob excogitatam approbat, qui quemadmodum Geneseos cap. 30. scriptum legimus, ut in grege unicolore, fœtus uersicolores ederentur, uarij coloris uirgas in canalibus, ad quos potus gratia oues arietesq; accedebant, ponebat, ut in ipso calore coitus & admissura, oues ex earum intuitu fœtibus, quos conciperent, diuersos colores conciliarent. Adde quòd non sine ratione mulierum cogitationi adscribuntur pomorum nonnullorum, carniū quoque & uini formæ & colores, quibus infantum quorundam cutem respersam uidemus. quo fit ut in eandem cogitationem humana monstra, brutorum membris prædita, reijcere possimus. Ex uocata nanque imaginatione, propter motum in spiritu naturali, & uitali, ac humoribus, consequitur multifariam mutatio in humano corpore. Quin si Auicennæ lib. 6. de Naturalib. part. 4. & Algazeli credimus, humana anima nobilior, & semota à corporis passionibus, cogitationibus maximo-pere affixa, cùm principiorum superiorum, quibus materiæ obtemperant inferiores, oleat naturam, quippe quæ ab illis ortum ducat, eò excellen-

excellentiæ processit, ut ad eius nutum imperiumq; exterior etiam materia permutetur. Quam tamen uim in anima Peripateticos non agnoscere nouimus, quibus agentia et patientia communicare debent in materia; quod anima muma extra corpus exercente, non usuuenit: ut etiam censuit Thomas Garbus lib. 2. Summæ medic. scien. Tract. 4. Quæst. XI. ne alios commemorem. Sanè ipse Auicennas lib. 18. de Animalibus, ait mulieres aliquando ex cælesti (ut uoce protrita utar) impressione, monstra gignere. Astrologi quoque monstrorum ortum astris tribuunt, præsertim ijs, quæ Arietem constituunt. Domitius Ulpianus, ut cernere est in. l. Quæret aliquis. ff. de Verborum significatione, monstra Fato fieri opinatus est, ut mihi quidem uidetur non sine errore, primùm quia fati commētum iam multorum, nouissimè uerò Iulij Sirenij uiri eruditissimi scriptis sublatum est: deinde quia Aristoteles libro 2. Physicorum, monstra casu fieri, explosa eorum sententia, qui à fortuna ea prouenire putabant, contendit. Quanquàm, si propriè loquamur, nec casu quidem monstra fieri dicendum uidetur: siquidem, ut Philosophorum consensus est, effectus à casu promanantis propriè sumpti causa, exterius habetur, monstrorum uerò interius, cum si cogitationis,

. Hieronymi Magii

tionis, de qua supra loquebamur, causam re-
ctè excipiamus, monstra fiant ex materiæ lu-
xurie nimia, uel (ut eorum, è quibus hæc deli-
bamus, uerbis utamur) ex suis qualitatiuis,
& quantitatiuis dispositionibus. Idem Aristo-
teles libro posteriore de Ortu, et interitu cap.
6. quæ nec semper, nec magna ex parte gi-
gnuntur, ea spontè & fortuitò prodire ait.
Querunt Aristotelis interpretes in explica-
tionibus ad finem libri 2. Physicorum, Vtrum
monstra à natura, uel à casu profluant: Et non-
nulli bifidam monstrorum distinctionem affe-
runt: alia enim esse dicunt aggregata ex indi-
uiduo alicuius speciei & monstruositate: alia
uerò indiuidua, quibus illa euenit monstruosi-
tas. Posteriora, à natura proficisci, priora
non item. Nonnulli monstra quidem à natura
particulari nuncupata edi; alij contrà ab uni-
uersali. Peripatetici turmatim in eam sece-
dunt sententiam, ut affirmant, monstra à natu-
ra effici, enutriri, augmentumq; accipere, ue-
rùm non secundum naturam; latius nanq; pa-
tet uerborum sententia cum dicimus, aliquid
esse à natura, quàm cum secundum naturam:
siquidem non solùm habitus, dispositiones, &
formæ à natura dimanant, uerùm etiam pri-
uationes, monstra, & corruptiones, ut probè
ac lepidè à Themistio, & Simplicio in Expli-
cationi-

cationibus in prænotatū Physicorum librum,
 est adnotatum. *Auerroës monstrorum cau-*
sam, alium naturæ modum appellat. Mon-
strosos partus rarius in homine quàm in ani-
mantibus, quæ uno nixu plures edunt catu-
los, conspici ait Aristoteles lib. 4. de Gener.
anim. cap. 4. quia singulare, perfectumq; fœ-
tum edat: eamq; ob rem in regionibus, quibus
mulieres perfœcundæ sunt, ut in Aegypto,
plura edi monstrosa. Illud hîc non fuerit silen-
tio inuoluendum, quod ad Iustiniani locū præ-
notatum maximè pertinet; è monstris ipsis
nonnulla uiuere, nonnulla statim in lucem edi-
ta emori: quandoquidem, ut Aristoteles scri-
ptum reliquit, si monstra parum à sua natura
secesserint, uiuere solent, alioquin intereunt,
uidelicet cum quod præter naturam, partibus
uiuendi principibus accidit. Id autem Hippo-
centauris euenire, supra ex Plinio, & Seruio
didicimus. Vndè meritò hos esse in rerum na-
tura non posse, dixit Iustinianus, et si quis Hip-
pocentaurum dari stipuletur, stipulationem
neutiquam subsistere affirmavit, cum huiusmo-
di monstra uspiam uixisse, ueris ullius sermo-
nibus, aut scriptionibus compertum non sit,
quin multi, ut supra ostendimus, gigni non pos-
se contendant. Alexander Aphrodis. Probl.
44. libro 2. ob inopiam uel exuperantem
materiæ

Hieronymi Magii

materia modum, monstra uiuere non posse scriptum reliquit.

Ciceronis locus illustratus. Animantium multiugam esse distributionem.

CAP. XXI.

CICERO *lib. 2. de Natura Deorum, sic scriptum reliquit, Cùm igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aëre aliorum: absurdum esse Aristoteli uidetur, in ea parte, quæ sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem æthereum locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est, et semper agitur, & uiget, necesse est quòd animal in eo gignatur, idem quoque sensu acerrimo, & mobilitate celerrima esse. Quare cum in æthere astra gignantur, consentaneum est in ijs sensum inesse, & intelligentiam. hæc Cicero. Quod hîc de Aristotele dicitur, haudquaquam uerum uidetur: præter nanque duo animalium genera duobus in elementis, terra scilicet & aqua, nullum aliud hic Philosophus uspiam agnoscere animal uidetur. Quin Meteor. lib. 4. apertè inquit, in terra & aqua duntaxat animalia reperiri, in aëre autem et igne non item. quod ipsum eius Paraphrastes (sive is*
Ale-

Alexander Aphrodis. ut uulgò creditum est, fuerit; siue alius innominatus, ut *Victorius.* censuit lib. 25. *Variarum lect.* cap. 22.) arbitratus est. in hanc enim loquitur sententiam, Quòd autem uolatilia in terra sunt, cognoscere non est difficile. Sic *Paraph.* Quamquam sibi ipsi *Aristoteles* constare non uideatur, qui lib. 3. de *Gener. anim.* cap. XI. sic loquitur, si nostris utatur uerbis, Plantas enim terræ incolas quispiam esse statuerit, aquæ aquatile animalium genus, aëris pedestre, &c. Verùm hac partitione non ex sua usum esse sententia, inconfesso est. Cum ergo ex *Aristotele*, eiusq; enarratore pateat manifestè, animalia solùm terræ, & aquæ uernacula reperiri; & præterea nuspian, *Ciceronem*, qui talia de *Aristotele* proferat, quadriugamque ei animalium sectionem tribuat, parùm in *Aristotelis* librorum lectione uersatum, aut memoria non admodum fideli usum, suspicari aliquis posset. Verùm ego dixerim *Ciceronem* quæ attulit hausisse ex eo *Aristotelis* Tractatu, cuius meminit *Plutarchus* lib. 5. de *Placitis Philosophorum.* cap. 20. dum in hanc loquitur sententiam, Est, inquit, *Aristotelis* Tractatus quidam, in quo animalium genera, quadripertita esse dicit, Terrestria, Aquatilia, Volatilia, Cœlestia.

Etenim

Hieronymi Magii

Etenim cælestium quoque orbium dici animalia, non secus atque terræ. Hæc Plutarchus. Vides quàm manifestè clareq; Plutarchus Ciceronis loco affulgeat, eumq; notæ eximat. Hanc Aristotelis distributionem sequutus videtur Ovidius libro 1. Metamor. cum sic caneret,

» *Neu regio foret ulla suis animalibus orba,*
» *Astra tenent cæleste solum, formeq; Deorum;*

» *Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ;*
» *Terra feras cepit, uolucres agitabilis aër.*
Tametsi Iacobus Cruceus Bononiensis in suis Annotationibus uelit, Ouidium in his uersibus,

» *Quæsitisq; diu terris ubi sistere posset,*
» *In mare lassatis uolucris uaga decidit alis.*
innuere, aues terrestria potius, quàm aërea esse animalia, id suadente Apuleio, qui in hæc uerba loquitur, Immo si sedulò animaduertas, ipsæ quoq; aues terrestræ animal non aërium rectius perhibeantur. Semper enim illis uictus omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile: tantumq; aëra proximum terræ uolando transfuerberant. Cæterum cum illis fessa sunt remigia pennarum, terra ceu portus est. Varro lib. 4. de Lingua Latina triplicem animalium facit diuisionem, ea locans in
aëre

aëre, aqua, & terra. Cui Moses, atq; Euan-
 gelistæ ad stipulantur, dum aues cælo, idest,
 aëri tribuunt. Ex cuius etiam partitionis ra-
 tione Iustinianus (cùm Iustinianum laudo au-
 ctorem, ueros Institutionum scriptores men-
 te complector) Institutionibus sub Titulo De
 Iure naturali gent. & ciu. §. I. & infra De
 Rerum diuisione. §. Feræ. aues in Cælo nasci
 dixit. cum tamen Iureconsulti in Pandectis
 ubi similia proferunt, pro, Nascuntur, habeant,
 Capiuntur, ut. l. I. De Acquir. rer. dom. &
 in. l. Si apes. sub Titulo de Furtis, perspicitur.
 Quod consultius ab his factum uidetur, dum
 multas aues ac fortasse maiorem earum par-
 tem, in terra nidificare animaduertent; qua-
 rum nullam habuit rationem Iustinianus, ut
 cognoscere etiam licet ex §. Apum. eodem Ti-
 tulo de Rerum diuisione, in quo sic ait, Itaque
 apes, quæ in arbore tua confederint, antequam
 à te alueo includantur, non magis tuæ intelli-
 guntur esse, quàm uolucres, quæ in arbore tua
 nidum fecerint etc. Sanè Platonici, siue etiam
 Socratici, aëri tribuunt dæmones, animalia
 corpore aërea, animo passiuæ. à quorum sen-
 tentia non longè abest Martianus Capella, qui
 à medio aëris limite ad montium usq; terræq;
 confinia, Hemitheos, Heroës, Manesq;, quos
 Agatos, & Cacodæmonas uocat Graia discre-

Hieronymi Magii

tio, uersari scriptum reliquit. Sed Diuus Thomas Materia 16. De Malo. Quæstione 1. nullum aëreum animatum esse contendit ; cum corpus organicum esse nequeat, nisi terminū, figuramque adipisci possit, quod in aëre fieri non uidemus ; ex quo fit, ut Dæmones naturā nullo præditos esse corpore dicendum sit. Verum hæc alterius loci sunt.

Libri primi Miscellaneorum

F I N I S.



M A G I I

MISCELLANEORVM,

ſeu Variarum Lectionum,

LIBER SECVNDVS.

Qua de cauſa uis quædam famis non tolerabilis, quam Græci βούλιμον καὶ βούπειναν dicunt, in diebus frigidiffimis multò facilius, quàm cùm mite eſt cælum, uentriculum obſidere cõſueuerit. Eraſiſtrati, & Gellii incuria, atque oſcitatio demonſtratur. Vocis εὐδία, quæ ſit ſignificatio. Gellii uerſio reiecta, Manardus reprehenuſ, & Hippocratis locus illuſtratus. CAP. I.



RASISTRATVS *medi-*
cus apud antiquos non in-
celebris, libro διαρέσεων
primo, uim quandam fa-
mis, quam Græci βούλιμον
καὶ βούπειναν appellant, in
diebus frigidiffimis faci-
lius multò, quàm lenibus mitibusq; fieri, me-

Hieronymi Magii

morix prodidit : atque eius rei causas, cur is morbus eo plerunque tempore corpora inuadat, nondum sibi cognitas esse fassus est. Erasistrati autem uerba ab Aulo Gellio Noctium Atticarum lib. 16. cap. 3. relata, super hac re sunt infra scripta, Ἀπορον δὲ καὶ δέομενον ἐπισκέψεως, καὶ ἐπὶ τούτου, καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν βουλευσιμίωντων, διατὶ ἐν τοῖς ψύχεσι μᾶλλον τὸ σύμπτωμα τοῦτο γίνεται, ἢ ἐν ταῖς εὐδαίαις. Id est, Dubium est, indigensq; considerationis, tum in hoc, tum in ceteris famelicis, quare in frigoribus magis huiusmodi casus accidat, quam serenis temporibus. Sic enim Erasistrati uerba interpretatur Gaza, qui, ut Iacobus Constantius, & Andreas Alciatus testantur, Græca omnia, quæ apud Gellium leguntur, Latinitate donauit. Licet autem causas non afferat Erasistratus, nec Gellius in hac re suum exacuerit ingenium; ut qui non admodum esset eruditus, et, si nonnullis credimus, grammaticum non excesserit. Poterat tamen uterque hac de re aliquid apud Aristotelem cognoscere, qui Problemate 4. sectionis 8. in hanc loquitur sententiam, Cur tempore, inquit, frigido maximè uis illa famis intolerabilis incidat, qui caninus appetitus uocatus est, & hyberno potius quàm æstiuo? An quòd uitium hoc ob inopiã sicci alimenti solet acci-

accidere? Tempore autem frigido, & hyberno, cum calor in angusta se contrahit, ocius interdum deficit alimentum. quod cum defuerit, uitium id esuriendi accidere consentaneum est. At si in ea cibi uitiosa cupiditate resolutio imbecillitasq; secuta est, materia statim interna corporis à collecto calore colliquescit: quæ si ad locum cibo à natura destinatum influxerit, pro cibo seipsam corpori applicabit. Hæc ille. Qui locus licet omnino rem non aperiat, non sine tamen incuriæ atque oscitationis nota cum ab Erasistrato, tum ab A. Gellio fuit omissus. Nos autem licet rem medicam non profiteamur, aliqua afferre conabimur, quibus res ipsa penitus explicetur. Primum igitur de cibi appetentia nonnulla præscribenda sunt. Natura, ut Galenus lib. 4. de *Vsu partium corporis humani*, cap. 7. scriptum reliquit, omnibus alijs animalis particulis, uentriculo excepto, nullum eorum, quæ desunt, sensum largita est, sed eas in plantarum morem, dum assidue ex uenis alimoniam sibi defumerent, nutriri uoluit. Soli uerò uentriculo, præsertim eius partibus, quæ ad orificium pertinent, sensum indigentia ad cibum animal excitantem, conciliauit. Quod non sine ratione fuit comparatum. Siquidem cum, eodem Galeno attestante, totius corporis particula,

Hieronymi Magii

nutrimentum ex uenis à caua prognatis trahant, ipsa autem rursus caua, ex uenis epatis, hæc rursus ex his, quæ sursum ad portas feruntur, illæ rursus ex uentriculo & intestinis; cum autem nulla iam amplius particula supersit, à qua uentriculum capere oporteat, hunc ipsum extrinsecus desumpta alimonia replere, fuit animali necessarium. Quamobrem cibi facta est appetentia animalis; in alijs uerò partibus, idest uenis, suctio, & quæ naturalis nuncupatur appetentia; quæ haud aliter, ut Galenus auctor est lib. 3. de Symptomatum causis, cap. 7. quàm in plantis perficitur. Quæ res maximè fuit necessaria. Cum enim, teste eodem, loco citato, & in libro de Dissolutione continui sub principium, ac in libro de Marasmo, siue de tabe, à quolibet animali melior, & tenuior pars per cutem effluat, atque in aërem abeat, cogente ad id innati in nobis caloris perpetua in humorem actione, quo fit ut corporis substantia, partesq; inaniantur, atque imminuantur, ex qua sanè inanitione imminutioneque, ad mortem citra dubium uia sterneretur, idcirco nutrimenta à partibus, uenisq; & à uentriculo, qui circa os (ut idem Galenus ait prænotato cap. 7. & lib. 4. et itè 6. et 9. de Usu par. corp. hum.) abundantiori præ cæteris partibus, ob neruos eò

à cerebro pertingentes, sensu præditus est, maximopere exiguntur. Quinque igitur motibus cibi naturalis fit appetentia, Aëtio Serm. 9. cap. 20. & Galeno eodem cap. 7. auctõribus, qui se inuicem comitantur, scilicet primum inanitione, inanitarum partium naturali appetentia, uentriculi suctione, suctionis sensu, demum omnium nouissima animali appetentia. Atq; hæc quidem ex naturæ præscripto.

DEPRAVATA uerò appetentia fit, si uehementiæ modus excedatur, ac tunc, ut Galenus ait, à nonnullis canina appetentia uocatur, cum uel ob acidi humoris uitium uentriculus mordicus infestatur, uel ubi totum corpus immodicè dissipatum, assidua indiget nutrictione. Quippe frigidi humoris uitium rosionem, quæ suctioni proportionem respondeat, inducit: ac appetentiam haud aliter quàm naturale pathema excitat; atque cibi magis quàm potitionis desiderium adfert, idq; propter refrigerationem. Quo fit ut ad famem excitandam frigus in uentriculo non parum conferat, nam & uacua reddit corpora, ac ipsorum tunicas cogens, constringensq; , famem suscitatur. At inter potissimas continentessq; causas, quibus fames impeditur, calor numeratur, quippe solidiora corpora laxando dissoluit, atque ad attractionis functionem reddit imbecilliora: hu

Hieronimi Magii

mida uerò fundendo, supra modum extendit. Igitur caninæ appetentiæ causa una est acidorum humorum uitium, altera uerò, ut dictum est, plurima per totum corpus inanitio. Hæc Galenus, qui Com. 21. sect. 2. Aphor. caninæ famis causam dicit esse, uentriculi intemperiem frigidam, & acidos humores, os ipsius irritantes, cui Aëtius concinit Serm. 9. cap. 21.

Fit præterea in uentriculo βούλιμος, id est ingens fames, de qua Galenus citato cap. 7. lib. 3. de Sympt. causis, in hanc loquitur sententiam, Accidit adhæc βούλιμος, id est uehemens fames, ita enim uocant; estq; huius particule symptoma, cum simul & penuria, imbecillitate, & refrigeratione afficitur, &c. Loquitur autem de uentriculi ore, cui Aëtius probè astipulatur Sermone prænotato, cap. 16. inquit βούλιμον ex uentriculi frigiditate oriri, indigentia, ac uirium imbecillitate; huiusq; symptomatis sæpenumero causam præbere longas per niues peregrinationes, totum corpus uentriculumq; luculenter refrigerantes. Idem Galenus Com. 21. in lib. 2. Aphor. bulimi meminit, inquit, si Latino sermone utatur, Passio βούλιμος nominata, est casus potentia ex frigiditate exteriori, qui à fame quidem inchoauit, sed non habet eam amplius adiun-

adiunctam, &c. Eadem ferè habet Auicenna lib. I. Fen 1. Doct. 3. cap. 3. & lib. 3. Fen 13. Traët. I. cap. 19. & Traët. 2. cap. 12. Quamobrem Franciscus Valeriola Physicus eruditissimus & Galeni nobilis explanator, miratur quid Alexandrum Trallianum impulerit, ut diceret lib. 2. cap. 23. βούλιμον à nimio calore enasci, cum reliqui omnes & Arabes & Græci, à frigiditate proficisci, quod et res ipsa docet, affirmauerint. Minimè autem est ignorandum, βούλιμον à Canina appetentia differre; quòd perpetuò in canina appetentia fames urgeat, in bulimo non item; quanquam à fame inchoauit, sed prostrata tandem uentriculi facultate perit, à frigiditate exteriori, deleta sentiendi potestate; tum etiam quòd illa ab acidis succis ortum ducit, hæc sine his consistere potest, ut Galenus citato Com. 21. in 2. Aphor. testatum reliquit. Est igitur satis manifestum βούλιμον de quo Erasistratus agebat, à frigore proficisci. unde non mirum si in diebus frigidis hoc symptoma multò facilis accidat, quam cum mite, clemens tepidūq; est cælum. Tamen si et calorem etiam huic symptomati, sed propter frigoris ἀντιπερίσσειαν, causam parte aliqua præbere dicendum est, cum Galenus, & Aëtius, ut supra perspicere licet, uentriculi etià inopiæ βούλιμον ascribant, quæ

Hieronymi Magii

non nisi à nimio calore, ut prænotato Aristotelis loco, exq̄; Galeni ipsius dictis de animali appetentia, & ex his, quæ scripta reliquit Meletius in libro de Natura hominis, satis liquet, efficitur. Quam rem & Auicenna suadet, sic inquit lib. 3. Fen 13. Tract. 2. cap. 12. Fames autem secundum plurimum est à superfluitate caloris in corpore toto, & in extremitatibus eius — Caliditas enim cum dominatur corpori, resoluit, & cogit uenas uti suctione post suctionem, donec perueniat ad os stomachi capiendo quod aggregatum est &c. Qua ratione crediderim Alexandrum Trallianum adductum, ut βούλιμον à calore nimio ortum habere diceret, præsertim cum hoc eodem loco Auicenna, in causa canini appetitus, agnoscat calorem superfluum in ore uentriculi resoluentem, & instaurationem exposcentem. Vt idem Trallianus senserit, βούλιμον à calore quidem nimio ex frigoris antiperistasi adaucto, ortum ducere, perfici autem mox à nimio frigore uentriculum obsidente, sentiendiq̄; potestatem abolente. Quod si uerum sit, quantum ad ortum spectat, calorem communem habebit βούλιμος cum canina appetentia (et si ab acidis etiam succis hæc enascitur) nec iure mirari uidebitur Valeriola.

NON est ergo in obscuro bulimi causa, nec
res

res consideratione multa indiget, ut Erasistratus censuit.

HIS pro ingenij nostri captu explicatis, proximum uidetur, ut aliquid de uoce & δία, qua usus est Erasistratus, scribamus. Gaza, ut uides, uerba Erasistrati, ἢ ἐν ταῖς ἐυδαίαις, uertit, Quam in serenis temporibus. qui tamen apud Hippocratem Aphor. 12. part. 3. uocem ἐυδαίος, ad teporem in sua uersione retulit. Gellius ipse in uocis eiusdem interpretatione, serenitatem placiditati iunxit, inquiring, Quam cum placidum serenumque est. sed male uterque, ut mihi uidetur: siquidem nullam habuit Erasistratus rationem serenitatis, quia opposuit uerba ἐν ταῖς ἐυδαίαις, uerbis illis ἐν τοῖς ψύχεσι. quorum significatio est, In frigoribus. Frigora autem, ut neminem latet, serenitatem sepius non excludunt, & caloribus teporibusque opponuntur. Sanè Aristoteles lib. 2. Meteor. Aparctian frigidissimum niuosumque, serenum esse dicit, serenos etiam esse affirmans Thrasciam et Argestem uentos, ut quotidie experimur, neutiquam tepidos, & qui locum inter Septentrionarium, Zephyrumque medium occupant. Sunt autem hi decepti à uocis etymo. cum enim ex ἐυ, quod est bonum, & δία, idest Iouis, hoc est aëris, conflatur; serenitasque ipsa, & placiditas bonum aërem

Hieronymi Magii

aërem efficiant, ideò serenitatem placiditatemq; significari existimauerunt. Eustathius Constantinopolitanus in Com. in 4. Odyf. ad rem quod attinet, in hanc sententiam loquitur, Respondet igitur proportione ἔνδιος, idest meridianus, ad ἔυδιος, idest εὐαέριος [hoc est boni aëris] cuius fœmininum ἔυδία, idest εὐαερία, idest bona aëris constitutio. Idem in 16. Iliad. ἔυδία, & αἰδρία, idest serenitatem, idem significare ait. Cum igitur uox bonum aërem significet, & non simplici de causa aërem bonum appellemus, factum est ut una eademq; uox ἔυδιος, & ἔυδία uariè ac multipliciter ab auctõribus usurpetur, ut pro bona die, pro serenitate nonnunquam, aliquando pro tranquillitate, & aëris malacia, uentorumq; carentia: interdum pro tepore: item pro miti, leniq; aëre: præterea pro tempore lento, ut est à quibusdam non indoctè obseruatum. Hippocrates loco superius citato hac uoce teporem significauit cum inquit, ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος, καὶ ἔυδιος γένηται; τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες &c. hoc est, Si uerò hyems Austrina, pluuiialis, & tepida fuerit; uer autem siccum, & Aquilonium, mulieres quidem &c. De qua uoce notum satis est quanta exorta fuerit lis & digladiatio inter Manardum & Leonicensem; existi-

existimâte Manardo eam ex Aphorismo expungendam cum alijs de causis, quanquàm non satis urgentibus, tum quia Galenus ipse in Com. uocem non agnoscat. Sed fallitur Manardus uir alioqui eruditissimus, & qui etiam quandam medendi artem multa cum elegantia primus ostendisse uidetur; nam ut cætera eius argumenta missa faciam, ad Galenum quod attinet, non satis oculatus uidetur, siquidem in eius Com. tepiditatis seu caloris fit mentio, & uox εὐδιος agnoscitur. sic enim ait, γὰρ δὲ ὅτι τοῦ χειμῶνος μὲν ὑγροῦ, καὶ θερμοῦ γενομένου, τοῦ δ' ἥρου ξηροῦ, καὶ ψυχροῦ, γοσιὲν ἀναγκαῖον ἐστὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἐν αὐτῷ τῷ ἥρῳ εικτέον ἐστὶν.

Et infra.;

Ἐγὰρ γὰρ τὰ σώματα καὶ μαλακὰ, καὶ ἀραιὰ γεγονότα, κατὰ τὸν εὐδιον χειμῶνα, ῥαδίως εἰς τὸ βάθος αὐτῆν διαδίδωσι τὴν ἐκ τοῦ περιέχοντος ψύξιν. Præter autem Galenum, ratio ipsa suadet, uocem hoc significatu esse accipiendam; quia hæc uerba ἦν δὲ ἕαρ νότιος ὁ χειμῶν καὶ ἐπομβρος, καὶ εὐδιος γένηται. opponuntur illis, τὸ δὲ ἕαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον. sunt enim contrariæ aëris constitutiones, hyemis quidem tepens, & humida; ueris autem frigida, & sicca. Aquilo enim, qui & Boreas dicitur, frigidus est, ut testatur Galenus in Com. in pri-

imum

Hieronymi Magii

num Epidim. Vnde iure optimo Ouidius libro 1. Metamor. horrifera uocauit, sic enim canit,

- » Scythiam septemq; triones
- » Horrifera inuasit Boreas, contraria tellus
- » Nubibus assiduis, pluuioque madescit ab Austro.

Auster autem calidus est, ut idem Galenus ait, nisi si quando, raro ualde in ueris initio frigidus, aut alia hora exiguo tempore similis spirauerit. Eam ob rem Ouidius infra lib. 7. inquit,

- » Læthiferis calidi spirarunt flatibus Austri. Idem lib. 4. de Ponto, Eleg. 10. eundem uentum tepidum uocat. Atqui res non eget testimonijs, sensu enim uentos hosce tales esse depræhendimus. Sed dices, si Auster calidus est, cur addita est uox εὐδίας? superfluere enim uidetur, cum Hippocrates hyemem Austrinam dicens, calidam (ut etiam Thadæus Florentinus in Com. suo scriptum reliquit) dicat, seu intelligat. Respondeo factum id esse ab Hippocrate, ne quis procellosam hyemem intelligeret: haud enim obscurum est, Austrium esse procellosum aliquando, attestantibus Aristotele libro 2. Meteor. & Galeno in Com. ad part. 3. lib. 3. de Morbis uulg. qualem non uult appingere nobis Hippocrates (solet

let enim hic esse siccus, ut ibidem Galenus affirmat) sed lenem alium & clementem, pluium tamen. Siquidem uer duntaxat tempestosum intelligit, ut ipse met sui ipsius interpres demonstrat in libro de Aëre aquis & locis, de eisdem constitutionibus in hanc sententiam scribens, Si uerò hyems Australis fiat, & pluuiosa & clemens; uer autem Boreale & siccum & tempestosum [siue, hyemale] primùm quidem mulieres, quæ uterum gestant, &c. Eius autem uerba hæc sunt ἢν δὲ ὁ μὲν χειμῶν νότιος γένηται, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὐδῖος: τὸ δὲ ἢρ βόρειόν τε, καὶ ἀψιμυρὸν, καὶ χειμέριον, πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας, ὁκόσαι ἂν τύχῃσι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι, &c. Ex quo loco etiam patet Manardi sententiam erroris neutiquam esse exortem, dum uocem εὐδῖος, ex Aphorismo delendam putat: nam hic ubi eadem repetuntur ab Hippocrate, posita est.

Quæ fuerint apud antiquos Diuisiones: quibus, & quando dari consueuerint. Declarata hæc uox in Pandectis, Accursii, Bartholi, Romani, & Tiraquel li error demonstratus. CAP. II.

MARCELLI Iurisconsulti doctissimi, hæc uerba in Pandectis sub Rubrica de Annuis

Hieronymi Magii

*Annuis legatis, & fideicommissis, leguntur, Cùm quidam Decurionibus diuisiones dari uolisset die natalis sui : Diui Verus, & Antoninus rescripserunt, non esse uerisimile testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato.] Quid per Diuisiones sit à Marcello significatum, nullus ad hanc usque diem explicauit; uox enim Latinis auctoribus est insolens, usque adeò ut obscura omninò sit. Vnde non mirum esse debet, si Budaus, Alciatus, alijq; ex Iureconsultis nostris non pauci, nec indocti, qui Pandectarum libros librariorum culpa deprauatos, tenebrisq; obsitos repurgarunt, scriptisque & annotationibus illustrare contendunt, eam taciti, ut alias uoces prateruolarunt. Equidem dum olim Perusie, mox Pisis, ac demum Bononiæ agerem, et inter doctos homines cõmunium studiorum gratia uersarer, ad eos, qui ex his nomine erant non obscuro, de re & uocis significatione retuli, ac neminem inuèni, qui quidquam, quod uerum, aut saltem uerisimile uideretur, afferret. Cùmq; ex diutina sententiarum exquisi-
tione iam essem defatigatus, uiresq; ingenij omnino considerent, & flaccescerent, re penitus deplorata, forte euènit, ut in quædam aduersaria mea inciderem, quibus elogia epitaphiaque, quæ in antiquis lapidibus passim in
Italia,*

Italia, & prouincijs leguntur, subnotaram. Harum inscriptionum tribus perlectis, quæ fuerint apud antiquos Divisiones, et quo tempore, ac quibus dari consueuissent, planè intellexi. Inscriptiones sunt quæ apponuntur. Comi hæc uisitur sæculorum iniuria mutilata ditritaque.

— DIVID. OLEVUM, & propin. ꝯC. DCCL. præbeant. Item lectis sternium tempore parentaliorum ex ꝯC. CC. memorijs eiusdem Valerianæ, & Appi Valeria. fil. eius per offic. Tesserarior. quodannis ponatur, & parentetur. Item coronæ myrt. ternæ & tempore rosæ Iul. ternæ eis ponantur micatæ de silitis ex ꝯC. L. profundantur. Item Appius Eutybianus maritus eiusdè Valerianæ scholæ Vexillariorum largitus est HS. XXX. N. L. cuius summæ reditu quodannis die ss. natalis eius ante statuam lecti ex ꝯC. CCL. ponant. Sport. ꝯC. CCL. inter præsent. sibi diuid. oleum & propin. per rosam PRAEBEANT.

Quæ sequitur, Rauennæ legitur, & à Volaterrano etiam lib. 16. Com. urbanorum, à Blondo Forol. libro 2. Romæ triumphantis, & ab alijs refertur, sed non admodum emendatè.

Hieronymi Magii

D.

M.

FLAVIAE Q. F. Salut. coniugi carissimæ
 L. Publicius Italicus Dec. orn. et sibi v. Po-
 suit. Hic Coll. Fabr. \overline{M} . \overline{R} . HS. XXX. VI. ded.
 Ex quo redditu quotannis Dec. Coll. Fabr. \overline{M} .
 \overline{R} . in æde Nep. quâ ipse extruxit die Neptuna-
 liorū præsentibus Spor. $\triangleright|<$. bini diuiderentur.
 Et Dec. XXVIII. siue $\triangleright|<$. centeni quinq-
 uageni quotannis darentur. Vt ex ea summa si-
 cut soliti arcam Publiciorum Flauiani, et Ita-
 lici filiorum, & arcam in qua posita est Fla-
 uia Salutaris uxor eius, rosas exornent de
 $\triangleright|<$. sacrificentq; ex XXII. & de reliquo
 ibi epulentur. Ob quam liberalitatem Col.
 Fabr. \overline{M} . \overline{R} . inter benemeritos quotannis
 rosas Publicijs supra se & Flauia Salut. uxo-
 re eius mittendas ex $\triangleright|<$. XXXV. sacrifi-
 ciumq. faciendum de XX. HS. per MAGI-
 STROS DECREVIT.

Tertia Reate conspicitur, estq; in hæc uerba.

T. FVNDILIO Geminio VI. uir. Aug.
 Mag. Iuu. Augustales patrono & Quinq.
 perpetuo optime merito. Hic arcæ Augusta-
 lium se uiuo HS. XX. dedit. ut ex redditu e-
 ius summæ die natali suo IIII. K. Febr.
 præsentibus uescerentur. Et ob dedicationem sta-
 tue Decurionibus & Seuiris & Iuuenibus
 Sportulas, & populo epulum et oleum eadem

DIE

DIE DEDIT.

Vides quàm bene ex harum inscriptionũ tanquam commentariorum quorundam lectiõne, Iureconsulti uerba explicentur, et Diuisionum significatio, & consuetudo sub obtutum ponatur. Fuerunt igitur hæ Diuisiones, scilicet sportulæ, pecuniæ, oleum, crustum, uinum, aliaq; id genus nec absimilia, quæ testatores Collegijs, & sodalitatibus, militijsq; negociatorum & artificum, item Decurionibus, populoq; interdum, die natalis, quæ uiuentibus fuerat celeberrima atque honorata, parentaliorumq; tempore singulis annis dari testamento cauebant. Harum Diuisionum meminit etiam Paulus Iurisconsultus in eisdem Pandectis sub titulo De Legatis, his uerbis, Ciuitatibus legari potest, etiam quod ad honorem ornatumq; ciuitatis pertinet. Ad ornatum puta quod ad instruendum forum Theatrum, stadium legatum fuerit. Ad honorem puta, quod ad munus edendum, uenationem, uel ludos Scænicos, ludos Circenses relictum fuerit: aut quod ad Diuisionem singulorum ciuium uel epulum relictum fuerit, &c. Huiusmodi Diuisiones à uiuentibus etiam lætitiæ gratia dari consueuisse, non est ambigendum. Dabant antiqui Diuisiones nedũ Decurionibus, ut cognoscitur ex pridem relata inscriptione, sed etiam

Hieronymi Magii

*eorum liberis . inter cætera Diuisiones panis
& uini . Fulginæ in lapide peruetusto in hor-
tis Alexandri Elmi sic legitur ,*

— PATRONO Ciuit. Foro Flam. Fulgi-
nia. Itemq. Iguuinorum splendidissimus ordo
Floro Flami. Cuius dedicat. Decurionibus, et
liberis eorum panem et uinum, et $\text{L} \text{L} \text{XX}$.
 $\overline{\text{N}}$. Itē municipibus $\text{L} \text{L} \text{IIII}$. $\overline{\text{N}}$. DEDIT.
Qui integram inscriptionem legere auet, eam
perquirat in Emendationibus, suspitionibusq;
Malæspinæ in Epiſtolas Ciceronis ad Atti-
cum. Perusia in templo Diui Angeli in perue-
tusto lapide, qui aræ adstructus est, huiusmodi
legimus inscriptionem ,

C. VIBIO. C. F. L. $\overline{\text{N}}$. TRO. GALLO.
PROCVLEIANO PATRONO PERV-
SINORVM. PATRONO ET CVRATO-
RI R. P. VEETONENSIVM. IVDICI.
DE. V. DEC. AEDILI. PATRONO COL-
LEGI CENTON. VIBIVS VELD-
MNIANVS AVO KARISSIMO. OB CV-
RIVS DEDICATIONEM DEDIT DE-
CVRIONIBVS. $\frac{\text{V}}{\Lambda}$ II. PLEBI $\frac{\text{V}}{\Lambda}$ I.

D. D. D. D. .

*Inuenio aliquando, lætitiæ gratia datas ab Im-
peratore Romano Diuisiones Senatui, Equiti-
bus et plebi, ut apud Suetonium in Flauio Do-
mitiano,*

mitiano, Senatui quidem & Equiti distributa esse panaria; Sportellas uero cum obsonio plebi. Adhæc apud eundem Suetonium in Nerone Claudio, & apud Tacitum lib. 14. in dedicatione Thermarum & Gymnasii, ab Imperatore præbitum fuisse oleum Senatui & Equitibus. Multiplices igitur erant diuisiones priuatimq; & publicè, et non una de causa, ut ex his, quæ relata sunt perspicere licet, dabantur. Quod spectat ad Decuriones, Alciatus in Comment. ad l. Pupillus. ff. de Verb. signific. solum obseruauit, eos, uiritim binos denarios, uel huiusmodi certam quantitatem, ab ijs, qui in ordinem cooptarentur, recipere consueuisse, item quoties aliqua statua ædícula'ue dedicaretur, aliquid eo nomine ipsis dari, fuisse in more positum; quæ pecunia Sportula quoque appellari soleret, ut in l. Spurius. ff. de Decurionibus. Idem Dispunctionum lib. 3. cap. 17. sic inquit, Cæterum cum aliquis magistratum nouum inibat, uel alicuius lætitiæ causa, per liberalitatem pecunias Decurionibus distribuebat; quod singulis dabat, sportula dici cœptum est. Sic Alciatus. Sed aliæ etiam res, ut ex suprâ relatis patet, Decurionibus dabantur, quod non fuit ab Alciato animaduersum. Sane aliæ sunt Sportulæ, aliæq; Diuisiones, quarum meminit Diuus Cyprianus lib. 3. Episto-

Hieronymi Magii

larum Epistola 5. ex harum tamen, ut opinor, similitudine quadam dictæ. eius uerba sunt hæc, Cæterum Presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, ut & sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æquatis quantitibus partiantur &c. Reliqua, quæ de Sportulis ab Alciato locis citatis, à Ferrario in Annot. ad S. Sportularum. sub Rubr. de Actionibus, in Instit. ab Augustino Datho lib. 2. Epistolarum in Epistola ad Franciscum Cardinalem Senensem, & ab alijs scribuntur, notiora sunt quàm quæ hîc referri debeant. Quod pertinet ad superius relata Marcelli uerba, Accursius & post Accursium Bartholus, ita contextum accipiunt, ut Iureconsultus loquatur de quodam, qui suo testamento Decurionibus Diuisiones (quæ essent hæ non declarant) dari iussisset die natalis sui, idest mortis die, quasi tunc natus ille esset ad gloriam, ut fit inquit Accursius, de natiuitate Sanctorum. Quod glossema, tametsi nihil eo sit insulsius, commēdat non sine manifesto errore Romanus Sing. 33. cuius hoc est initium, Quia cras est festum. retulit q; aliquando & secutus est eruditissimus Andreas Tiraquellus. Diem uerò natalis pro die mortis, nõ esse apud Marcellum sumendũ, apertè demonstrant inscriptiones suprà relatæ, pri
ma

ma scilicet et tertia. Defunctorum natales apud Græcos etiam celebrari, honorariq; cōsueuisse demōstrat Lucianus in Demosthenis encomio. Adde quòd nullibi reperies apud auctores, si excipias Christianos, de quibus non loquitur Marcellus, diem mortis, diem natalis appellari. Diem autem natalem celebrem apud antiquos fuisse, magnaq; hilaritate agi cōsueuisse, nemi nem latet, & cognoscere licet apud Ouidium lib. 4. Tristium Elegia 13. & lib. 5. Eleg. 5. Item ex illo Vergilij uersiculo
» Phyllida mitte mihi, meus est natalis Iolla.
Alijs testimonijs in re satis manifesta supersedeo.

Inter catamitos meritoriosque pueros ponendum esse discrimen. Mendum, quod Vallæ libris infederat, demitur, & etymologia huius uocis, Catamitus, passim recepta, reiicitur, ac cur pueri concubini, Catamiti sint dicti, demonstratur. CAP. III.

LAURENTIUS Vallæ homo doctus, qui Latini sermonis elegantiam à barbarie, in qua planè obruta iacebat, magno labore uindiciavit, libro 4. suarum Elegantiarum cap. 90. ita habet, Scorta mascula, pueri meritorij uo-

Hieronymi Magii

cantur. quidam aiunt hos pueros dici *Catamitos*, quod mihi non uidetur, sed potius concubinos. meritorij nanque ut meretrices precio merent. Cicero in *Ant.* Ingenui pueri cum meritorijs, scorta cum matribus familiâs uersabantur. Hæc *Valla*. Voluit autem reprehendere *Seruium Vergilij* enarratorem, qui in *Com. in Eclogam 8.* sic ait, Modò tamen ideò ait, *Sparge marite nuces. ut eum culparet infamiæ.* Nam meritorij pueri, idest *Catamiti*, quibus licenter abutebantur antiqui, recedentes à turpi seruitio, nuces spargebant, idest ludum pueritiæ, ut significarent se puerilia cuncta iâ spernere. Hactenus *Seruius*. Negat *Valla* pueros meritorios, *Catamitos* posse appellari, & concubinos potius dicendos esse existimat, quòd meritorij in meretricum morem prostarèt, corpusq; precij gratia inuulgarent. Sed animaduertere potuit *Valla*, *Catamitum*, cõcubinum significare. *Festus lib. 3.* *Catamitum*, inquit, pro *Ganymede* dixerunt, qui fuit *Iouis* concubinus. Quamobrem adducor ut credam, corruptum esse *Vallæ* contextum, atq; ideò ita esse legendum, *Quidam aiunt hos pueros dici Catamitos, seu potius cõcubinos; quod mihi non uidetur, &c.* Et eo facilius, quia ipse inter meritorios pueros, & concubinos (de his autem loquutus est *Seruius*, ut indicant illa eius uerba,

uerba, *Recedentes à turpi seruitio*) ponit discrimen, ut uelit, *meritorios esse*, qui *meretricum instar*, sui *peccatissimi mercedis gratia*, copiam omnibus facerent: *concupinos uerò*, qui *pro concubinis haberentur*. Contra quam differentiam esset itum, si *meritorios pueros*, *concupinos appellandos esse diceret*. quod de docto uiro arbitrari, non est rationi consentaneum.

Sanè quantum spectat ad uocem, *Scortum*, forsasse citra errorem dici possit, hanc *concupinum puerum* etiam significare. *Liuius Dec. 4. lib. 9.* Inter cætera, inquit, *Cato obiecit ei Philippum Pœnum charum*, ac *nobile scortum*, ab *Roma in Galliam prouinciã spe ingentium donorum perductum*. *Tranquillus quoque in Vitellio*, *Tiberij Catamitos*, *scorta* appellat, *Pueritiãq;*, ait, *primãq;* *adolescẽtiam Capreis egit inter Tiberiana scorta*, & ipse perpetuò *Spintriã cognomine notatus*, existimatusq; *corporis gratia*, *initium et causa incrementorum patri fuisse*. Hæc ille. *Tiberius enim*, ut idem *Suetonius in eius uita testatur*, *conquisiuit Capreis in secessu illo*, *puellarum*, & *exoletorum greges*, et *monstrosi concubitus repertores*, quos *Spintrias* appellabat. *Catamitos*, *pueros esse meritorios*, & sic dictos, quasi *κατὰ μισθόν*, idest *pro precio*, cum *Græci μισθόν mercedem uocent*, passim credi-

tum

Hieronymi Magii

tum est. Hunc errorem non solum in Callepini Lexico à doctissimis uiris emendato magnaq; accessione locupletato, sed etiam in Scopæ Grāmatici non contemnendi Spicilegio, atque apud alios inuenies. Fuit aliquando cum à uoce *μῆξις*, quæ concubitum coitumq; significat, & *κατὰ*, dictos augurarer; quasi quis dicat, pro concubitu. Deinde à uerbo *καταμύω*, quod est inclino & incuruo, pueros muliebria patientes, Catamitos nuncupatos putabam, ut cum litera, Υpsilon in tertia nō per, I, uox scribenda esset. Satis enim constare apud Latinos uidebam, uerbum Inclino, et Incuruo, obscœnitatem, quæ in huiusmodi pueris peragitur, significare. *Martialis*,

» Incuruabat Hylá posito Tyrinthius arcu,

» Tu Megaram putas non habuisse nates?

Iuuenalis Satyra decima,

» —quot discipulos inclinet *Amillus*.

Antiqui de his Ocquiniscere dicebant, *Nonnius*, Ocquiniscere, inquit, est propriè inclinare. *Pomponius Prostibulo*, Vt nullum ciuem pedicau per dolum, nisi ipsius orans ultrò qui ocquinisceret. Demum uerò *Festi librum primum, tertiumq; legens*, omnia hæc nugas esse intellexi; cum ex ijs, quæ ille scripta reliquit, faciliè cognoscatur, Catamitos, quasi *Ganymedes nuncupatos*, ut hac uoce, solum

lùm concubini, non reliqui muliebria patientes, significantur, quòd Ganymedem ab antiquis Catamitum dictum, referant. hic enim priscorum fabulis, Iouis concubinus dicitur, unde Martialis,

» *Dixit idem quoties lasciuo Iuno Tonanti,*

» *Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.*

Festi libro primo uerba hæc sunt, Alcedo, inquit, dicebatur ab antiquis pro Halcyone, ut pro Ganymede Catamitus, pro Nilo, Melo: & infra, Alumento pro Laumedonte à ueteribus Romanis, nec dum assuetis Græcæ linguae, dictum est. Sic Melo pro Nilo, Catamitus pro Ganymede, Alphius pro Alpheo dicebatur. Libro uerò 3. Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus.

Quæ uerba supra etiam citauimus. Hoc nomine Ganymedem appellauit antiquorum more Plautus. quem non adeò antiqui auctores sequuti sunt, Macrobius enim libro 5. Saturn. cap. 16. mentionem faciens de Ganymedis rapto, Catamiti pellicatum dixit. Ausonius autem Gallus,

» *Aut Iouis Elysi qui Catamitus eris.*

Hieronymi Magii

Spinthriæ, unde sic dicti, Pii Bononien-
sis, & Sabellici sententiæ improba-
tæ, emendatæque hæc uox in Tran-
quilli, & Lampridii codicibus.

CAP. IIII.

PRAECEDENTIS capituli nonnullis ne-
cessariò referendis cum semel erubueri-
mus, ante quàm rubor depellitur, de Spin-
thrijs quorum Tranquillus in Tiberio, &
Lampridius in Heliogabalo meminerunt, non
nulla, quantum ad uocem pertinet, scribenda
uidentur. Quæsiuerunt eruditi uiri unde nam
à Tiberio monstrosi concubitus repertores, qui
triplici serie connexi, ut ait Tranquillus, inui-
cem incestarent se coram ipso, Spinthriæ sint
appellati. Sabellicus in explicationibus suis
in Tranquillum, à fauillis dictos arbitratur;
Pius uerò Bononiensis à Spynthurnice. sic e-
nim inquit cap. 16. suarum Annotationum,
Est & auis inauspicata, quam nostri Incendia-
riam, Græci Spynthurnicem dicunt, Plautus
per diminutionem Spynthurnicium, de qua Pli-
nius, & Aristoteles meminerunt: à qua diræ
& inauspicatæ, idest execrandæ libidinis in-
uentores, & artifices, uocati sunt Spynthriæ,
non autem à fauillis, ut quidam coniectant.
Hæc Pius. Sed quid monstrosi concubitus ar-
chitectis

chiteētis cum fauillis? Non sunt etiam ab aue illa inauspicata Spynthriæ nuncupati, siquidem non alij hoc nomen nequissimis illis exoletis indiderunt, sed, ut Tranquillus ait, Tiberius ipse, qui eos in delitijs habebat, eorumq; aspectu deficientes libidines excitabat, sic eos appellare solebat. est uerò maximè absurdum putare, hunc ab aue inauspicata infamiq; eos nominasse, alioquì suas delitias, libidinesque, quâquam immanes, quibus mirum in modum deletabatur, suosq; mores, execratus uideri potest, seq; obscœnitatis reum planè agere. Censui aliquândo sic dixisse à Græca uoce Σφιγκτηρ, quæ ani (honor sit auribus) musculum significat. Galenus in libello De Vteri dissectione, Podicem autem, inquit, dico totum rectum intestinum: laxiorem uerò podicis partem infernam, recti intestini partem, ubi etiam maximè dilatatum est, & ad cuius finem adstrictior podicis pars Σφιγκτηρ à Græcis appellata, existit, &c. Idem lib. 4. de Visu partium corporis humani. Recti uerò intestini ora inferior à musculis in orbem circumfusis σφιγγεται, idest constringitur: quapropter nomen ei σφιγκτηρα, idest compressorem, puto quosdam imposuisse. Hæc Galenus. Cui probè concinit Meletius in libro De Natura hominis, ubi de eodem musculo agit. Cùm autem

tem

Hieronymi Magii

*tem Venus illa in hac corporis parte exerce-
retur, meritò eos Tiberius Sphinctrios, appel-
lasse uidetur, uel potius Sphincteras, quasi Cò-
pressores, à comprimendis natibus; ex qua ra-
tione à Lucillio Poëta antiquissimo, pædico-
nes, pullopremones dicti sunt, à premendis id
est comprimendis, et subagitandis pullis, idest
pueris adamatis, secundum priscam uocem.*

*Ausonius Gallus in Epig. ad Pythagoram de
Marco, qui dicebatur Pullaria,*

» *Quid Marcus feles nuper Pullaria di-
ctus,*

» *Corrupit totum qui puerile decus :*

» *Peruersæ Veneris postico uulnere fossor,*

» *Lucilli uatis sibulo, pullopremon.*

*Matthæus Doctõrius uir Græcè & Latinè be-
ne doctus, diuiniq; & humani iuris apprimè
consultus, ut hæc non improbabat cum eadem
de re cum eo, ut sit inter amicos eisdem studijs
addictos, differerem, ita etiam suspicabatur
dictos Sphincteros, à Græcis ducta appella-
tione, apud quos, teste Suida, molles, & hu-
iusmodi obscenitate infames Sphinctæ (quod
& Rhodiginus lib. 8. cap. 8. attestatur) nun-
cupantur: ibatque in eius sententiam Guido
Morgalantus Philosophus & Medicus eru-
ditissimus, & à studijs humaniorum litera-
rum non abhorrens. Verùm mox ego rem
mecum*

mecum permolens, uerbaque illa Tranquilli, Triplici serie connexi inuicem incestarent se.] anxie considerans, arbitror Tiberium eos monstrosi concubitus inuentores, Spinthrias appelle esse ab armillarum genere, quod spinther dicebatur, quo, ut Pompeius lib. 17. testatur, mulieres utebantur summo brachio sinistro; quæ armillæ anulis quibusdam inter se connexis, ut in peruetustis statuis non semel uidimus, constabant. Vnde cum illi connexi triplici serie hæerere consueuissent, ex quadam similitudine sunt Spinthriæ, idest armillæ dicti. Quo fit ut apud Tranquillum Lampridiumque non Spyntrias, uel Spynthrias, sed Spinthrias sine litera, γ , sit legendum. Legere etiam possemus Sphincteros, ab eodem armille genere, ut illud non Spinther, ut ab omnibus scribitur ($\sigma\pi\iota\nu\delta\eta\rho$ nanque Græcè cum δ , notatur) sed Sphincter, à constringendo brachio dicatur. Quod tamen sine auctore, aut reuerendæ uetustatis codicum fide, affirmare non ausim.

. Hieronymi Magii

Francisci Connani, & Ioannis Ferrarii
 non leue erratum demonstratur. cur
 Spadones adoptare posse Iustinia-
 nus uoluerit, castratos non item,
 quodq; sit horum spadonum impe-
 dimētum, explicatur, & nonnulla de
 eunuchis afferuntur. CAP. V.

HVMANIORVM *literarum studium In-
 reconsultis, si intra certos fines cohibea-
 tur, utilitatis nonnihil, atque orna menti plu-
 rimum afferre; sin immōdicum tanquam Si-
 renarum cantus sensus, mentemque oblectet,
 diutiusq; detineat, damnis eos non leuibus, et
 quibusdam ueluti ingenij cladibus afficere, sa-
 cilè ex his, quæ indies usu ueniunt, intelligi po-
 test, egoq; aliquando læsus didici. Quòd nisi
 maturè Græcis Latinisq; Srenis, Budæis que
 etiam & Alciatis, huiusque farinae auctori-
 bus, quos in delicijs ab ineunte adolescentia ha-
 bere cœperam, longum ualere renunciaffem,
 meque ad bonam frugem, ad eos nimirum le-
 gum interpretes, quos nostræ ætatis nonnulli
 tanquam ἀμούσους Barbaros que, non sine da-
 mno auersantur, recepiffem, uix me Iurecon-
 sulti nomine dignum existimarem. Dictu e-
 nim incredibile est quantum bonarum mitio-
 rumq; literarum cultu, iuris prudentiæ campi
 syluescant,*

syluescant, filicibus tribulisq; obsideantur, & sterilefcant. Cuius rei tunc admonemur, cum uel Aduocati militauerimus, uel ad rerum notiones, iudicandumq; & ad respondendum de iure, accesserimus. Tunc enim aliorum omnium praesidio destituti, Barbaros duntaxat nobis usui adiumentoque esse; Barbaros nos communire; Barbaros solida prudentia nobis praesto esse, manusque labantibus admouere, cognoscimus. A musis politioreq; disciplina omnino fuit Bartholus alienus, infans & incultus Alexander; arcem illi tamen iurisprudentiae tenent, nemoq; ad eorum eruditionem saeculo hoc nostro unde quaque expolito, adhuc propius accessit. In maximos hi Iureconsultos euaserunt, quod una semper re distinebantur, in unam nervos omnes intendebant, atque toti incumbabant, nec multiplicibus studijs huc atque illuc distrahebantur.

VERVM non eò hæc dicta esse uolumus, ut cuiusquam existimationi, & famæ quicquam deteratur, aut quod omnem à Iureconsultis nostris ablegandam esse elegantiam censeamus, unde ad uitam barbariem deuoluamur; sed ut modus adhibeatur, multiq; non in humaniorum literarum, sed Iurisprudentiae studijs simus; alioqui oleum & operam perdemus, ac fœdè, ut aliquando Ioanni Ferrario,

Hieronymi Magii

Et Francisco Connano doctis alioqui Iureconsultis, in una eademq; re usu uenit, labimur, inq; manifestos scopulos impingemus. Cum enim hi Iustiniani uerba infra scripta Institutionibus sub titulo de Adoptionibus legissent, rem planè obuiam ignorantes, futiles omnino discriminis rationes attulerunt. Sed Et illud, inquit Iustinianus, utriusque adoptionis commune est, quòd et ij, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt, castrati autem non possunt. Ferrarius ad hunc locum sic in Annotationibus scriptum reliquit, Caterum spadonibus, quia humano inuento impotentes mulierum sunt facti, et fortassis progenerare olim, atque prolem adsequi potuere, permissum est utraque adoptione uti. est etiam in. l. 2. §. Illud. Et. l. Adrogato. §. Spado. ff. eodem titulo. Hæc ille. Connanus uerò lib. 2. Commentariorum iurisciuis cap. 15. Rationem, inquit, huius distinctionis inuenire difficile est, quòd nulla causa esse uideatur, cur in spadonibus aliud, quàm in castratis statuatur. Et mox, Itaq; spado, cui solùm testes desunt, aut euulsi ipsi, aut attriti, uxorem ducere, heredem scribere, uel adoptare potest. Castratis aut nihil horum permittitur. Nam spado non omnino ineptus est ad res Venereas, quibus operam dare pòt, sed nulla sobolis spe Et c.

Profe-

Profectò si satis hi perpendissent in Pandectis .l. Si quis posthumos . De liberis & posthumis . l. Si serua . §. Spadoni . De Iure dotium . & .l. Si quis ita spado . De Aedilitio edito ; aut saltem legissent commentaria Soccini ad .l. Sed est quæsitum . De liberis & posthumis . rem omni prorsus carere dubio animaduertissent , germanamq; ad Iustiniani locum explicationem attulissent . Est igitur sciendum , ut ex his legibus colligitur , spadonum alios nunquam generare posse : alios uerò & si in præsentia generare non possunt , spem tamen haud dubiam corporis habitu præbere , si impedimenta , quæ eos non sinunt esse parentes , abscedant , se ipsos ad conferendos fœminarum agros non fore ineptos . Atq; ideò ob accessuram generandi potestatem , his posterioribus adoptionem permitti , prioribus ob contrarias causas , non item . Spadones igitur , quibus adoptio permittitur , temporali laborant sterilitate , uel propter frigiditatem , ut Theophilus censuit , uel quia uias seminis obstruètas habent ; tales nanq; inueniri Spadones demonstrat Aristoteles Problemate 27 . Sectionis 4 . sic inquit , si Latino ore loquatur , Quibus itaque meatus habitu suo naturali priuantur , uel quia obcæcati sunt qui ad penem tédunt , quod Spadonibus , hisq; similibus euenit , uel etiam

Hieronymi Magii

alijs de causis, hic talis humor in sedem confluit &c. Si his igitur aut similibus uitijs, quæ depelli possint, spadones laborent, adoptare poterunt. Plura de spadonibus adduci possent ex Iureconsulto in. l. Spadonum. ff. de Verb. sign. cui primus affulsit Beroaldus in commentarijs in Tranquillum, & in Apuleium: Item ex Theophilo, ex Suida, Luciano, Paulo Aegineta, Matthæo Euang. cap. 19. et alijs; sed quia illa sunt protrita, & si alicubi implexa, à me omittuntur. Illud tamen nequaquam omittendum duximus, antiquos nedum eunuchos facere consueuisse, sed & eunuchas. Ut enim Xantus Lydus Rerum Lydarum lib. 2. scriptũ reliquit (quod est ab Athenæo lib. 12. Dipnos. cap. 4. relatum) Andramites Lydorum Rex, primus eunuchas mulieres fecit hisq; loco uirorum eunuchorum usus est. Quis usus esset apud antiquos eunuchorum, optimè declarat Gregorius Nazianzenus in Monodia in Basilij uitã, loquens in hanc sententiam, Interdum Eunuchos suos ad leniendum misit. Hi cubicularij ipsius erant, genus admodum molle, tamen impietate aduersus Deum fortes, dum sectam & ipsi Arianam tuentur. Viri nanq; sunt inter mulieres, ad eas custodiendas oblectandasq; ; mulieres uerò inter uiros ad omnia obscœna patienda. Quamobrem

rem quando genitalibus stuprum admittere nequeunt, lingua fornicaria, et adultera utuntur. Hæc Nazianzenus. Eunuchorum naturam optimè appinxit Polemon Atheniësis in definitionibus humanarum effigierum, inquiens ipsos maiori ex parte inmiti esse ingenio, dolosos, facinorosos, multisque in sceleribus se exercere consueuisse.

Statuæ porphyreticæ, quæ angulo cui-
dam templi Diui Marci affixæ uisun-
tur Venetiis, quibus dicatæ fuerint,
- ex coniecturis non leuibus indica-
tum.

CAP. VI.

CV^M Tridento Venetias uisendæ Inclytæ
Curbis gratia aduenisset Michaël Iterus
Nauarus, nostræ ætatis Iureconsultorum Co-
ryphæis meritò à doctis adnumeratus, mihiq;
amicitiæ, communiumq; studiorum iure con-
iunctissimus, memorabilia cuncta in priuatis
publicisq; locis, atque admiratione digna una
lustrabamus. me enim ille tanquam mystago-
go utebatur, quòd multa antea præclara obser-
uassem, ac à patritijs uiris percunctationibus
edidicissem. Cùm quadam die propè ad por-
tam, quæ è platea aduenientibus in Palatij a-
trium patet, accederemus, obtulerunt se no-

Hieronymi Magii

bis leua in angulo templi Diui Marci, è porphyretico marmore statuae quatuor, hærentes binæ. Tunc Iterus quorum nam essent illæ, & cur angulo illi ab antiquis, qui ædem construxerunt, affixæ essent, ut solebat, percunctari cæpit. Dixi rem antiquarijs omnibus, Venetisq; eruditis uiris esse penitus obscuram, solumq; è Græcia statuas hæc esse aduectas constare, & nihil præterea. Me uerò, si coniecturis locus sit, suspicari, statuas illas Harmodij esse & Aristogitonis, qui Atheniensium Tyrannum Hypparchum peremerunt; quorum historia ex his, quæ Thucydides libro 6. scripsit, satis est nota, & cuius meminerunt Plato in Symposio, Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum, Athenæus lib. 13. cap. 27. et alij. Cuius ob patriam à tyrannide liberatam magnis honoribus hos prosecuti fuerint Athenienses, statuis etiam, ut fieri solebat, eos honorasse constat. Sic enim inquit Demosthenes in oratione πρὸς λεπίνην de Conone loquens, Διόπερ οὐ μόνον αὐτῷ τὴν ἀτέλειαν ἔδωκαν οἱ τότε, ἀλλὰ καὶ χαλκῆν εἰκόνα, μετὰ τὸν Ἀρμόδιον, καὶ Ἀριστογείτονα ἔσησαν πρώτου. ἤγοῦντο γὰρ οὐ μικρὰν Τυραννίδα καὶ τοῦτον τὴν λακεδαιμονίων ἀρχὴν καταλύσαντα πεπαυκέναι. Idest, Quapropter illi [scilicet Cononi] tum non tantum immunitas decreta est, sed primus fuit, cui quem-

admo-

admodum Harmodio, & Aristogitoni aenea statua decerneretur. putabant enim eum, qui Lacedæmoniorum imperium euertisset, non paruam tyrannidem destruxisse. Quamquam aeneas horum statuas Demosthenes fuisse demonstrat. Dio Chrysostomus Oratione XI. cui titulus est, Troia. sic inquit, si Latini utatur uerbis, Harmodium autem, & Aristogitonem præ omnibus maxime Athenienses honorant, ut qui ciuitatem in libertatem asseruerint, tyrannumque interfecerint. hæc ille. Pollux quoque, & si temporis iniuria lacunosus, idem demonstrat lib. 8. loquens de Imperatore Atheniensium in hæc uerba, Ordinatur quoque certamen funebre eorum, qui bello ceciderunt, & Harmodio * suisque parentalia celebrat &c. Ora quoque opinionem meam adiuuare; in utroque enim pari alterum barbatum esse, scilicet Aristogitonem; alterum uerò, nêpe Harmodium, imberbem. Cultum corporis armaque à Græcorum ritu non abhorre. Vtriusque utrobique complexum, eorum amoris fideique, & coniurationi maxime congruere. Eo uerò in angulo has statuas esse locatas, ut Venetos quotidie in atrium palatiumque conuenientes, tyrannidem esse abolendam, tyrannorumque interfectores honorandos esse, admonerent. Hæc cum eruditissimo

Hieronymi Magii

*uiro arriderent, digna esse putauit, quæ Miscel-
laneis nostris adscriberentur.*

Hians Laurentii Vallæ contextus, uerbo, quod scribarum typographorumq; culpa deerat, restituto, expletur, & clypeus, quo ille contra nonnullas calumnias tegi possit, demonstratur.

CAP. VII.

DE Gerundijs scribens Laurentius Valla, sic loquitur lib. I. cap. 29. Soluendo non sum, nunquam patitur secum substantiuum, ideò dubitari potest, datiuus sit, an ablatiuus. Significat autem satisfacere pro eo, quo obligatus sum, siue pecunia, siue remuneratione: ut Quintilianus, Placeamus licet nobis fortuna nostra pater; pauperi soluendo non sumus. Vult autem semper post se datiuum, licet non semper apponatur, interdum etiam alium casum. Apud eundem, Maximi tum uirorum, & quibus artis suæ soluendo non sit humanitas. Sic Valla. Cum hæc olim legeremus, duplici hic auctor implicitus errore uidebatur, altero quòd non rectè uerborum sententiam explicaret, altero, quòd perperam de constructione pronunciarret. Quod spectat ad priorem errorem, hunc esse

esse lapsum demonstrari satis censebam his Iureconsulti uerbis, quæ leguntur. in .l. Soluendo ff. de Verborum significatione, Soluendo esse, inquit Iabolenus, dicitur is tantummodò, qui solidum potest soluere. Vides soluendi potestatem non autem actum, ut Val- læ uisum est, significari. Quantum uerò per- tinet ad posteriorem, pariter hallucinari ille uidebatur inquiring, uerba hæc, Soluendo esse, nunquã pati secum substatiuum, ideoq; ambi- gi posse utrũ soluendo, in datiuo esset, an in ab- latiuo: quandoquidẽ non obscuri nominis scri- ptorum auctoritatibus, & non absimilibus lo- quendi formulis obsisti posset. Sunt autem illæ infrà relatæ. Liuius, Si Resp. soluendo æri a- lienò esset. Iureconsultus. ff. de Pollicitationi- bus, Si bona liberalitati soluendo non fuerint. Licet Budæus, soluendæ, legat. Idem Liuius (quod ad similitudinem locutionis facit) ali- bi sic inquit, Talia quærentes, æqua orare, seq; ea relatueros ad Scipionem Tribuni respon- derunt; & P. Scipionem Deum benignitate, & Remp. esse gratiæ referendæ &c. Idem a- lio in loco, Vt diuites conferrent, qui oneri fe- rendo essent &c. Ouidius lib. 15. Metamor. de Phœnice aue loquens,

» Cum dedit huic atas uires oneri que feren- do est.

Hieronymi Magii

Cicero in Oratione pro L. Flacco, Illud, inquit, quæro, Sunt'ne ista prædia censui censendo? &c.

V E R V M nulla erroris nota Vallæ inuenda est, Nam quod pertinet ad gerundij huius significationem, non adeò literarum ille uideri possit ignarus, & eorum, quæ legerat immemor, ut eo soluendi actum significari existimaret, & Iaboleni declarationis non meminisset, uel eam abiiciendam putaret. Eamq; ob rem dixerim contextum mancum esse, uerbumq; deesse, quo potestas significetur, ut sic legamus, Significat autem satisfacere posse ei, cui obligatus sum. Qua recepta lectione, optimè Vallæ significationem appingit. Quantum autem attinet ad alterum erratum, notæ identidem est eximendus: quia licet unam atque alteram inueniamus reclamantem obsistentemq; auctoritatem, non ideò improbanda Vallæ est obseruatio, qui elegatias scribit, ut titulus, quem ille operi præfixit, pollicetur, & de usu non autem de ab usu loquitur, ut ipse met testatur in calce capitis primi lib. 1. quem clypeum, qui uirum hunc de literis benemeritum tueri student, Vallæ hostibus literatoribus quibusdam obijcere poterunt.

Quo pacto depuretur ferrum, acriusq; ad incidendum fodiendumq; reddatur. Stomoma, quod uulgò aciarium dicitur, qua arte efficiatur. Videri chalybem, nō stomoma, sed ferrum, tanquam genericam uocem, significare, Latinosq; uocabulo, quo stomoma significent, carere, Hebræos non item. De multis stomomatibus generibus à Daimacho enumeratis.

CAP. VIII.

MEMINI me olim apud Diodorum Siculum legere, Hispanos, ferri laminas terra operire consueuisse, quo illæ ferruginem rubiginemq; contraherent, & purgarentur, indeq; ex his gladios atque arma procudere. Huius autem rei rationē ferriq; alias purgationes, item temperamenta tunc perquirenti mihi, hæc comperta sunt. Ferri substantia cum impura sæculentaq; sit, ac habeat terræ indigestam portionem non modicam, humo quodammodo macerata, marcescentia excrementa exudat, indeq; rubigine tanquam scabie quadam obducitur. Quo fit, ut ferrum rubigine obsessum, purum redditum esse dicendum sit. Quamobrem uidemus enses peruetustos rubigine scabros, cum expoliti fuerint, miram

Hieronymi Magii

*miram cum in incidendo tum in fodiendo uim
obtinere ; quanquam sunt qui id temperamen
to tribuunt. Rubiginem ferro ex prædicta cau
sa innasci, fidem facit Plato in Timæo, in hâc
scribens sententiam cum æris meminisset, At
quando terrena pars huic immista, propter ue
rustatem à cæteris partibus eius secernitur,
ad extremamq; emissâ superficiem per se ipsa
aspectui patet, rubigo iam nascitur. Hæc Pla
to. Consueuerunt nostra ætate ferrarij fabri,
gladios, forfices, aliaq; instrumenta incisoria,
fimo equino operire ; cum uerò iam satis rubi
ginis contraxerint, expolire, & cote subige
re atque exacuere ; et hac ratione ipsis robur,
uimq; acrem conciliari testantur. Alius de
purandi modus legitur in Volaterrani Para
lipom. ad Comment. Urbana. Eius uerba hæc
sunt, Rursus stannum, æs, ferrum hoc modo
purgabis. Sumito salis alcali, cineris, cate
niæ (id genus est pompholicis) æquas partes,
& ex aceto uehementi supra marmor diligen
ter mollito ; deinde acetum colato, & in hoc
postea stannum quinquies fustum lauato, æ
ris autem, aut ferri laminas ignitas extin
guito ; optimè purgabuntur. Hæc ille. Est &
tertia purgandi ratio, si uera sunt, quæ ex
Asianorum quorundam Thurcarumq; sermo
nibus percepinus. Stomoma fabri ferrarij li
mis*

mis atterunt, & in scobem penitus ac pulve-
 rem redigunt; mox pulverem illum farinae
 admiscent, & aqua emolliunt, indeq; turun-
 das atque offas ducunt, quas anseribus uoran-
 das præbent. Postea ex earum fimo scobem
 secernunt, eamque fornacibus liquecere fa-
 ciunt, quoad in massam rursus coëat; atq; hoc
 esse omnium purgatissimum Stomoma dicunt,
 ex quo ducunt nonnulli gladios ensesq;, qui-
 bus ferrum non secus ac lignum persecunt,
 qualem esse Georgij Castriotæ ensẽ, quem
 nos superioribus annis Pisauri in Vrbinatum
 Ducis armamentario uidimus, memoriæ pro-
 ditum est. Alio pacto non Stomoma, sed fer-
 rum purgatur, scilicet cum in laminas iam du-
 ctum malleis, iterum fornacibus redditur, ac
 quo ad fluat excoquitur. Idq; sæpius fit quo
 maior scoriæ copia subsidat, atque ita ferrum
 quasi purum putum efficiatur, quod Græci σό-
 μωμα uocant (quanquam & temperamentum
 uox significat, σομόω enim idem est quod tem-
 pero, induro, & exacuo) nos uerò quasi pro-
 prio nomine carentes, ferri nucleum. Sto-
 momatis non abfimilem confectiõnem edocet
 Aristoteles lib. 4. Meteor. his uerbis, Τή-
 κεται δὲ καὶ ὁ εἰργασμένος σίδηρος, ὡς εἰ ὑγρὸς γί-
 γνεται, καὶ πάλιν πήγνυθαι, καὶ τὰ σομόμα-
 τα ποιοῦσιν οὕτως, ὑφίσταται γὰρ, καὶ ἀποκαθαί-

Hieronymi Magii

ρεται κάτω ἡ σκωρία. ὅταν δὲ πολλάκις πάθῃ, καὶ
 καθαρὸς γένηται, τοῦτο σόμωμα γίνεται. οὐ
 ποιοῦσι δὲ πολλάκις αὐτὸ, διὰ τὸ ἀπουσίαν γέ
 γνεσθαι πολλήν, καὶ τὸν σαθρὸν ἐλάττω, ἀποκα-
 θαιρομένου. ἔστι δὲ αἰμείων σίδηρος ὁ ἐλάττω ἔ-
 χων ἀποκάθαρσιν. *Idest, Ferrum arte domi-*
tum, ita liquefcit, ut liquidum reddatur, &
iterum densetur. atque in hunc sanè modum il-
lud defæcatum reddunt. recrementum enim
fidit & in imum secernitur. Quæ quidem res
postquàm frequenter adta est, & purum eua-
fit, defæcatum redditur. Nec uerò artifices,
eodem modo illud frequenter præparant, quòd
attenuetur, & imminuatur, quodq; ita repur-
gatum, pondere minus sit. Illud etiam magis
laudatur, quod minus excrementi agit. Vides
quàm bellè Philosophus doceat ferri purga-
tionem, & Stomomatis elaborationem. Qui-
bus etiam uerbis satis demonstratur, ut ab a-
lijs quoq; fuit obseruatum, σόμωμα longè di-
uersum esse ab ære, & non esse genus squamæ
æris, ut falsò censuit Plinius Naturalis histo-
riæ lib. 34. cap. xi. Quòd uerò suprâ dixi-
mus uideri nos propria uoce carere, qua σόμω-
μα significemus, suadent hæc Plinij eiusdem
uerba libro prænotato, cap. 14. Et fornaci-
cium, inquit, maxima differentia est. in ijs
quidem nucleus ferri excoquitur ad induran-
dam

dam aciem, &c. Vides, uerborum ambitu magis illum uti uoluisse, quàm uoce hac, calybs, quod fortè ea non ferri speciem, sed genus significet, & si suprà lib. 22. cap. 22. contrarium innuere uideatur his uerbis, Si enim caligaris clauus, si ferri, uel calybis aliqua rubigo &c. Calybs uerò ferrum significat, propter Calybi finitimos populos, quos ferri gloria, præ cæteris, qui ferri metallis insignes habebantur, nobilitauit. quamobrem Virgilius lib. I. Georgicorum inquit,

At Calybes nudi ferrum, uirosa;q; Pontus
Castorea; Eliadum palmas Epeiros equarum.

Iustinus lib. 43. de Galleciæ portione, Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipsa ferro uiolentior: quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec ullum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut Calybe tingatur. Vnde etiam Calybes, fluuij huius finitimi appellati, ferroq; cæteris præstare dicuntur, &c. Stomomatis apud antiquos plura fuisse genera, quæ uarijs usibus deseruirent, testatur Daimachus in Commentarijs obsidionalibus, quæ nos manuscripta ex Creta Venetias aduecta uidimus, ex quibus hæc apud Eustathium leguntur in comment. in lib. 2. Iliad. in Catalogum.

Hieronymi Magii

τῶν γὰρ, inquit ille, σομομάτων φασὶ, τὸ μὲν,
 χαλυβδικόν. τὸ δὲ σινωπικόν. τὸ δὲ, λύδιον.
 τὸ δὲ, λακωνικόν. καὶ σινωπικόν μὲν καὶ χα-
 λυβδικόν, χρήσιμον εἰς τὰ τεκτονικά. λακωνικόν
 δὲ εἰς ῥίνας, καὶ σιδηροπέτυπανα, καὶ χαρακτῆρας,
 καὶ λιθουργικά. τὸ δὲ λύδιον, εἰς ῥίνας καὶ αὐτὸ
 καὶ μαχαίρας, καὶ ξύρια ξυσῆρας. οὗτω Δαίμα-
 χος ἐν πολιορκητικαῖς ὑπομνήμασι, κατὰ τὸν τὰ
 ἔθνικὰ γράψαντα. *Idest, Stomomatium autem,*
aiunt Calybdicum quidem aliud, aliud autem
Sinopicum, Lydium aliud, Laconicum aliud.
Et Sinopicum quidem, et Calybdicum utile ad
fabrilia, Laconicum uerò ad limas, & tere-
bra, quibus ferrum perforatur, & ad chara-
cteres, & lapidicinariam. Lydium autem &
ipsum ad limas, & ad macheras, & ad noua
culas. Sic Daimachus in obsidionalibus còmen-
tarijs, secundum eum, qui scripsit gentilia. He-
braeis σόμομα dicitur שׁוּמַל chalamisc, ut
fuit pridem adnotatum à Francisco Forrerio
Vlyssiponenfi Theologo præclarissimo, in do-
ctissimis suis Commètarijs in Iesaiam ad cap.
50. Cuius uocis etymum esse dicit à uerbo
שׁוּל chalasç inserta litera ם Mem, idest do-
muuit, cùm omnia domet sua duritie. Quan-
quàm uideo Hebræos quadratum nomen esse
dixisse, cuius radix sit שׁוּל chalamisc.
Hoc idem ferri genus propter insignem duri-
tiem,

tiem, adamantem Græci nonnunquam appellarunt, ut apud Isacium Tzetzam Lycophronis Com. apudque alios obseruauit eruditissimus uir, & antiquitatum omnium diligentissimus obseruator Quintinus Acanthius Spoletinus, quem ob pietatem in Deum non mediocrem, & quod in amicos, præsertim uerò erga me semper fuerit officiosus, non uulgari amore prosequor, & plurimi facio. Stomomati autem præter depurationem, robur etiam maximum aquæ uis quædam arcana, ut de Calybis Bilbilisq; aqua ex Iustino didicimus, conciliat. tametsi in uniuersum aquæ frigori, quo temperando, obduratur, accedens robur fabri ferrarij acceptum ferant. Fit enim eo quædam antiperistasis, ex qua candentis ferri calor introrsum compulsus, fortiorq; redditus, humorem absorbit, qua re illud duritiem adipiscitur. Quidam tamen persuasum habent, medicatis aquis, nonnullisq; humoribus demersum temperatumq; ferrum, acrius reddi. Alij enim salita aqua, alij aceto permista, alij oleo, urina nonnulli, quidam diuersis herbarum succis utuntur. Albertus cognomento Magnus, lib. 2. de Lapidibus Tract. 3. auctor est ex ferri nucleo sæpius colliquato perpurgatoq; , adeò ut ad argenti albedinem quasi accedat, ductis instrumentis incisorijs, temperamento succi

Hieronymi Magii

ex raphano lumbricisq; expressi, tantam conciliari duritiem, ut ipsis ferrum non secus ac plumbum persecetur. Seq; id uerum esse, experimento didicisse testatur. Sanè Homeri atate sola frigida aqua, ut posterioribus sæculis factum esse credimus, incisoria ferrameta obdurari consueuissent, manifestè ostenditur his uerbis lib. 9. Odyss.

» ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκῶς πέλεκυ μὲγαν ἢ ἐ σκέ
παρνον

» Εἰν ὕδατι ψυχρῶ βάπτει μεγάλα ἰάχοντα
» φαρμάσων, τὸ, γὰρ αὐτὲ σιδήρου γε κράτος
ἔσιν.

Idest. Sicut autem quando faber ferrarius securim magnam uel asciam

» *In aquam frigidam demergit ualde resonantem,*

» *Obdurans, hoc enim ferri robur est.*

Sed de his hæc dixisse sufficiat.

Quid sit garum, & qui sint Lacerti apud Iureconsultum in. l. Qui penum. ff. de Penu leg. Accursius reprehensus, & eiusdem legis contextus emendatus,

CAP. IX.

SED *Aristo notat etiam quæ esui potuique non sunt, contineri legato: ut putà ea, in quibus*

quibus esse solemus, oleum fortè, garum, amurca, mel, cæteraq; similia. Hæc sunt *Vlpiani* uerba in. l. *Qui penum.* ff. de *Penu legata.* in quorum explicatione *Accursius* sic inquit, *Garum genera salsamenti.* &c. Sed tu dicas, garum esse liquamen illud salitū, quod olim ex pisce garo conficiebatur; de quo sic scribit *Plinius* lib. 31. *Nat. hist.* cap. 7. Aliud etiam nunc liquoris exquisiti genus, quod *Garū* uocauere, intestinis piscium, cæterisq; quæ abijcienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem *Græci* γάρρον uocabant. Et libro eodem, capite sequenti, de garo loquens, *Nunc*, inquit, è *Scombro* pisce laudatissimum in finibus *Carthaginis* *Spartariæ*, et *cetarijs*; *Sociorum* appellatur, &c. Idem lib. 9. cap. 17. de piscibus loquens, *M. Apitius* ad omnem luxum ingenio mirus, in *Sociorum* garo (nam ea quoque res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit. Hæc *Plinius*. De garo ex *Scombro* pisce, mentionem facit & *Strabo* lib. 3. Enumerat *Athenæus* lib. 2. *Dipnos*. Cap. 30. antiquos, qui gari meminerunt. Testatur *Iulius Pollux* lib. 6. antiquos aceti speciem quandam, garum appellasse. quod fortasse factum est ob gari præstantiam, à quo cætera condimenta liquida sic dicerentur.

Hieronymi Magii

tur. Acetum autem inter condimenta referebatur, ut etiam hodie refertur, quin ut citato capite scriptum Athenæus reliquit, Attici acetum solum, condimentum appellabant. Lucianus garo atque oleo pisces perfundi consueuisse demonstrat. Pædacijs Dioscorides libro. 2. cap. 31. de gari medicinis scribit, appellatq; garum, salsum liquamen tam ex piscibus, quam ex omnium animalium carnibus effluens, quod quidem Salamuriam Anglarenfes nostri uernacula uoce dicunt. Gari sic meminit Horatius Serm. lib. 2. Saty. 8.

» *His mistum ius est oleo, quod prima Venasfri*

» *Pressit cella garo de succis piscis Iberi. Martialis uerò,*

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo

Accipe Fastorum munera chara garum. Idem oua garo condiri consueuisse demonstrat inquit,

» *Candida si croceos circumfluit unda uitellos*

» *Hesperius scombri temperet oua liquor. Garum efficacius Græci αἱματίον dicunt, id est sanguiculum: nam ex sanguine scombri, ut ex suprâ relatis patet, conficiebatur; de quo Constantinus Cæsar lib. ultimo de Agricultura, capite*

capite ultimo. Patet igitur quid sit garum, quibus rebus, & in quos usus conficeretur. In eadem lege hæc quoque uerba leguntur, LACERTOS quoque cum muria sua contineri, nec Labeo negat.] Accursius ad hunc locum perperam & barbarè, inquit, Lacertas, idest brisca mellis, intelligens pro brisca fauos. Tu uerò dicas Lacertos ibi significare pisces sic uocatos, è quibus, teste Celsò atque alijs, salsamenta conficiebantur; quorum Plinius lib: 22. capite nouissimo his uerbis meminit, Colias, siue Parianus, siue Sexetanus, à patria Bæthica, Lacertorum minima &c. κολίας etiam hic piscis nuncupatur ab Aristotele, apud quem Theodorus Gaza uir alioquò eruditissimus, malè monedulam uertit. Lacerti piscis mentio est apud Athenæum Dipn. lib. 7. cap. 23. legiturq; infrà apud eundem cap. 35. lacerti condimentum non iniucundum ex Alexide. De Lacerto Martialis,

» Cum Sexitani fertur tibi cauda lacerti.

Licet deprauatè apud eum, Saxetani, legatur. Iuuenalis uerò Satyra 14. de eodem sic inquit,

» Alterius conchen æstiuu cū parte Lacerti. Vbi partem pro cauda accipe, monente Martiale. sola enim in precio fuisse uidetur. In horum fortasse effigiem, uel magis terrestrium

Hieronymi Magii

lacertorum, formatos dulciarios panes, lacertulos uocat Apuleius libro 10. de Asino aureo, sic inquit, Crustula, iunculos, hamos, lacertulos, plura scitamenta mellita &c. Muria, cuius meminit Iurecōsultus in relatis uerbis (ex hac uoce discere poterat Accursius, ab eo piscium genus, non fauos significari) liquamen quoddam salsum erat, quod ex piscibus sale maceratis effluebat, palato non ingratum, de quo Plinius Natur. hist. lib. 31. cap. 8. & lib. 32. cap. 12. Non me latet apud Columellam pro sale durato, siccatoq; poni, quod neoterici, ut Aqueus ait, pro sale et aqua accipiunt, ac pro liquamento, quod è suis carnibus sale aspersis defluit. Veteribus duplex muria fuit, altera, qua in condimentis uini utebantur, cuius confectiōnem, usumq; edocet Columella lib. 13. cap. 16. Altera uerò, quæ dura dicebatur, cuius usum idem auctor demonstrat libro eodem, cap. 6. & 7. de qua quibusdam locutus uidetur Plinius libro 14. Nat. hist. cap. 19.

ANTE quàm huic capiti coronidem appingamus, illud non uidetur silentio inuolendum, in relatis Iurecosulti uerbis, corruptè in multis exemplaribus etiam uetustioribus, *amurcam*, pro *muria*, uel *murina* legi. *Amurcam* enim, siue olei fœcem & sedimentum, quod

quod Græci ἀμωρύνν uocant, ciborum condimentis nunquam legi adhibitum fuisse (quamquam obseruauit apud Athenæum lib. 4. Dipnos. cap. 3. in Nicandri uerbis ex libro eius Georgicorum secundo, aceti facem pro condimentis raparum ad non lautas mensas fuisse usurpatam) Iulius Pollux libro 6. condimenta ciborum enumerans, inter ea non recenset amurcam: & Antiphanes apud Athenæum Dipn. lib. 2. cap. 3. in multis, quæ affert condimentis, amurcam non agnoscit.

Amurca tamen propter medicas uires, quibus prædita est, medicamentis admisceri consuevit; præter quæ medicamenta, pluribus rebus usui est, ut ex Catone, Varrone, Columella, Palladio, & alijs cognoscitur. Quod ad murinam attinet, eam inter dulcia numerat Plautus in Pseudolo sic inueniens,

- » Quid si opus sit ut dulce promat indidem,
ecquid habet?
- » Rogas? murinam, passum, defrutum, melinam.

Legere igitur debemus, muriã, uel murinam.

Hieronymi Magii

Quænam illa fuerit machina, qua Archimedes memorabilem Hieronis nauem in mare deduxit, & quid sit $\epsilon\lambda\gamma$ apud Athenæum. CAP. X.

ATHENAEI *Dipnosophistarum libros à doctissimo uiro Natale Comitio amico meo, quem Mediolano anno salutis 1550. in patriam reuersum, primùm allocutus sum, Latinitate donatos, pomeridianis horis cum legerem, incidi in caput 8. libri quinti, ubi ille ex Moschione de Hieronis celebri naue loquitur: quo loco sic habet Latinus contextus, Sed cùm quo pacto in mare trahenda esset, magno studio quæreretur, solus Archimedes mechanicus ipsam paucis instrumentis deduxit. nam primus Archimedes uitis usum reperit, quam cum fecisset, tantam nauim traxit in mare. Quibus lectis quanquàm cocileæ perpetuæ uocatæ, maximarum inter tractoria organa uirium haud essem ignarus, ut qui eam etiam libris meis de Militaribus technis appinxeram; tamen quia eius auctorem fuisse Archimedem, me legisse non meminissim, de quæ deductione nauis, Archimedis inuêto, loquentem Plutarchum in Marcelli uita, animaduertentem, machinã, qua ille usus est, Polyspastũ appellare, quasi tu dicas multitrahã;*
suspiciari

susplicari cœpi lapsum esse eruditissimum interpretem dum fortasse codicis manuscripti fidem sequeretur. Mox uerò cùm Græcum Athenæi exemplar uulgatum consulissem, sic scriptum, quantum ad rem attinet, inueni, Ἀρχιμήδης ὁ μηχανικὸς μόνος αὐτὸ κατήγαγε δι' ὀλίγων σωμάτων. κατασκιάσας γὰρ ἕλικα, τὸ τηλικούτον σκάφος εἰς τὴν θάλασσαν κατήγαγε. πρῶτος δὲ Ἀρχιμήδης ἔρε τὴν τῆς ἕλικος κατασκιάην. Quorum uerborum hæc est sententia, Archimedes mechanicus solus paucorum corporum adiumento ipsam deduxit. is enim Helicem comparans, tantam nauem in mare traxit. Primus autem Archimedes Helicis usum excogitauit. Vt autem Plutarchus ait, Archimedes nauim ex regijs onerariam unam mercatus est, in quam ἐμβαλὼν ἀνδρώπους τε πολλοὺς καὶ τὸν σωήθη φόρτον, αὐτὸς ἄπωθεν καθήμενος, ὕψος μετὰ σπουδῆς, ἀλλὰ ἡρέμα τῇ χειρὶ σείων, ἀρχὴν τινα πολυστάσου μηχανήματος προσηγάγετο. λείως καὶ ἀπλάιως καὶ ὡς περ διὰ θαλάσσης ἐπιθέουσαν. idest Impositis multis hominibus, et solito onere, ipse impellebat assidens, non cum festinatione, sed sensim manu pellens, principium quoddam inducebat machinamenti polyspasti, leuiter, & sine offensione, tanquam perludentem per mare, &c.

Vides

Hieronymi Magii

VIDES pro Helice, Polyspastum dici. Adde quòd Oribasius Græcus auctor in libro De Machinamentis, cap. 6. quod est De Machinamentis ex Galeno, ad Archimedem Polyspasti inuentum fuisse relatum demonstrat, dum in hanc loquitur sententiam, Si quis autem uelit alijs quoque uti, est Polyspaston, ita appellatum, quoniam multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præstat; quod iter facientibus maximè idoneum est. refertur autem ad Archimedem auctorem &c. Infrà uerò cap. 24. rem melius aperit, eandem machinam speciei uoce Trispastum nuncupatam describens, deliniansq; , ac illi non cochleam, quam uitem uulgò dicimus, tribuens, sed orbiculos quatuor siue rotas. Quin & ad deducendas naues ab Archimede siue Apellide Trispastum fuisse excogitatum, testatur his uerbis, Vidio eruditissimo uiro interprete, Illud in primis scire conuenit, quòd neque Apelides, neque Archimedes medici fuerunt, sed architecti, qui machinamentum hoc excogitarunt (quemadmodum nos accepimus de historia) ad naues deducendas funibus, non per manus, sed per Ergatam attractis, &c. Huius generis machinamētum Vitruuio lib. 10. cap. 5. est artemon, idest trochlea, quam Græci ἐπάγοινα uocant. Diciturq; eodem teste Polyspaston,

lyspagon, Hoc, inquit, genus machine *Poly-*
spaston appellatur, quod multis orbiculorum
 circuitionibus & facilitatem summam præ-
 stat, & celeritatem, &c. Quo in loco obiter
 adnotandum est, uideri ex *Vitruuio* petitum
 fuisse etymon *Polyspasti*, quod *Oribasij* præno-
 tato cap. 6. legitur: quanquam in *Trispasti* no-
 tatione *Oribasius* cap. 4. & 24. discrepat,
 inquiens, *Trispastum* à tribus funibus, qui cir-
 cumuoluunt, aguntque, esse dictum, è quibus
 unus extra duceretur, duo uerò includeren-
 tur. Idem in orbiculorum numero non conue-
 nit, quatuor adscribens, cum *Vitruuius* loco
 citato, & cap. 3. tres duntaxat in *Trispasto*
 agnoscat. *Plutarchi* senior interpret *Poly-*
spastum malè uertit, machinam multifidam,
 cum potius *multitrahā* (si Latine diceretur)
 uox sonare uideatur. *πάω* enim Græcis,
 nobis est auello, & traho. Vnde & *Neuro-*
spasta, quorum meminit *Gellius* lib. 14. cap. 1.
 & de quibus *Cælius Rhodig.* lib. 4. cap. 6. ac
 eruditissimus elegantissimisque uir *Muretus*
 in *Annot. in Horatium*. Quæ tamen ludicra
 orbiculis carere uidemus. Iam igitur patet,
Helicem apud *Athenæum* non cochleam, ui-
 tem uernaculo sermone dictam significare,
 sed *Polyspastum*, peculiari uoce *Trispastum*
 nuncupatum. *ἑλιξ* autem à circumuolutione
 orbi-

Hieronymi Magii

orbiculorum quorundam, qui ipsi machinae, ut supra cognoscitur, indebantur, dicta est, uel à uerbo ἔλω, idest traho. Phauorinus de Helice ab Archimede excogitata, λέγεται, inquit, δὲ ἔλιξ καὶ τὴ μηχανῆς εἶδος ὁ πρῶτος δι-
ρὼν Ἀρχιμήδης εὐδοκίμησε φασὶ διὰ αὐτό. idest, Dicitur autem Helix & quoddam machina-
menti genus, quod primus inueniens Archi-
medes, præclarus habitus est, ut aiunt, propter
ipsum. Diligens lector dispiciat, an Helicis uo-
ce, significetur cochlea lentis speciem referens,
qualis in Nymphodori organo quadrato tra-
كتورιο, cui Glossocomo nomen est, uisitur (no-
stris Mechanicis hæc est perpetua cochlea) de
qua idem Oribasius cap. 4. item 5. & 22.
Ab hoc enim auctore, cochleæ huiusmodi, &
quadratæ, atque etiam fœminæ cochleæ, quod
& ab alijs quibusdam Græcis auctoribus, qui
de machinis scripserunt, factum uidemus, ἔλω-
τες, idest capreoli tribuuntur, qui clauicula-
rum uitium, speciem referunt. Quod tamen
quantum ad Comitij nostri uersionem astruen-
dam faciat, nescio, cum de hac cochlea loquens
Oribasius, qui machinamentorum inuentores
baudquaquam silentio inuoluit, nihil de Ar-
chimede dicat.

lyspagon, Hoc, inquit, genus machinæ Poly-
 spaston appellatur, quòd multis orbiculorum
 circuitionibus & facilitatem summam præ-
 stat, & celeritatem, &c. Quo in loco obiter
 adnotandum est, uideri ex Vitruuio peti-
 tum fuisse etymon Polyspasti, quod Oribasij præno-
 tato cap. 6. legitur: quanquàm in Trispasti no-
 tatione Oribasius cap. 4. & 24. discrepat,
 inquiens, Trispastum à tribus funibus, qui cir-
 cumuoluunt, agunt que, esse dictum, è quibus
 unus extrà duceretur, duo uerò includeren-
 tur. Idem in orbiculorum numero non conue-
 nit, quatuor adscribens, cum Vitruuius loco
 citato, & cap. 3. tres duntaxat in Trispasto
 agnoscat. Plutarchi senior interpret Poly-
 spastum malè uertit, machinam multifidam,
 cum potius multitraham (si Latine diceretur)
 uox sonare uideatur. $\omega\acute{\alpha}\omega$ enim Græcis,
 nobis est auello, & traho. Vnde & Neuro-
 spasta, quorum meminit Gellius lib. 14. cap. 1.
 & de quibus Cælius Rhodig. lib. 4. cap. 6. ac
 eruditissimus elegantissimus que uir Muretus
 in Annot. in Horatium. Quæ tamen ludicra
 orbiculis carere uidemus. Iam igitur patet,
 Helicem apud Athenæum non cochleam, ui-
 temue uernaculo sermone dictam significare,
 sed Polyspastum, peculiari uoce Trispastum
 nuncupatum. $\tau\epsilon\lambda\iota\zeta$ autem à circumuolutione
 orbi-

Hieronymi Magii

**AEMILIO PAVLO PAPINIANO PRAE
FECTO PRAETORIO IURISCON-
SVLTO. QVI VIXIT ANNOS XX-
XVI. DIES X. MEN. III.**

**PAPINIANVS HOSTILIVS EVGE-
NIA GRACILII TVRBATO OR-
DINE IN SENIO HEV PAREN-
TES FECERVNT.**

Bartholomæus Soccinus eruditissimus quidem Iuriscōsultus, sed infans et semibarbarus, quasi literarum ignaro, rudiq; lectori fucum facere uellet, quandam aliam confarcinauit inscriptionem, proq; uera genuinaq; obtrusit in Commentarijs suis in. l. Cū auus. ff. de Conditionibus, & demonstrationibus. sic enim de eiusdem Papiniani urna loquens, scriptum reliquit, Cuius urna tempore genitoris mei, ut ipse referebat, argentea Romæ reperta à quodam rustico fuit, in qua erant uerba infra scripta, AEMILII Papiniani Iurisconsulti, & Præfeti Prætorio requiescunt hîc ossa. Cui infelix pater & mater sacrum fecerunt mortuo anno AET. XXXVIII. Referebat etiam maledictum rusticum dixisse, se tanti uiri reliquias in Tyberim proiecisse. Sic Soccinus. Quàm hæc inscriptio mendosa & adulterina sit, nemo non uidere potest. Sed non est mirum hominē ab elegātia sermonisq; cultu omnino alie-

De argenteæ urnæ, qua Aemilii Pauli Papiniani cineres continebantur, inscriptione, quam Bartholomæus Socinus mendosam, quasi leguleis fucum facere uellet, in suis commentariis posuit. Et de honore, quo Romani Imp̄p. eundē Papinianum prosequuntur.

CAP. XI.

E REVERENDAE uetustatis monumentorum lectiōne promanātem uoluptatem, tota interdum mente contrectare soleo, eamq; ob rem non minus anxie antiquas uenor inscriptiones, quam leguleorum nostrorū ignarum & audax uulgius lites & diuitias. Quoties uero in doctorum uirorum sepulchra, urnas & elogia incido, incredibili uoluptate afficior, et tanquam lapides ἐλευσικὸν quiddam (quod de mulieribus Varro apud Nonium inquit) habeant, mecum præclare agi puto, si à lectiōne obtutuq; , à socijs aut à negocijs non abducar. Videor enim quodam mentis abscessu uidere priscos illos mortales, eosq; loquentes au dire. Quod mihi pridem usu uenit cum legerem inscriptionem urnæ argenteæ, in qua Aemilij Pauli Papiniani Iurisprudētis præclarissimi cineres conditos fuisse multi dicunt. Ea est huiusmodi,

AEMI-

Hieronymi Magii

Cur Horatius, & Cicero Ianum medium uocent, declaratur, & Chiliadum auctoris sententia reiicitur. CAP. XII.

APUD Horatium Sermonum lib. 2. Saty
Ara 6. Damasippus factus ex negotiatore
Philosophus Stoicus, sic loquitur,

» — postquam omnis res mea Ianum
» Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus proprijs, &c.

Cicero quoq; in 6. Anton. Ita'ne, inquit, Ianus
medius in L. Antonij clientela est? quis unquam
in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille
nummum ferret expensum? Libro uero 2. de Offi
cij, Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collo
canda pecunia, etiam de utenda, comodius a qui
busdam optimis uiris ad medium Ianum seden
tibus, quam ab ullis Philosophis in ulla schola
disputatur. Haec Cicero. Quaesitum est a doctis
cur Ianus, medius sit nuncupatus. Quibusdam
placet Acronis Horatiani interpretis senten
tia, scilicet, Ianum dici medium, quod tres
essent Iani statuæ, ad quarum mediam sole
rent faeneratores, & creditores conuenire.
Porphyrio eos ad Ianum in Basilica stetisse di
cit. Chiliadum auctor in suis annotationibus
in libros Ciceronis de Officijs, tres illas Iani
statuas, uel etiam, ut Landinus ex quorun
dam

alienum, uel ex suo uel ex patris penore talia protulisse. Quod ad Papinianum attinet, eum non uulgari honore prosequitur Iustinianus Imperator, siquidem in Digestorum Proœmio. §. Vobis autem. eum pulcherrimum, maximum, & subtilissimum uirum appellat, & iuris studiosos, tertio anno à Papiniano Papinianistas uocari uult, & festum diem peragere, quem etiam antea statim atq; Papiniani leges accipiebant, habere, & celebrare consueuissent. Maximum etiam appellat in Auth. de Fideiussoribus. §. 1. In Institutionibus uerò sub titulo de Fideicō. hæred. §. Sed quia. excelsi ingenij hominem uocat. sic etiam appellatur C. de Inst. et subst. In. l. Cùm acutissimi. C. de Fideic. acutissimi ingenij uir, et meritò ante alios excellēs. In lege uerò priore §. Omnibus. C. de Veteri iure enucleâdo, splendidissimus, et summi ingenij uir. In C. Theodosiano sub titulo de Respōsis prudentū ab Impp. Theodosio, et Valentiniano excellentis ingenij uir dicitur, et paribus Iurisprudētū hinc inde numero partibus existentibus, eā auctoritatis nomine præponderare decernitur, in qua Papinianus emineat. De huius uiri nece perlepidè Aelius Spartianus in Ant. Caracalla.

Hieronymi Magii

*tanquam celebriorem, ac loci ratione commo-
diorem, & fœneratores & mercatores conue-
nire solerent. Ad quod existimandum me im-
pellunt subiecti ex libro primo Fastorum Qui
dij uersus de Iano,*

» *Cùm tot sint Iani, cur stas sacratus in uno
» Hic ubi iuncta foris templa duobus habes?
Est autem credendum circa Iani templum il-
lud porticus, tabernasq; fuisse, in quibus illi de-
gerent, locoq; uidetur nomen fuisse, Sub uete-
ribus, sic dicente Plauto,*

*Sub ueteribus ibi sunt qui dant, quiq; acci-
piunt fœnore.*

*Alioquò, si Chiliadum auctorem audiamus,
quo pacto circa paruulam Iani ædiculam in
medio Fori locatam, maximæ urbis mercato-
rum fœneratorumq;, & aliorum ciuium uis-
ingens, commodè citraq; cæli iniuriam hye-
me atque æstate cõuenire, excipiq; sedilibus po-
tuit? sedilia enim ad medium Ianum in huius-
modi hominum usum fuisse, demonstrat Cice-
ro inueniens, A quibusdam optimis uiris ad
medium Ianum sedentibus. Ac profectò neu-
tiquam dicendum uidetur, ædiculam illam bel-
li pacisq;, portis binis nunc adaperitis, nunc
clausis indicem, tabernis, porticibusq;, unde
ciuibus prospectus adimeretur, Forumq; ædi-
ficijs medium occuparetur, fuisse obseptam.*

Quin

dam sententia dicebat, tria Iani in Foro tépla, commenta esse suspicatur; probabiliusq; esse ait, medium Ianu uocari, quod in medio Foro basilicam haberet, nihilq; ad hanc opinionem astruendam allegat. Ego à Procopio lib. I. de Bello Gotth. scriptum quidem inuenio, Iani sacellum æreum, ex quo belli pacisq; argumenta peterentur, in Fori medio fuisse, è regione Capitolij, paululum supra eum locum, quem Romani sua ætate, Tres Parcas nuncuparent: tantaq; fuisse amplitudine, quanta ad Iani æreum idolum longum pedes quinque, excipiendum satis esset. Liuius lib. I. Dec. I. ad infimum Argiletum locat, sic enim ait loquens de Numa, Ianum ad infimum Argiletum, indicem pacis, belliq; fecit: apertus, ut in armis esse ciuitatem, clausus, pacatos circa omnes populos, significaret, &c. M. Varro literis consignauit, duodecim aras Iano fuisse in Vrbe dicatas, ut singulas singulæ haberent regiones, duas uerò præ cæteris cultas, alteram in foro boario, in Romano foro alteram ad arcum Fabianum. Liuius lib. I. Dec. 5. trium meminit Ianorum, Et Forum, inquit, porticibus, tabernisq; claudendū, et Ianos tris faciendos, &c. Ego in tanta uetustatis caligine, censuerim Ianum ab Horatio, & Cicerone medium dici, quod inter duo fora sacraus staret, ad quem

N tanquam

Hieronymi Magii

criminale fuisset, per plures dies exercendam esse, argumento erat. Ex his scriptoribus, Clementis Romani solius, quem præ manibus habemus, cum alij memoria exciderint, testimonium adduxisse in præsentia sufficiat. Eius lib.

2. Apostolicarum constitutionum Cap. 5 6. uerba sunt hæc, θεάταδε δὲ καὶ τὰ κοσμικὰ δικάσιμα. ὧν τῇ ἐξουσίᾳ ὁρῶμεν ἀγομένους φονεῖς. μίχους. φαρμακοὺς. τομωροὺς. πησᾶς. καὶ τὰς ἀνακρίσεις αὐτῶν λαβόντες οἱ ἡγούμενοι ὑπὸ τῶν ποροσαγόντων, λέγουσι τῷ κακούργῳ, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει. καὶ κείνου συγκαταθεμένου, οὐκ ἀθέως ἐπι τὴν κόλασιν αὐτὸν ἐκπέμποσιν, ἀλλὰ πλείοσιν ἡμέραις ποιουῶται αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ, καὶ παραπετάσματος μέσου, &c.

Idest, ut Bouius interpretatus est,

Aspicite mundana iudicia, quorū potestati uidemus tradi homicidas, adulteros, ueneficos, sepulchrorū perfossores, latrones. De quibus cum quæsiuerunt præfetti iudicio ab ijs, qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant reos, An illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent cum multo consilio, & uelo interiecto. Hætenus Clemens. Verum cum leuior esset causa, & quæ indigne huiusmodiq; notione minime

Quin eam paruulam, qualem Procopius delineat, non alia ratione extructam existimo, quàm ut Fori portio minor occuparetur, & si materiae etiam gratia, talem factam uideri posse, non eo inficias.

Iudices qua ratione olim, leuato uelo causas cognoscere dicerentur.

CRP. XIII.

HONORIVS & Theodosius Imperatores C. lib. XI. sub tit. De Naufragijs, sic loquuntur, De submersis nauibus decernimus ut leuato uelo istae causae cognoscantur, &c. Horum uerborum sensum nostri Iureconsulti satis affecuti uidentur, quando ea & in prouerbum traxerunt, ut Alciatus lib. 4. De uerborum significatione adnotauit. Sed qua ratione leuato uelo causae cognosci dicantur, nemo, quod equidem sciam, ad hanc usque diem declarauit. Ego arbitror ab eo, quod à Iudicibus in causarum cognitionibus fieri soleret, hunc loquendi morem profluxisse. Vt enim apud Ecclesiasticos scriptores à me fuit obseruatum, cum res altiore indagine, & examine indigeret, Iudices uelut quoddam tribunali prætendere solebant, quae res, non liquere, iustamque causae cognitionem adhibendam, questionem uel, si iudicium

Hieronymi Magii

criminale fuisset, per plures dies exercendam esse, argumentum erat. Ex his scriptoribus, Clementis Romani solius, quem præ manibus habemus, cum alij memoria exciderint, testimonium adduxisse in presentia sufficiat. Eius lib.

2. Apostolicarum constitutionum Cap. 5 6. uerba sunt hæc, θεάσαθε δὲ καὶ τὰ κοσμικὰ δικαστήρια. ὧν τῇ ἐξουσίᾳ ὁρῶμεν ἀγομῆνοις φονεῖς. μίχους. φαρμακοὺς. Ἰμβωρύχοις. πησᾶς. καὶ τὰς ἀνακρίσεις αὐτῶν λαβόντες οἱ ἡγούμενοι ὑπὸ τῶν ποροσαγόντων, λέγοισι τῷ κακούργῳ, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει. καὶ κείνου συγκαταθεμένου, οὐκ ἀθέως ἐπι τὴν κόλασιν αὐτὸν ἐκπέμποσιν, ἀλλὰ πλείοσιν ἡμέραις ποιουῦται αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ, καὶ παραπετάσματος μέσου, &c.

Idest, ut Bouius interpretatus est,

Aspicite mundana iudicia, quorū potestati uidemus tradi homicidas, adulteros, ueneficos, sepulchrorū perfossores, latrones. De quibus cum quæsiuerunt præfeti iudicio ab ijs, qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant reos, An illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuò eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent cum multo consilio, & uelo interiecto. Hætenus Clemens. Verùm cum leuior esset causa, & quæ indagine huiusmodiq; notione minime

nimè indigeret, tunc eo amoto uelo negocij notio habebatur, sententiaq; ferebatur. Ex hac igitur consuetudine iam tum tempore Clementis Romani, qui Apostolorum atate uixit, recepta, Honorius & Theodosius Imperatores, leuiore causas, lenato uelo cognosci scriptum in prænotata lege reliquerunt. Hac de re plura fortasse leges in scholijs ad hunc locum, pij et eruditissimi Theologi Francisci Turriani, qui nullis laboribus, nullis sumptibus parcens, Clementis libros cum blattis luctantes, ab interitu uindicauit, primitusq; Græcos Iordano Zileto Bibliopolæ solerti inuulgandos dedit, mox & Latinos ac cū scholijs multis, ut mihi dixit, editurus.

An antiqui, & quo tempore stapiis sint usi : Galeoti Martii error imposturaq; demonstratur, & Tortellius defenditur.

CAP. XIII.

IOANNES Tortellius Arretinus, uir non indoctus, qui Laurentij Vallæ coætanei, amiciq; sui exemplo permotus, pro uiribus cum barbarie manus conseruit, remq; literarum, cum qua malè agebatur, promouere lexico, ac alijs scriptionibus conatus est, Stapias apud antiquos nõ fuisse in usu, literis pro-

N 3 didit.

Hieronymi Magii

didit. Eius sententia eruditorum omnium cal-
culis, si Galeotum Martium Narniensem ex-
cipias, comprobata fuit, atq; hodie compro-
batur. Hic enim in libro de Doctrina promi-
sca, cap. 28. eum malè eo nomine alijsq; de
causis accipit, quantum ad rem nostram spe-
ctat, his uerbis, Sed miser Tortellius merus
recitator, nihil considerans, quæ non aduertit,
putauit nusquam extare. digna enim risu sunt,
quæ ibi recitat. Negat nanque clostrum, quo
equum ascendimus, Latinos habuisse. Lucre-
tius quinto.

» Et prius est armatum in equo conscendere
clostris.

Klosta enim scala est, & id, quod ab ephippijs
ad uentrem usque equorum pendet, ascensuro
in equum, ut scala facilitatem præbet. Hæc
ille. Sed dicat Martius quo'nam Lucretij co-
dice, clostris, legerit, & apud quem auctorem
Klostam, scalam significare inuenerit. Tam
manuscripta enim, quæ uiderim, exemplaria,
quàm typis representata, costas, habent; &
Græcis non Klosta, sed κρόστα, ut omnes no-
runt, scalam significat. Mira est hoc loco) quod
cū multo eius honore dictū sit) impostura, qui
ut Tortellium coarguat, nec à contextuum de
prauatione absteineat, quasi myopibus luscio-
sisq; fucum facere uelit. Nam quotus quisq;
uel

*uel semidoctus literator fuerit, qui non uideat
Lucretium equestris artis incrementa asse-
rentem, & à simplici equorum usu exorsum,
non potuisse statim Stapiarum meminisse?
Poëtæ uerba, ne quis me Tortellij causam
mendacijs agere suspicetur, adscribam,*

» *Et prius est armatum in equi conscendere
costas,*

» *Et moderarier hunc frenis, dextraq; ciere,*

» *Quàm biugo curru belli tentare pericla:*

» *Et biugo prius est, quàm bis coniungere
binos,*

» *Et quàm falciferos inuentum ascendere
currus.*

*Stapiarum usum apud antiquos nullum fuisse,
præter equestres antiquorum Statuas, præter-
que uetusta numismata, & in antiquis mar-
moribus à sculptoribus equites equis uehentes
expressos, hæc etiam manifestè demonstrant.
Xenophon in lib. de Arte equestri, dum quo
pacto equus conscendi debeat, edocere nititur,
Stapiarum usum non agnoscit. Hippocrates
quoque in libro de Aëre, aquis & locis, lo-
quens de Scythis, innuere uidetur, sua etate
nec Scythis, nec alijs nationibus cognitas fuis-
se Stapias. in hanc enim loquitur sententiam,
Ab equitatione ipsa diuturni eos corripiunt ar-
ticulorum dolores, nimirum propendentibus*

Hieronymi Magii

semper ex equis eorum cruribus . Deinde claudi fiunt, contrahunturq; coxendices cum inaruerit morbus, &c. Et post multa, Simili autem modo & reliquis hominibus euenit . Vbi enim frequenter, & continuè homines equitant, ibi plurimi à diuturnis doloribus, articulorum coxendicumq; maximè, & pedum corripuntur, ad coitumq; fiunt impotentes, quæ omnia mala Scytharum genti adsunt. Hæc ille. Vt minus idem nobis aduersetur dum Nomades (sunt hi Scythæ) inter equitandû, quomodocunque equis insideant, non adhibere animum dicit, quando & quæ Scythis, equitatio ipsa conciliabat mala, reliquis etiam, equis inuehentibus, eandem ob causam, conciliari consueuisse scribit. Huc accedit Suetonius in Caligulae uita (ut quæ de alijs nationibus fate ri cogimur, de Latinis quoque uera esse, nemi ni negare sit integrum) qui equitû crura, nulli conquescentibus pedibus, propendêre consueuisse demonstrat, dum Germanicum Caligulae patrem, ad crurum gracilitatem, quæ formæ minùs congruebat, replendam, assidua ab equi uectatione post cibum, adiumenta petijisse dicit. Nouimus enim statim pransorum crura, si assiduè equis stapijs carentibus illi uehant, quòd propendeant, atque huc et illuc agantur, sanguine plurimo atque humoribus

in ea decumbentibus, insignem adipisci crassitiam. Præterea Iulius Pollux libro 10. cap. 10. et 12. in quibus agit de uehicularum partibus, ac de equestribus instrumentis, & a libi, reliqua omnia executus, stapiæ, aut instrumenti similis nullam habet mentionem. Quamquam autem uerum est antiquos stapias nullas habuisse, non est tamen negandum, adeo non uetustis, nec etiam nobis uicinis temporibus, harum usum agnosci. Memini enim me in Diui Hieronymi epistolis non stapiæ, sed bistapiæ inuenire mentionem, inquit enim, si memoria non labat, se cum quasdam accepit literas, iumentum conscensurum, iam pedem habuisse in bistapia. Romæ quoque in uetusto lapide, stapiæ haud dubiè mentio fit, ita enim habet inscriptio,

D.

M.

QVISQVIS LECTVRVS ACCEDIS
CAVE SI AMAS. AT SI NON
AMAS PENSICVLA MISER QUI
SINE AMORE VIVIT DVLCB EXIT
NIHIL. AST EGO TAM DVLCB
ANHELANS ME INCAVTE PER-
DIDI ET AMOR FVIT.

¶ QVO DVM ASPECTVI FORMO-
SISS. DVRMIONIAE PVELLAE
VIRGVNCVLAE SVMMA POLVO-
RIA

Hieronymi Magii

RIA PLACERE CVPEREM CASV
DESILIENS PES HAESIT STA-
PIAE TRACTVS INTERII.

IN REM TVAM MATVRE PROPERA
VALE.

Inscriptionem autem monumentumque hominis non fuisse Christiani, ex interpunctis literis D. M. cognoscitur, quæ, ut neminem antiquitatum peritum latet, Dijs Manibus defuncti, sepulchrum esse dicatum significant (tamen si multi nostra ac ætate ad inferorum Deos, ut ad Plutonem Proserpinamque, non sine manifesto errore, in uniuersum referunt) ut ex his Gellij uerbis lib. 10. cap. 18. satis liquet, Id, inquit, monumentum Artemisia cum Dijs Manibus sacris Mausoli dicaret, ἀγῶνα, idest certamen, laudibus eius dicundis facit, &c. Vt alia ad hanc rem spectantia nunc mittam, quæ in libris de Sepulchris et sepeliendi ritu sunt à me collecta argumenta. Hanc ego inscriptionem paululum supra Diui Hieronymi ætatem, factam esse existimo.

*Foro Cornelij (si quæ mihi narrantur uera sunt) abhinc non multos annos, tumulo quodam peruetusto collabète, qui ante annos octingentos fuerat, ut ex epitaphij notis numeralibus deprehendebatur, constructus, equitis inuenta sunt ossa uetustate exesa, cum equi
marcido*

marcido ephippio, cui stapiæ ijs, quibus hodie utimur, non absimiles inessent. Vides ergo stapiæ inuentum nec per uetustum nec recens esse. Sed hæc hæctenus, breui enim Robortellum meum, uirum eruditissimum deq; rep. literaria optimè meritum, huiusmodi antiquitatem in Com. suis in libros, quos iam de Vita & uitu pop. Romani edidit, illustraturum spero.

Discrepare auctores in primi diuortii, quod Romæ factum est, anno assignando. Gellii locum non esse ut quidam uolunt emendandum. Plutarchi Tertullianiq; in hac re auctoritas eleuatur, & Gellii sententia comprobatur. à Caio Iurisconsulto diuortii alata etymologia reiicitur. De Viri-placæ Dæ sacello, & magistratu, qui de repudiis ius dicebat. Quæ uerba in repudiis diuortiiisq; solennia antiqui usurparent. CAP. XV.

SUPER anno, quo primum Romæ diuortium factum est, non consentitur. Aulus Gellius lib. 17. Noctium Atticarum cap. ultimo Sp. Caruilius Rugam, primum Romæ de amicorum sententia diuortium cum uxore fecisse dicit, anno post Romam conditam quin-
gente-

Hieronymi Magii

gentesimo undeuicesimo . *Suprà uerò lib. 4. cap. 3. factum hoc fuisse dicit M. Attilio, & P. Valerio Coss. anno ab urbe condita quingentesimo uigesimo tertio. Quo loco cum annorum numerus notis scribatur, non uerbis, ut prenotato cap. ultimo, contextum deprauatum maculosumq; esse, ne sibi ipsi contraria prodere auctor uideatur, affirmauerim. Procliuiiores autem esse librarios, scribasque ad errorem, numerorum notis, quam integris uocibus describendis, cum Eusebij aliorumque Chronica passim mendosa, tum quæ quotidie usu ueniunt, satis demonstrant. Quod etiam ex Galeno cognoscimus, qui libro 1. de Antidotis sic ex interprete loquitur, Quonia uerò, ut dixi, multa exemplaria, medicinarum pondus mendosum habent, idcirco ipsum non notis, sed integris uocabulis primum apposui, Menecratis iudicium in hac parte sequutus, &c. Plutarchus in Numæ, & Lycurgi comparatione, Romanos dicit memoriæ tradidisse, primum Sp. Caruilius extitisse, qui ab urbe condita anno ducentesimo & trigesimo, cū uxore diuortium fecerit. Qui mendosè in Latina uersione pro Caruilio Coruilius habet, sicuti suprà in Romuli uita Seruilius. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. literis prodidit, id factum esse Olympiade 137. M. Pompo-*

Pomponio, C. Papyrio Coss. idest urbis conditæ anno 523. cuius auctoritatem sequutus est Loritus in sua Temporum supputatione, quam in omnem Romanam historiam edidit. Tertullianus uerò de Monogamia, et in Apologetico, diuertisse ait ab uxore Caruiliū sexcentesimo propè anno ab urbe condita. Auctor librorum, qui De Inuētoribus rerum inscribuntur, Lorito adstipulatur, nullamq; Gellij mentionem facit. Quin ad probandum consulatū, & annum, præter Dionysium, Plutarchum duntaxat laudat auctorem in Romuli uita, ubi nihil de Consulibus et anno, quibus Caruilianum diuortium factum est, scriptum inuenias; nec ex Numæ, et Lycurgi collatione petit testimonium. Iacobus Cuiacius uir supra ueri fidem doctus, quiq; ad leges bonasq; literas illustrandas quodam Prouidentiæ dono nostræ ætati datus uidetur, Observationum suarum lib. I. cap. 39. ex his, quæ Tertullianus dicit, & ex annorum ratione, Gellij locum citato cap. nouissimo, mendosum esse existimat, et ideò non quingētesimo undeciesimo. legendum esse, sed sexcentesimo ferè. A quo nec cursorum codicum, nec calamo exaratorum fidē unquam stare uidimus. Quin Valerius Maximus homo Romanus, uno solūm dissidens anno, Gellij lectionem cōfirmat, quòd quenquam
animad-

Hieronymi Magii

animaduertisse non uideo; lib. enim 2. cdp. 1. loquitur in hæc uerba, Repudium, inquit, inter uxorem, & uirum, à condita urbe, usq; ad uicesimum, & quingentesimum annum, nullum intercessit. Primus autem Spurius Caruilis uxorem sterilitatis causa dimisit, &c. Quamobrem, si quis me arbitro utatur, dixerim, Gellio magis, quàm Tertulliano, aut Plutarcho fidem esse adhibendam, tum quia concinat illi alter Latinus auctor, et (quod magis est) homo Romanus, et uetustioris grauiorisq; quàm Tertullianus, aut Plutarchus auctoritatis; tum quia Dionysii supputatio, si ei quatuor annos exemeris, Gellianæ maximè congruat. Verùm nec si Dionysius Plutarchusq; cū Tertulliano facerent, Gellij et Valerij quicquam auctoritati demeretur, cū in Latinorum rebus, magis Latinis auctoribus, quàm Græcis fidendum sit, Græcosq; in huiusmodi rebus maximè hallucinatos esse uideamus. E quibus, ut de Plutarcho et alijs minimè in præsentia loquamur, unum profero Epiphanium, Christianum doctumque auctore, qui in libris, quos contra hæreses conscripsit, & ad hæresim ex eius ordine 50. Consules permultos post Octauiani Augusti, & M. Plautij Syluani Consulatum recensens, & nominibus, & annis adeò à nostrorum historijs et Chronologijs

(si

(si modò mendis uacat eius contextus) discrepat, ut nihil minus temporum illorum supputationi, atque historiæ conueniat. Atq; hæc quidem de tempore, quo ab uxore diuertit Caruilius. Quod spectat ad diuortij etymologiã, non minor uidetur esse inter auctores dissensio, existimante Paulo Iurisconsulto in. l. Inter diuortium. ff. de Verborum significatione, dictum ideò, quòd in diuersas partes eant, qui discedunt; Caio in. l. 2. ff. de Diuortijs. à diuersitate mentium; alijs à diuertendo; quibusdam uerò per translationem à diuortio aquarum, rerumq; similium, cum propria uoce rem hanc exprimente careamus. quæ fuit Ciceronis sententia lib. 3. de Oratore, qui cum sit testis omni exceptione maior, ut alios refellam me maxime cogit, præsertim Caium, cum diuortio non admodum structura & sono diuersitas affinis sit, & longius quàm par sit etymon petatur. Idem Cicero libro citato, doctrinarum diuortia dixit; in Epistolis uerò ad Atticum, aquarum diuortia. Iul. Frontinus in cap. de Qualitate agrorum, aquarum diuergia. Virgilius similiter aquarum diuortia, & uiarum, Lucanus fluminum, & maris; Gratius uerò Poëta in libello de Venatione, morborum in canibus diuortia. Vnde non immeritò Nonius diuortium, rerum omnium separationem dixisse

Hieronymi Magii

dixisse uideri possit. Hebræi, penès quos uetustissima diuortium habet initia, ut Deuteronomij cap. 24. perspicitur, nomen Diuortij à uerbo, quod scindere sonat, deducunt; libellumque abscissionis dicunt (Marcus Euang. cap. 10. βιβλίον ἀποσάσιον, Matthæi uerò interpres ἀποσάσιον quasi abscissionale, nuncupant) quòd uiri, & uxoris nexum coniugationemque in perpetuum abscindat, ac dirimat. Plato Dialogo XI. de Legibus, diuortium permittit, si Latino ore loquatur, his uerbis, Si uir, inquit, & uxor propter morum acerbitatem inuicem non conueniant, decem uiri de legum custodibus, qui mediij sint, & decem mulieres de curatricibus connubiorum, provideant. Quorum sententia, si ita conciliati fuerint, ualida & stabilis habeatur. Sin autem illorum animi uehementius etiam iracundia fluctuent, factò diuortio, illos pro uiribus quærant, qui utrisque conueniant. Hæc Plato. Quantum uerò spectat ad uiri & uxoris conciliationem, haudquaquam est ignorandum, quod Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. scriptum reliquit, Romæ olim fuisse sacellum Deæ Viriplacæ, in quod uir, & uxor, quoties aliquid intercesserat iurgij, & similitatis, ueniebant, atque ibi uerbis, quæ uoluerant, ultrò citroq; habitis, animorum contentione

tione hac ratione sedata, depositaq; , domum concordem remigrabant. Athenis quoque, ut Plutarchus in Alcibiade testatur, magistratus erat, qui de repudijs diuortijsq; huiusmodi ius diceret, & contentionibus discordijsq; sublatis, uxorem uiro, publica adhibita auctoritate, & uirum uxori conciliaret. Illud quoque hic reticendum non uidetur, in diuortijs solennia fuisse uerba, quibus antiqui uterentur. Caius. l. 2. ff. de Diuor. In repudijs autem, id est renunciatione, comprobata sunt hæc uerba, TVAS RES TIBI HABETO. Item hæc, TVAS RES TIBI AGITO. In sponsalibus quoque discutiendis, placuit renunciationem interuenire oportere, in qua re hæc uerba probata sunt, CONDITIONE TVA NON UTAR. Hæc Caius. Quo in loco sciendum est priora illa renunciationis uerba, fuisse magis in usu, cum Cicero, Plautus, Martialis, atque Apuleius in eadem formula uerbum habendi, non autem agendi ponant. Cicero Philip. 2. Mimam illam suam, suas res sibi habere iussit ex duodecim Tabulis. Apud Plautum matrona à marito diuertens ait, Tibi habeto res tuas. Martialis,

» Mense nono Iani ueterem Proculeia maritum

» Deseris, atq; iubes res sibi habere suas.

Hieronymi Magii

Apuleius lib. 5. de Asino aureo, Confestim inquit thoro meo diuorte, tibiq; res tuas habeto. &c.

Claudii Quadrigarii, Taciti, & Liuii loca, quæ pugnare uidebantur, conciliata, Ant. Iulianus reprehensus.

CAP. XVI.

Ex undeciesimo Annali Q. Claudij Quadrigarii apud Gellium lib. 9. cap. 1. Notitium Atticarum, hæc uerba referuntur. Sagittarius cum funditore utrinq; summo studio spargunt fortissimè. Sed sagittam atq; lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest. Nam neutrum potest deorsum uersum rectè mitti, sed sursum utrunq; optimè. Quare milites Metelli sauciabantur multò minus, & quod maximè opus erat, à pinnis hostes defendebant facillimè. Hæc Quadrigarius; Quod autem de sagitta & lapide est ab eo scriptum, hoc de omni ferè missili telo dici posse, Antonius Iulianus Rhetor Gellio olim affirmavit. Sed Cornelius Tacitus lib. 17. loquens de Placentia à Vitellianis oppugnata, ab Othonianis uerò defensa, contrarium usuuenire demonstrauit his uerbis, Ingerunt, inquit, desuper Othoniani pila, librato magis ac certo icu, aduersus

fus temerè subeuntes, &c. Liuius quoque ali
 quo pacto aduersari uidetur inquiring libro 7.
 Dec. 1. Præter uirtutem, locus quoq; superior
 adiuuit, ut pila omnia hastæq; , non tanquam
 ex æquo missa uana, quod plerunq; fit, cade-
 rent, sed omnia librata ponderibus figerentur.
 Et lib. 10. Dec. 3. Pæni uana pleraq; , ut po-
 tè supino iactu, tela in locum superiorem mit-
 tebant. Grauior, ac pondere librior supernè
 ex onerarijs ietus erat, &c. Vides inter hos
 auctores non leuem suboriri simultatem. Ve-
 rùm non adeò incaluerunt, ut sedari ea paruo
 negotio non possit. Non est igitur ignorandum,
 quod de sagittæ, & lapidis iactu à Quadri-
 gario dicitur, non ad pila hastasq; , quæ citra
 arcum aut ballistam fundamq; iaciuntur, esse,
 ut Iulianus facere uidetur, trahendum; siqui-
 dem, ut experimento docemur, siquis ex infe-
 riore loco certum superiorem saxo citra ma-
 chinæ aut fundæ adiumentū, petere ac ferire,
 aut in eundem hastâ torquere uelit, segnius te-
 lum ferri, à scopo multùm aberrare, uanumq;
 decidere animaduertet, quòd humani corporis
 tormentiq; non eadem sit ratio. Tormenta e-
 nim quo magis eleuantur, dummodò lineam
 quadragesimi quarti, aut quadragesimi quin-
 ti gradus Quadrantis non supergrediantur,
 semper grauiores, lógiore, directiores, certio

Hieronymi Magii

resq; emissiones atq; ictus habent : quod non fieri animaduertes , si ex supernis in inferna sit eiaculatio , nimirum teli quia in præceps tendentis , atq; ad centrū sedemq; suam properantis pondus , impedimento sit . Verū cum manū quis lapidem aut hastam ex muro aliouedito loco demittit , si scopus , quem ferire uelit , non longè à perpendiculi linea absit , quam moderatio , atq; ratio mittentis , teli pondere aboletur , nihilominus quia breuis est eius procursus , faciliorq; iactus , raro rariusa scopo aberratur . Et de hac iactus specie intellexisse Tacitum existimo ; milites enim temerè muris succedentes , non eos , qui longius aberant , pilis , quibus Romanos iaculorum uice usos esse constat , non ballistis aut scorpionibus arcubus'ue missis telis , librato magis , et certo ictu confixos dicit . Liuius quoque de pilis hastisque duntaxat , ut uides loquitur , in quorum telorum iactu , quod hi dixerunt , usu uenit , & si Liuius non de ictu directiore , sed grauiore libratioreque ex supernis locis in ima ; ex imis uerò in superna , aut in æqua , magis irrito citraq; offensam , loquitur . Alioqui minimè inter hos conueniret .

Ioannem Babt. Pium Bononiensem malè interpretari quosdam Tibulli, & Vergilii uersiculos, magnoq; errore tumulos passim apio coronari solitos, scriptū reliquisse. De uariis coronarum sepulchralium generibus.

CAP. XVII.

IN Antiquitatibus exquirendis, pernoscendisq;, & bonis auctoribus illustrandis, ne utiquam sua ætate postremus fuit Ioannes Baptista Pius Bononiensis. Is inter cætera ingenij sui monumenta Adnotationes in uarios auctores non planè infrugiferas, posteritati legendas reliquit, quarum cap. 15. ait, se cum olim esset eloquentiæ candidatus, existimasse, ab antiquis omnibus promiscuè floribus, uiolis & lilijs, & huiusmodi alijs, exornari tumulos consueuisse, eamq; ob rem in hoc Albij Tibulli uersiculo lib. 2.

» Annuæ constructoserta dabit tumulo.
Serta annua pro coronis florum uariorum accepisse. Cæterum cum Plutarchi Timoleonem legisset, sententiam immutasse, quòd ille tumulos apio coronari scribat, et præsertim quia Plinius lib. 20. Nat. hist. cap. XI. testetur, apium defunctorum epulis feralibus esse dicatum: atque ideò non solum apud Tibullum lo-

Hieronymi Magii

co citato, sed etiam apud Virgilium in Copa,
ubi inquit,

» Quid cineri ingrato seruas malè olentia
serta

» An'ne coronato uis lapide ista tegi?

sepulchrorumserta, pro sertis duntaxat ex
apio textis, esse accipienda. Quæ cum ego le-
gerem, luculento non carere errore intellexi.
Primum enim quantum spectat ad Plutarchi
locum, uidere nescio quo pacto hic auctor Pium
in huiusmodi deliramentum protraxerit: hæc
enim est uerborum, quæ ad rem facere un-
quam potuerunt, sententia, Cæteros milites
postquam Timoleo persuasionibus exortatio-
nibusq; firmiter ad prælium induxit, ad Crime-
sium fluuium, quo Carthaginenses uenturos
audiuerat, adduxit. Qui cum castra supera-
ret, unde inimicorum castra uidendi potestas
erat; mulis apium ferentibus obuiauit: quod
/ infaustum milites augurium putauere, quo-
niam apij coronas, sepulchris imponere, usur-
patum est. Vnde prouerbium hoc natum est,
Apio egere, qui periculosè ægrotet. Hæc Plu-
tarchus. Nunc quis dixerit, modò mentis com-
pos sit, quoniam scribat Plutarchus, apud
Græcos consueuisse coronas ex apio sepulchris
imponi, idem de Latinis esse affirmadum, quin
ex alijs floribus textaserta, sepulchris non
fuisse

fuisse imposta, demonstrari? Polyænus lib. 5. apud Timoleonis milites coronandorum apio sepulchrorum morem fuisse ait. Diodorus in Philippo, ad extruendos thoros, eadem loquens de re, usui fuisse dicit. tametsi Cicero in epistola ad Cælium, inquit, Togam prætextam texi apio.] Latinis etiam feralis fuisse apium, innuere uideatur. Quis unquam contendet Græcorum moribus, institutisq; , Latinorum scriptorum mentes exquirendas introspectendasq; esse? Quod uerò ad Plinij locum attinet, quotus quisque erit, qui Plinium ex auctoribus non Latinis illud de defunctorum epulis feralibus referentem, sepulchrales coronas ex apio fieri, demonstrasse suspicetur? Atqui tantum abest ut Plinij locus prænotatus Pij fulciat opinionem, ut eam potius demoliri uideatur: quandoquidem si apio ad coronanda sepulchra usi fuissent Latini, Plinius, qui in historia usus rerum non reticet, et qui lib. 21. cap. 3. coronarum sepulchralium meminit, hunc eius herbæ usum silentio non inuoluisset. Verum, si Dijs placet, hæc à Pio stare concedamus: sed qua'nam ratione huius uiri sententiam tuebimur, qua coronarum reliquarum, & florum usus excluditur atq; ablegatur? In uetustis inscriptionibus, quas supra hoc eodem libro, cap. 2. retulimus, rosif

Hieronymi Magii

exornari consueuisse sepulchra apertè liquet. nec solùm rosis, sed & myrteis coronis, ut in ea, quæ Comi uisitur. Torcelli quoque ita in uetusto lapide scriptum legitur,

LONGIVS PATROCLVS SECVTVS
PIETATEM COL. CENT. HORTOS
CVM AEDIFICIO HVIC SEPVLT.
IUNCTO VIVVS DONAVIT. VTEX
REDDITV EORVM ROSAE ET E-
STAE PATRONO SVO. ET QVAN-
DOQ. SIBI PONERENTVR.

Et si Plinius lib. 21. cap. 4. rosæ in coronis usum propè minimum esse dicit. Apud Græcos quoque sepulchra rosis decorari consueuisse; subinnuit Anacreon in Ode Eis ῥόδον, idest in rosam, his uersiculis,

» Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,

» Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει.

Idest, Quid dicam, & illa multis,

» Medicina certa malis,

» Nec inutilis sepultis.

*Quid? non'ne apud Virgilium Aeneid. lib. 5. ubi Aeneam purpureis floribus patris tumulū aspergentem, & lib. 6. dum Octau. Augusto, & eius sorori in Marcello adulatus, lilia & purpureos flores, quibus pueri manes honoret, poscentem eundem facit, animaduertere potuit Pius flores à parentationibus tumulo-
rumq;*

rumq; ornamentis non esse excludendos. Erroris eundem commonefacere potuit Varro libro 6. de Lingua Latina eo loco, ubi sic scriptum legimus, *Insulas dictas apparet, quod uelamenta hostijs è lana, quæ adduntur, dicuntur insulæ: intra hostiarum cornua uelamenta erant. Itaque nunc cum ad sepulchrum ferunt frondes, ac flores, addunt lanas. hæc ille. Ad hæc Plinius ipse lib. 10. cap. 43. corui funus, quod innumeris exequijs tanquam mortui hominis, Romæ celebratû fuit, coronis omnium generum honoratum dum dicit, eum labentem subleuasset. Illud hîc non est omittendum, myrteas coronas non solùm à Latinis, sed etiam à Græcis, sepulchris imponi solitas, ut apud Euripidem in *Electra* manifestè perspicitur. Plutarchus quoq; in *Aristide*, myrtum à Græcis, funeribus olim esse adhibitum, docere nos potest. Theophrastus lib. 6. de *Historia plantarum* *Pothi* floris specie altera, quæ de color, subalbidaque est (Plinius lib. 21. cap. xi. *florem hunc tumultis ait innasci*) sepulchra exornari sua ætate fuisse in more positum, testatur. Philostratus quoq; in eam rem *amaranthum* usurpatum scribit, orto à *Thesalis* initio, qui *Achillis* sepulchrum huiusmodi coronis redimirent. Sed omnibus quotquot sunt floribus etiam coronari consueuisse tumulos,*

Hieronymi Magii

los, ostendit Sophocles in Eleetra sic scribens,

» *χρῦ. καὶ δὴ λέγω σοι πᾶν, ὅτον κατειδίμην.*

» *ἐπὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,*

» *ὄρῳ κολώνης ἐξ ἄκρας νεορρύτους*

» *πηγὰς γάλακτος. καὶ περισεφῆ κύκλω*

» *πάντων ὅσ' ἐσὶν ἀνδρέων θήκην πατρὸς.*

Idest, si uerbum uerbo reddas,

» *Chry. Et iam dico tibi omne, quodcunq; con-*
spexi.

» *Postquam enim ueni patris ad anti-*
quum sepulchrum,

» *Video iugo ex alto nuper fusos*

» *Fontes lactis, et circumcoronatum cir-*
culo

» *Omnium quotquot sunt florum tumu-*
lum patris.

Sed hac de re plura in libris nostris de Sepul-
chris, et sepeliendi ritu, quos cum ocium, quod
ad eos elambendum, satis sit, nacti erimus, su-
mus cum alijs multis edituri. Ideò finem fa-
cio, si tamen prius dixero, apud Latinos ferta
tenijs olim laneis colorifis adornari consueuis-
se, quas in fertis urnarum sepulchrorumq; an-
tiquorum insculptas uidemus. quæ teniæ ob id
lanisci, ut reor, appellatæ sunt. Festus libro
10. Lanisci [sic enim apud Festum, & apud
Plin. lib. 21. cap. 3. ubi teniarum huiusmodi
mentio habetur, legendum, non Lemnisci] id-
est

est fasceolæ coloris dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quòd antiquissimum fuit genus coronarum lanearum. Sic Festus. ut hos laniscos significare Varro loco suprà citato, lanarum uoce uoluisse uideatur, & Cæcilius apud eundem Festum lib. 18. tenijs, quibus sepulchrum plenum dixit. Plinius laniscos aureos factos postea dicit, eosq; diu puros fuisse, demum & cælari cæptos. Nos in sepulchrorum fertis striatos uidimus. Idem libro 18. cap. 2. uitta alba antiquitus ab Acca Laurentia spiccam coronam fuisse colligatam auctor est. Plutar. in Philopæmene tenijs, defunctorum urnas redimiri consueuisse demonstrat.

De more Pythagorico in condendis sepulchro cadaueribus seruato. Locus in Plinii Naturali historia emendatur.

CAP. XVIII.

Pythagoricum dogma, superstitionibus multis non solum in his, quæ ad uitam pertinebant, sed & in his, quæ in funere seruanda essent, scatebat; è quibus illam præ cæteris insignem legimus, qua defunctos in myrti, oleæ, & populi nigræ folijs sepeliendos esse præcipiebatur. Pythagoricum morem hunc, Marcum Varronem secutum esse, Plinius

Hieronymi Magii

nius Naturalis historiae lib. 35. cap. 12. testatur his uerbis, Quin & defunctos se se multi fictilibus dolijs condi maluere, sicut M. Varro Pythagorico modo, in myrti, & olea, atq; populi nigræ folijs, &c. Sic legitur in uulgatis multis Plinij codicibus, atque adeò in eo, quem Gelenius à mendis se repurgasse dicit. Cùm mihi absurdum, minimeq; rationi cõsentaneum uideretur, dicere, quosdam dolijs, quæ uino continendo asseruandoq; , et liquidis huiusmodi rebus dicarentur, & in quibus, ut in sepulchris, corpora porrecta iacere non possent, condi uoluisse, manuscripta, & multos ab hinc annos excusa consului exemplaria, & non dolijs, sed solijs scriptum inueni, atq; ita etiam Blondum Forol. atque alios legere, postea animaduerti. Quo fit ut solijs, reponendum esse affirmem. Solium enim pro sepulchro accipi, minimè est apud auctores insolens. unũ atque alterum exemplum in tenuioris literaturæ hominum gratiam, adduxisse sit satis. Florus lib. 4. de Cleopatra, Incautiorem nata custodem, in Mausoleum se (sepulchra Regum sic uocant) recepit: ubi maximo, ut solebat, induta cultu, in differto odoribus solio, iuxta suum se collocauit Antonium, admotisq; ad uenas serpentibus, sic morte, quasi somno soluta est. Tranquillus in Nerone Claudio,

In

In eo monumento folium porphyretici mar-
 moris, superstante Lucensi ara, circumseptum
 est lapide Thasio. Quod pertinet ad oliuæ fo-
 lia, Plutarchus in Institutis Laconicis, & in
 Lycurgo auctor est, ex Lycurgi quoque san-
 ctione Spartæ cadauera in oliuæ folijs fuisse
 condita; in hanc enim de Lycurgo loquitur sen-
 tentiam, Sed piacula quoque sustulit, ac ne
 quid unà cum cadaueribus sepelirent, manda-
 uit, præter puniceam uestem, et oliuæ folia, in
 quibus æquè omnes cadauera cõponerent, etc.
 Hinc partim Pythagoricæ sepulturæ morem
 fluxisse si quis dicat, non errabit. constat enim
 Pythagoram Lacedæmonem concessisse ut Ly-
 curgi leges agnosceret.

Lactantii Firmiani locus quidam in di-
 squisitionem uocatur, eiusque causa
 agitur. De pietate in defunctos, &
 cœmeteriis, quæ inopum funeribus
 destinabantur. CAP. XIX.

DIVINARVM Institutionum lib. 6. cap.
 12. Lactantius Firmianus pietate, atq;
 eloquentia uir sanè non obscura, ita scriptum
 reliquit, Vltimum illud, et maximum pieta-
 tis officium est, peregrinorum, & pauperum
 sepultura, quod illi uirtutis, iustitiæq; docto-

Hieronymi Magii

res prorsus non attigerunt . Nec enim poterant id uidere , qui utilitate omnia officia suametiebantur &c. Dum hæc olim legeremus , parum absuit , quin Laſtancio erroris nõtam inureremus . Nam tametsi Cicero in libris de Officijs alijq; nonnulli nihil omnino de pauperum peregrinorumq; sepultura præceperunt : tamen quidam apud Ethnicos , qui eam pietatis speciem neutiquam posthabuerint , fuisse uideatur . Seruius enim in explicationibus suis in librum *Aeneid.* 6. sic ait , Qui enim de pietatis generibus scripserunt , primum locum in sepultura esse uoluerunt . Vnde cum Pontificibus nefas esset cadauer uidere , magis tamen nefas fuerat , si uisum insepultum relinquerent . hæc ille . Plato quoque de iustitiæ generibus agens , quod ad defunctos pertinet non omisit , quin *Dialogo* 5. de *Rep. uirorum* , qui præcipua probitate pollere fuerint iudicati , cadauera condi , & honorari præcipit . Ad hæc *Aristoteles* in libro de *Virtutibus* (si modo hic *Aristotelis* est fœtus) postremam iustitiæ speciem in defunctos agnoscit : dicit enim Primam iustitiam esse , qua Deo , proximam , qua dæmonibus , tertiam deinde , qua patriæ , parentibus que ; postremam , qua uita iam functis , debitum , suumq; officium præstamus . Idem *problemate* 9 . *Seçt.* 30. defunctis opitulari ,

lari, magis iustum esse dicit, quàm uiuis hominibus, Cur, inquit, iustius habitum est, hominibus uita functis opem ferre, quàm uiuis? an quia uiui præsidio esse possunt; illi defuncti nihil præterea possunt. Sic Aristoteles. Cicero in Top. æquitatem, idest pietatem, tripartitam esse dicit, unam ad superos deos, alteram ad manes (in his defunctorum animas comprehendi puto) tertiam ad homines pertinentem. Quia uerò pietate uti erga defunctos, unum etiã Ethnicis erat iustitiæ genus, et, ut ex Seruio, & posteriore Aristotelis loco cognoscitur, præcellens, factum est ut parentalia, sacrificia, & funerandi sollemnitas, quæ in defunctorum honorem fiebant, iusta dicerentur. Vnde iusta facere, iusta soluere, iusta peragere.

Huc accedit, quòd Vergilius Aeneam piuum uirum appingens, etiam circa sepulturam sordida officia non aspernari facit, quod & Seruius adnotauit. Plutarchus in Numa, apud Romanos cultam dicit Libitinam Deam, quæ inspectrix esset eorum, quæ mortuis iusta præstabantur. Hinc quia in defunctos etiam pauperes, antiqui pietatem colerent, ipsorum funeribus loca destinauerunt, quibus Puticulis nomen erat, de quibus Pompeius lib. I 4. & Varro de Lingua Latina lib. 4. Horatius Ser. lib.

Hieronymi Magii

lib. 1. Saty. 8.

- » *Hic miserae plebi stabat commune sepulchrum.*
- » *Pantolabo scurrae, Nomentanoq; nepoti.*
- » *Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum*
- » *Hic dabat; haeredes monumentum ne sequerentur.*

Loca non absimilia Aggenus Urbicus in Commentario in Iulium Frontinum, Culinas dicta testatur, his uerbis, Sunt, inquit, in suburbanis loca publicè inopum destinata funeribus, quæ loca Culinas appellant. Sic Urbicus.

Quanquam Festus lib. 3. sub finem ait, Culinam dictum fuisse locum, in quo epulae in funere comburerentur. Quæ loca hodiè nos Christiani cœmeteria, idest dormitoria appellamus, quasi mors nostra somnus quidam sit, à quo nouissima simus die excitandi. ut maximè errent Iuris nostri Pontificij interpretes Gemianus, Abbas, & alij, qui inde sic dicta existimant, quòd cinis in eis mortuorum tegatur. Sed redeo ad rem. Adde quòd milites, quibus Lucanus nullam inesse pietatem dicit, & quos Chrysostomus Homil. 19. ad Matthæi cap. 18. pessimos hominum esse testatur, sepulturæ contubernalium curâ atq; hoc pietatis genus non abijciebant; quod uerum esse demon-

mon-

monstrat Vegetius lib. 2. de Re militari Cap. 20. loquens de parte dimidia donatiui à militibus apud signa sequestrandi, his uerbis, Addebatur etiam saccus undecimus, in quem tota Legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco, ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Hac ille.

Præterea apud Athenienses capitis pœna ducebatur infligebatur, qui milites in prælio cæsos nõ humassent: eamq; ob rem, ut Valerius Maximus lib. 9. Cap. 8. in fine memoriæ prodidit, decem olim Imperatores à pulcherrima redeuntes uictoria, capitali iudicio exceptos necauerunt, quòd militum corpora, maris sæuitia interpellante, sepulturæ mandare non potuissent. Quid ergo ait Lactatius? An Plato, Aristoteles, Cicero, & alij, quorum meminit Seruius, pietatem in defunctos non attigerunt? An cum ab Ethnicis prædicta sint facta, nulla apud ipsos iustitiæ erga defunctos pauperes præcepta, quæ ad sepulturam etiam pertinerent, extitisse putandum est? An ab ijs, quibus Manium iura ad Duodecim etiam Tabularum præscriptum, sancta erant, lethoq; dati pro Diuis habebantur, de humatione pauperum peregrinorumq;, à quibus nihil capi posset utilitatis, nihil præceptum fuisse affirmabimus?

Hieronymi Magii

*Profectò hac; non parùm Laëtantij dictis in-
fensa esse uidentur. Sed ne indefensum doctissi-
mum auctorem, qui mortuus, sibi superesse ne-
quit, relinquamus, ita eũ tueri posse uidemur.
Qui de pietatis generibus scripserũt, nihil præ-
ter ea, quæ à Platone, Aristotele, et Cicerone
primarijs doctõribus scripta legimus, attulisse
uidentur. At hi tametsi iustitiæ in defunctos
meminerunt, non tamen pauperes, peregrinosq;
humandos esse præceperunt; quin Cicero
ipse agens de officijs, hac de re ne uerbũ qui-
dem protulit. De parentibus cognatisq; tumu-
landis, & extremo honore prosequendis, ma-
gis quàm de pauperum sepultura sensisse illi ui-
dentur. Parentum enim, et cognatorũ manes
non pauperum, & peregrinorum, pro deis co-
luerunt antiqui. Pauperes nullo sunt honore
prosequuti; nam & si loca eorum funeribus
necessitate compulsi (amouenda enim erat ex
urbibus, uijs, & domicilijs cadauerum fædi-
tas) destinauerunt, non tamen ut in reliquis
fiebat, exurenda, & iustis honoranda curaue-
runt. Cuius rei illud est argumentum, quòd in
communibus illis sepulchris cadauera compu-
trescerent, unde puticulorum nomen accersi-
tum esse, non obscuri nominis auctores Pompe-
ius lib. 14. & Varro de Lingua Latina 4. scri-
ptum reliquerunt. Plato de Rep. bello bene-
meritorum*

meritorum, eorumq; , qui præcipua probitate pollere fuerint iudicati, cadauera & con-
 di & iustis funebribusq; iubet honorari, ni-
 mirum ut & mortuis gratia à ciuibus refera-
 tur . at non ideò his pauperes peregrinosque
 afficiendos esse præcipit, aut præcepisse potest
 intelligi . Aristoteles defunctis quàm uiuis o-
 pem ferre magis iustum habitum esse, at non
 præcepto declaratum dicit . Parentibus igi-
 tur, ac iure sanguinis coniunctis, adde etiam
 & de Rep. bene meritis (his enim & publico
 sumptu funus factum esse, cùm pauperes es-
 sent, legimus) proq; ea militantibus, illa tan-
 quam commeritis, & ex beneficij memoria
 præstabantur, non miseræ plebi, non paupe-
 ribus, non peregrinis, quorum nulla extabant
 in Remp. beneficia ac merita, unde iure quo-
 dam suo talia exposcere, atque exigere posse
 uiderentur. Pontificum aliorumque, qui ia-
 cès cadauer offendissent quænam erat pietas?
 Tobiam'ne illi, qui passim iacentia cadauera,
 furtim etiam, & non sine uitæ suæ discrimine
 sepeliebat, imitabantur? Sepultura nihil aliud
 erat, quàm pulueris iniectio, quod & Serui-
 us ipse dicit . sic enim scriptum reliquit loco
 superius citato, Genus autem fuerat sepultu-
 ræ, iniectio pulueris, unde,

2) Aut tu mihi terram Inijce .

Hieronymi Magii

Horat.

» Non est mora longa, licebit,

» Iniecto ter puluere curras.

Hæc Seruus. Quæ de re latius in libris nostris de Sepulchris, & sepeliendi ritu. Leuior hæc erat in defunctos pietas, quàm cuius ratio habenda sit. Sed si contra differenti demus, non sine ingenti pietate cadauera pauperum, et peregrinorum, ab Ethnicis esse tumultata; nõ tamen inde Lactantium lapsum esse iure colligi poterit, nam, non negat huiusmodi hominum cadauera non fuisse ab Ethnicis sepulta, sed duntaxat apud uirtutis, & iustitiæ doctores illos, ulla extare præcepta, aut eos hanc, quæ ex charitate, humanæq; sortis commiseratione profluit, pietatem attigisse. Quibus hæc plausibilia non sunt, aliam illi ineant defendendi Lactantij uiam. Nos, quæ tumultuaria opera potuimus, sedulò præstitimus, et in Christiani ac beneuoli lectoris gratiã attulimus.

Capiti non parcere, quid apud eundem Lactantium significet, & quæ sit apud obicæni carminis auctore tertiam pœna, declaratur.

CAP. XX.

ANTEQUAM Lactantium dimittimus, declarare libet eius locum lib. 6. Diuin. Instit.

Instit. cap. 23. non difficilem illum quidem ad intelligendum, eiusmodi tamen, qui imperito negocium lectori facessere possit, & quem Augustanum interpretem, hominem doctum inenarratum reliquisse audio. Habet quidem ille hæc uerba, De istis loquor, quorum teterrima libido, et execrabilis furor, ne capiti quidem parcat. Quibus hoc uerbis, & qua indignatione tantum nefas prosequar? uicit officium linguæ, sceleris magnitudo, &c. Quod nefas hîc Lactantius significare uoluerit, tenuioris literaturæ homines ignorant, quemadmodum et apud obscæni carminis auctorem quæ sit tertia pœna, in hoc uersiculo,

» *Barbatum furem tertia pœna manet.*

Sunt hæc quidem relatu turpia, & ut Plinij uerbo utar, præfanda, id est non sine præfatione honoris aurium lectoris proferenda; sed, si à lectore non intelligantur, turpitudinē etiam afferunt. Est igitur sciendum utrobique turpitudinem, quæ per os peragitur, significari, quod Galenus in exordio libri XI. Simplicium medicamentorum, Lesbiari dixit, nimirum à Lesbijs, apud quas primùm obscœnitas illa exorta traditur. Quia uerò in ore hæc exercentur immanitas, meritò, capiti non parci dixit Lactantius. At, inquires, cur non magis ori? Respondeo receptam antiquiorum auctorum

Hieronymi Magii

loquendi consuetudinem eum eleganter esse sequutum, qui scelus hoc significare uolentes, capitis non oris meminerunt. Suetonius in Tiberio Cesare, Fœminarum quoque, et quidem illustrium capitibus quantopere solitus sit illudere, euentissimè apparuit, Malloniæ cuiusdam exitu, &c. Auctor obscœni carminis prænotatus,

» Præbeat hic nates, præbeat ille caput.

Idest os ad irrumationem, non autem caput falce, aut securi amputandum, ut quendam olim literatorem interpretari audiui. Epigrammatum non tam elegans quàm inhonestus scriptor,

» Corue saluator, quare fellator haberis,

» Cùm caput intrarit mentula nulla tuum?
Coruos enim ore coire, non sine errore, cuius nos & Aristoteles, & Plinius admonent, fuit olim existimatum. Qui irrumanti parent, eamq; ferunt obscœnitatem, ore morigerari dicuntur. Suetonius de eodem Tiberio, Pueros, inquit, instituit, quos quasi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos, inguini, ceu papillæ admoueret: pronior sanè ad id genus libidinis & naturæ, et ætate. Quare Parrhasij quoque tabulam, in qua Meleagro Atlanta morigerabatur, in cubiculo dedicauit. Hæc ille.

Videri

Videri scriptores aliquot, Tragicos Poëtas imitari, dum morituros, ut honestè caderent, curauisse dicunt. De proprii corporis post mortem, etiã ubi nullus sit sensus, hominibus insito pudore atque amore. CAP. XXI.

TRAGICOS Poëtas imitati uidentur scriptores, qui & mulieres & uiros insignes, cum moriendum esset, ut honestè caderent studuisse, literarum monumentis prodiderunt. Trogus Pompeius, ut ex Iustini lib. 14. cognoscitur, Olympiadem Alexandri matrem cum Cassandri iussu interficeretur, moriëtem, ne quid posset in corpore eius indecorum uideri, capillis & ueste crura contexisse retulit. Plutarchus in Cleomene, uxore Páthei, iuuenis Cleomeni gratissimi, nõ solùm se ipsam quo mori uolebat habitu composuisse, sed etiam ne quædam mulieres trucidatæ, turpiter iaceret compositis circa corpus uestibus, curasse ait. Idem in libro de Claris mulieribus cap. 15. Niciam Aristodemi Eleorum Tyranni filiam laudat, quæ moritura, Megasthenem orauit, ut se mortuam, proijci nudam, non ferret. Et in Lysandro Philoclem refert Atheniensem, lotum, & splendida sumpta læna se iugulandum præbuisse. Florus lib. 4. auctor est Cleo-

Hieronymi Magii

patram, cum sibi mortem conscire uellet, maximo, ut solebat, indutam cultu, in differto odoribus folio se iuxta Antonium collocasse, mox uerò serpentibus uenis admotis, sic morte quasi somno solutam. Galenus uero in libro de Theriaca ad Pisonem, de eiusdem Cleopatrae morte, Etenim aiunt, ipsam manu dextra capiti admota, & diadema sicut est consentaneum tenente, fuisse inuentam, ut uel eo usq; spectatoribus regina esse uideretur: quemadmodum & Thragicus Poëta describit nobis Polyxenam & ipsam morientem, quæ tamen accuratè operam dedit ut cum decoro caderet. Hæc Galenus. Suetonius quoque Iulium Cæsarem, dum iam occidens imminerent, ut honestè caderet quæsiuisse, his uerbis testatur, Vtq; animaduertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte uelata. Ouidius lib. 2. Fastorum de Lucretia loquens,

» Tunc quoque iam moriens, ne non procumbat honestè

» Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Cum hæc de morientibus audire, ad ciendam commiserationem maxime spectet, Tragici Poëtæ, quibus lectorum animos permouere, adq; misericordiam deflectere consilium studium-

diurnq; est, à morientibus fœminis facta esse dixerunt. Euripides in Hecuba loquens de Polyxena,

» Η΄δε χαὶ θνήσκουσ΄ ἴμως

» Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν.

Idest. Ast illa iam moriens tamen

» Sollicita multum est condecenter ut cadat.

Quem locum Ovidius libro 13. Metamor. de eadem loquens, sic expressit,

» Tunc quoque cura fuit partes uelare pudendas

» Cum caderet, castique decus seruare pudoris.

Cuius Tragicæ sententiæ mentionem habent Plinius lib. 4. epistolarum, in epistola ad Minutianum, Lucianus in Demosthenis encom. et Clemens Alexan. lib. secundo Strom. Tragicos igitur Poëtas hac in re æmulari uidentur scriptores; aut fortasse facta esse à morientibus, quæ illi produnt, est existimandum, cum corporis nostri amore, etiam tum cum illud sensu destitutum iri intelligimus, amore te neamur. hinc illa multis amplissimi funeris, sepulchriq; cura nimis anxia, & in cadauere futuræ dilacerationis timor, quem Lucretius ille impius, qui nihil hominis à morte superesse putaret, sic libro tertio irridet,

Proinde

Hieronymi Magii

- » Proinde ubi se uideas hominem indigna-
rier ipsum
- » Post mortem fore ut, aut putrescat corpo-
re posto
- » Aut flammis interfiat, malis'ue ferarum:
- » Scire licet non sincerum sonare, atque sub-
esse
- » Cœcum aliquem cordi stimulum quanuis
neget ipse
- » Credere se quenquam sibi sensum in morte
futurum .
- » Non ut opinor enim dat, quod promittit
abundè,
- » Nec radicitus è uita se tollit, & icit,
- » Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
- » Viuus enim sibi cum proponit quisque fu-
turum
- » Corpus uti uolucres lacerent in morte fe-
reque ,
- » Ipse sui miseret , neque enim se diuidit bi-
lum,
- » Nec remouet satis à proiecto corpore &
illum
- » Se fingit, sensuq; suo contaminat astans.
- » Hinc indignatur se mortalem esse creatum.
- » Nec uidet in uera nullum fore morte a-
lium se ,
- » Qui possit uiuus sibi se lugere peremptum,

*Et quæ sequuntur. Hoc corporis sui amore impulsus Nero Claudius, ut est à Suetonio scriptum, cum mortem sibi instare animaduertet, nihil prius ac magis à comitibus exegit, quam ne potestas cuiquam capitis sui fieret. Othoné etiam Tacitus lib. 17. ambitiosis precibus petiuisse dicit, ne caput sibi mortuo amputaretur, luidibrio futurum. Vnde sapienter, ut multa, Homerus Hectorem ab Achille prostratum atque confodiendum, inducit precibus maximis contédentem, ne ille se mortuum, canibus Achiuorum deuorandum relinquat, sed ut corpus parentibus auro atque ære redemptum det. Aiax quoque Sophoclis gladio incubiturus, Iouem deprecatur, ne corpus suum canibus auibusque lacerandum exponi patiatur. Plinius Naturalis hist. lib. 36. cap. 15. literis consignauit, Romanam plebem sub Tarquinio Prisco tædium laboris cloacarum ut deuitaret, sibi passim necem consciscentem, fuisse nouo & antea, posteaq; inexcogitato remedio seruatam, cum omniũ ita defunctorum corpora crucibus, spectanda ciuibus, simul & feris uolucrisque laceranda figerentur. Quamobrem, inquit, pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas seruauit in prælijs, tunc quoque subuenit: sed illo tempore imposuit, tum erubescens cum pu-
deret*

Hieronymi Magii

deret uiuos, tanquàm puditorum esset extin-
ctos. Hæc ille. Sed non solùm pudore, ue-
rùm etiam proprij corporis amore coërciti ui-
dentur. Plutarchus libro περὶ ἑυχῶνs primo
(ut Gellius refert lib. 15. Noct. Attic. cap.
10.) et in libro de Claris mulieribus cap. 11.
Milesias uirgines, quæ uesania quadam cor-
reptæ, seu magis à dæmone malo impulsæ, re-
pentinæ mortis libidine mira per strangula-
tionem incescebantur, nec ulla ratione ab ea
seuitia poterant abstrahi; pudore identidem
seruatas ait incolumes. Spectatæ nanque pru-
dentia uiri cuiusdam ad Populum rogatione
perlata, decretum fuisse, ut uirginum, quæ si-
bi ipsis mortem conscissent, per medium fo-
rum nuda cadauera efferrentur. Quo turpitu-
dinis atque ignominia metu illas deterritas,
à uesania abstinuisse dicit. Sed quantum ad ho-
nestum morientium habitum pertinet, nec
quæ memoria nostra facta sunt, uidentur trans-
mittenda silentio. Romæ cùm Curtius Pa-
lonus securi esset percutiendus, quia carce-
ris situ obsideretur, tonsorem accersiri iussit,
caputq; & barbam totumque corpus abluen-
dum curauit, sericeisq; se uestibus splendidis
induit, non quidem ut moriturus, sed quasi ad
nuptias aut ad triumphum deducendus. quod
non alia, quàm ut honestius caderet, ratione,
factum

factum est. Florentiæ post Montemurlensem uictoriam, cum capitali pœna in captiuos patricios uiros animaduerneretur, ferunt quendam promissa ac pulcherrima barba præditum, cum ceruicem intrepidus ferro supponeret, carnificem orasse ut barbam à gula abduceret, ne ea abscissa, uultus à ciuibus spectandus deformaretur. Nouissimè Carolus Caraffus Cardinalis Pauli IIII. Pontificis summi nepos, cum sibi intra horæ curriculû, Pio IIII. Pontifice Max. iubente, à satellitum urbis Præfecto moriendum esse nunciaretur, purpureum capitium, cardinei quæ, ordinis insignia poposcit, quæ tamen, quòd iam exauguratum Præfectus diceret, non impetrauit.

Miscellaneorum libri secundi

F I N I S.



M A G I I

MISCELLANEORVM,
SEV VARIARVM
LECTIONVM,

LIBER TERTIVS.

M. Varronis epigramma obscurissimū,
Homeri imagini ab eo appositum,
quod apud Gellium deprauatè legi-
tur, à mendo purgatur, & genuina ex-
plicatione illustratur. CAP. I.



*ULTIS obductum tene-
bris, longèque difficili-
mum illud est epigram-
ma, quod M. Varro li-
bro de Imaginibus primo
Homeri imagini appo-
suit. Hoc Gellius lib. 3.*

*Noct. Attic. cap. XI. dum super Homerì pa-
tria dissensum esse demonstrat, retulit. sic enim
ille habet, De patria quoque Homerì multò
maximè*

maximè diffensum est: alij Colophonium, alij Smirnaeum, sunt qui Atheniensem, sunt qui Aegyptium dicant fuisse. Aristoteles tradit ex insula Io natum. M. Varro libro de Imaginibus primo Homeri imagini hoc epigramma apposuit,

» Capella Homeri candida, hoc tumultum indicat,

» Quòd ariete mortuo faciunt sacra.

» Ἐπτά πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν ὀμήρου,

» Σμύρνα, ῥόδος, κολοφῶν, σαλαμίν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Hæc Gellius. Diu multumq; insudavi, meq; ipsum torsti quærendo, quònam pacto ad Homeri patriam indicandam, Varronis disticon faceret. non enim temere à Gellio loco ubi de ea agitur, adscriptum uidebatur. Demum in magna Cymmeriarum tenebrarum obscuritate suspicari cœpi, ideò dictum esse, mortuo ariete fieri Homeri manibus sacrum, uti agæ Homeri natura, & patriæ ipsius oscuritas ac incertitudo indicaretur, quòd hoc animal rei plurimum congruere uideretur. Siquidem Aries, seu Stellæ in Zodiaco Arietem constituentes atque efformantes, ut Mathematicorum, Astrologorumq; sententia est, et Galeotus Martius in libro de Doctrina promiscua, cap. 35. scriptum reliquit, inter cætera, quæ efficere creduntur,

Hieronymi Magii

duntur, reddunt hominem uagum, mobilem, & nunquam diutius aliquo in loco permanentem, pro ut fert Arietis natura. est enim uagum animal & errans. Argumento sit, quod Hermippus tradit, legiturq; apud Higinum, olim enim, cum Liber Africam oppugnaret, in eum peruénit locum, qui Hammodes à puluere est nuncupatus. Et cum aquarum penuria exercitus laboraret, atque ideò defectionem moliretur, aries quidam errans ad milites deuénit; quos statim atque uidit, ad fugam conuersus est: quem illi prædæ gratia insequuti, aquam ex insperato naçti sunt. Hæc seu non absimilia apud Higinum leguntur. Cum aries hac sit præditus natura, optima ratione Poëta finxisse uidentur, Phrixum & Helle in exilium eieçtos, ut uagarentur, à Nephelæ eorum matre fuisse arietibus impositos. Ouidius lib. 3. Fastorum,

» Viq; fugam capiant, aries nitidissimus auro.

» Traditur, ille uehit per freta longa duos. Adhæc Arietis signum obscurum esse traditur, ex qua ratione Aratus inquit, Cicerone interprete,

» Quis comes est Aries obscuro lumine labens.

Eamq; ob rem, ut Higinus refert, dicitur Mercurius

Mercurius Deltotum sidus deltæ literæ trianguliq; forma præditum, supra caput Arietis posuisse, ut huius splendore quo loco esset Aries non admodum conspicuus, significaretur. Vagum autem & peregrinum fuisse Homerum, ex uitæ eius lectione, satis est manifestum. Pausanias quoque in Atticis talem fuisse Homeri naturam demonstrat, dum in hanc sententiam loquitur, Homerum uerò, Hesiodumq; uideo, uel Regum consuetudinem natos non esse, uel certo consilio eam contempsisse; alterum ingenij rusticitate, ac erroris tædio; alterum quoniam quàm longissimè peregrinari uoluit, plurisq;, fecit nominis sui apud multos existimationem, quàm potentum pecuniam. Hæc Pausanias. Hac autem de causa enatam esse patriæ Homeri incertitudinem, testatur Epiphanius Episcopus Constantiæ lib. 1. contra hæreses To. 3. his uerbis ex interprete, de Homeri uarijs patrijs loquutus, Verùm, inquit, propterea quòd in multis fuerat urbibus, & patrijs, ideò multos ad diuersam narrationem impulit. Sic Epiphanius. Præter autem patriam, eius quoque parentes, ut testatur Lucianus in Demosthenis encomio, ignorauit antiquitas, cuius rei causam præbuisse paupertatem crediderim, iuxta illud Terentianum,



Q

» Quia

Hieronymi Magii

» Quia egens relicta est misera, ignoratur
parens,

» Negligitur ipsa.

Tanta autem fuit rei obscuritas, ut Apion Grammaticus Manes euocauerit, ad percontandum Homerum, qua patria, quibusq; parentibus genitus esset. Qui nihilominus, ut Plinius Natur. hist. lib. 30. cap. 2. scriptum reliquit, non est ausus profiteri quid sibi respondisse diceret. Quanquam enim uiuens Homerus & patriam & parentes ignorauit, unde Apollinis Oraculum ea de re consuluisse dicitur; mortui tamen manes diuinitatem, ut antiqui censebant, adepti (pro dijs enim defunctorum manes habiti sunt) nullo pacto ignorasse credebantur. Illudq; accedit, quod Homerus pro Deo est habitus, cui & templa dicata sunt à quibusdã, ut apud Strabonem legitur libro 14. Non solum autem & erroris, & obscuritatis ratione sacro, quod Homero fiebat, quadrare aries uidebatur, sed etiam principis loci, quem inter signa reliqua obtinet cœlestis Aries, uel terrestris in grege. quamobrem Columella in libro de Hortis, de Ariete,

» Signorum, et pecorum princeps caput esseret undis.

Princeps enim Poëtarum habitus semper est Homerus, quæ res ariete fortasse à Varrone non

non de patria loquente, significari, dici potest. Quod si affirmet quis, Varronis disticon post Græcos uersiculos nouissimo loco apud Gellium adscribendum uidetur. Principatus autem apud Romanos ariete significabatur Varro eodem attestante, qui libro 5. de Lingua Latina loquitur in hæc uerba, Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat; dicti ab Agon, eo quod interrogatur à Principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur. Hæc ille. Ex qua fortasse ratione Virgilius in Bucolicis sibi placens, se cum Arium euasit, sub ariete significauit, inquires,

» Aries sua uellera siccat.

Plutarchus in decem Rhetorum uitis, supremum locum ariete significari innuit, inquires. Isocratis sepulchro insculptum fuisse arietem cubitorum triginta, in quo esset Siren cubitorum septem, ratione symbolica. Non solum autem apud Latinos Græcosq; hoc significatu aries accipitur, sed et apud Hebræos. Hilarus enim in explicationibus suis in Psalmum 64. & 65. apud Dauidem, Arietes exponit & intelligit pro Sacerdotibus, Martyribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, qui tanquam gregis sancti principes, & duces sint.

Quod uerò spectat ad Capellam, candidam appellari existimabam, quia marmorea singa-

Hieronymi Magii

tur; & tumulo insculptam tanquam rei occultæ indicem. Quòd autem pro indice capra acciperetur, fidem facit Ovidius, dum animalia, quæ in Iunonis festo in pompam ducerentur enumerans, de capra sic canit,

» Duxq; gregis cornu per tempora dura recuruo,

» Inuisa est dominæ sola capella Deæ:

» Illius indicio syluis inuenta sub altis

» Dicitur inceptam continuissè fugam.

» Nunc quoque per pueros iaculis incessitur index,

» Et precium auctoris uulneris ipsa datur. Ut etiam Diodorus scriptum reliquit, capra Delphici oraculi locum, cui tripos mox fuit impositus, inuenit. Caranus etiam, siue, ut Eusebius habet, Cranaus, iussus Oraculi responso, ducibus capris, imperium quærere, gregem caprarum imbrem fugientium magna Græcorum manu sequutus, urbem Edyssiam, ut Iustinus lib. 7. testatur, occupauit, quam Aegæam ἀπὸ τῶν αἰγῶν, idest à capris, appellauit. Sunt capræ solertes, ut eo exemplo, quod ex Mutiano Plinius Nat. hist. lib. 8. cap. 50. refert, satis docemur. Aliquando in eam sum adductus sententiam, ut capra, Homeri patriam optimè demonstrari censerem. Homerum enim Syrum à quibusdam creditum esse refert

fert Athenæus Dipn. lib. 4. cap. 18. & Syrias capras præcellentes, ac in precio habitas, apud eundem lib. 1. cap. 25. & lib. 12. cap. 9. legimus. Syrium autem fuisse, illud esse argumento, Meleagrum Gadaræum idem auctor scripsisse refert, quòd pro patriæ suæ consuetudine, omnes antiquos à piscibus abstinere fecerit, cum eorum uis ingens esset circa Hellepontum. Syrios ob patrias leges à piscibus abstinuisse, idem testatur lib. 4. cap. 6. cui Porphyrius Philosophus in libris De abstinentia ab animantibus, adstipulatur. Quod spectat ad relatum Meleagri argumentum, illud obiter est obseruandum, aliam longèq; plausibiliorem à nonnullis afferri rationem. Dio enim Chrysostomus Oratione 2. quæ de Regno inscribitur, ait hoc esse ab Homero factum fortitudinis causa, quæ ex bubularum carniis, quibus uescentes Heroas inducit, cõciliari soleat, quam rem & à Platone adnotatam cõmemorat. L. Christophorus Bæthicus, Antonij Nebrissensis non indoctus auditor, idem Varronis epigramma longa commætatione, quæ cum eiusdem Nebrissensis libris excusa legitur, quamq; Franciscus Luisinus uir eruditissimus lib. 2. Parergon cap. 17. magni facit, explicare apertumq; reddere conatur. Ea est huiusmodi, à me quibus oportuit locis, partim con-

Hieronimi Magii

tracta, partim uerò auēta, & roborata, ut ex collatione depræhendes. Vt Firmicus in Mathes. & Cleonides in signorum momentis auctores sunt, Aries inter signa cæcus est, tamen signorum omnium sit directissimus dux. Vnde Aratus,

» Quis comes est Aries obscuro lumine labens.

Et Auienus in Phænomenē de Ariete loquēs, Semper, inquit, proprijs caret ignibus. Germanicus etiam in Fragmentis,

» Clara ue non illi est facies, &c.

Cui Arieti similimus fuit Homerus cæcus et ipse, ut Plutarchus, Martianus, & prius Halicarnassens, literarum monumentis prodiderunt. Vnde nomen adstructum illi fuit. nam Cumani, & Iones etiam, ut Plutarchus uult, τοὺς τυφλοὺς (inquit Halicarn.) ὀμύρους λέγουσιν. CAPELLA.] Cleonides, & Firmicus locant Capellam in trigésimo Arietis gradu, mortalibus influentem mentis concussionem, animiq; uertiginem. Quo fit ut quos horoscopo inuadit, rerum ij faciliè satagant, & machinando sollicitentur, uexenturque. Id quod Homero usuuenit, nam proposito sibi à piscatoribus, uel piscatorum ministris ænigmate, quod in hæc uerba fuit, ἄσ' ἔλομεν λιπόμεθα, ἄδ' οὐχ' ἔλομεν θερόμεθα. cogitando
exani-

exanimatus est. Et si Halicarnassens de Homeri morte aliter sentit. sic enim inquit, Ἐκ δὲ τῆς ἀδελείας ταύτης σωθήσεται τὸν ὄμηρον τελευτήσεται ἐν ἴφ, οὐ παρά τὸ μὴ γινῶναι τὸ παρά τῶν παίδων ῥηθὲν, ὡς οἰονταί τινες, ἀλλὰ τῇ μαλακίᾳ. Metasthene præterea auctore et Pædiano, suum quædam; Diuum sacrificium oblectabat, uel consentaneum uel infestum. Hinc Bacco caprum, et Dianæ canem immolabant antiqui. Faciunt igitur Homero sacra apud tumulum siue re congrua, & simili, ut Ariete cæco, siue re infesta, ut Capella, cuius uertigine, ut plerisque placet, periit Homerus. Constat ergo, Hoc indicat tumulū Homeri, quod faciunt sacra capella candida, ariete mortuo, idest mactato. Est autem dialecton figura, & oratio, coniunctione destituta. Sed quorsum huius uersus, & quo modo ad rerū seriem spectant, quæ de Homeri solo natali aliquid ut asseratur requirit? Berosus lib. 8. Antiquitatum, uni cadaueri, uno holocausto sacrificasse antiquos testatur. modò uerò rei dubiæ, hoc est Homero, cuius stirps dubia est, uel natale solum ignoratur, Varro dicit fieri sacrificium re dubia, idest capella & ariete., & sic particula Quòd, pro Quia, accipitur, ut sensus sit, Hoc indicat tumulum esse Homeri, cuius est stirps dubia, quia faciunt ei sacra sacrificio ancipi-

u. 124

Hieronymi Magii

ti. Atq; hæc quidem ex Christophoro illo Bæthico. Cum de huius epigrammatis interpretatione pridem differerem cum eruditissimo uiro Quinctino Acanthio, cœpit ille contendere, corruptum esse posteriorem uersiculum, ac pro ariete, legendum esse Ietæ. satis enim constare, in Io insula obÿsse Homerum, Iensēs q; illi tumulum construxisse. Qua ille emendatione, maximè loco illuxit, meq; in suam facile sententiam protraxit. Sed corruptum esse uersiculum, illud me paululum suspicari faciebat, quòd uerbum Faciunt, sibi aliquos, qui facerent sacra, deponere uideretur, nec essent, aut intelligi possent in epigrammate qui nam id, quod fieri diceretur, efficerent. In Io autem obÿsse Homerum, & sepultum esse, Halicarnassei, Strabonis, Plutarchi, & Suidæ testimonio cognoscitur. Quin Suidas ipse epigramma etiam, quod tumulo inscriptum fuit, apposuit: sic enim inquit, ἐπιγέγραπται δὲ ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ τόδε τὸ ἐλεγεῖον, ὃ ὑπὸ τῶν Ἰητῶν ἐποιήθη χερόν.

ἔνθα δὲ τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,

ἄνδρῶν ἠρώων κοσμητόρα θεῖον ὄμηρον.

Idest, Inscriptum est autem eius sepulchro huiusmodi elegium, quod postea ab Iensibus factum est,

Hic

- » *Hic terra sacrum caput abscondit,*
 » *Homerum diuinum laudatorem uirorum*
Heroum.

Si ratio carminis constet, possemus sic legere in Varronis inscriptione, Aræ Ietæ. ut declinior fuerit librarijs lapsus ad errorem extrita diphthongo priore, æ, et posteriore in, e, mutata. Aras autem prope sepulchra, et in ipsis aliquando sepulchris construi consueuisse, in quibus sacra fierent, res non est inuentu apud auctores difficilis, & nos, cum antiquis inscriptionibus, tum ueterum testimonijs satis probauimus in libris nostris de Sepulchris & sepeliendi ritu. Hac recepta uera lectione, ad Homeri tumulum capella alba fieri sacrum ab Ietis uel Iensibus, quantum coniectura assequor, dixit Varro, tanquam Poëtæ Apollini Musisq; gratissimo. etenim Apollini capris albis auratis sacrum fieri Græco ritu consueuisse, demonstrat Liuius libro 5. Dec. 3. Quanquam capræ etiam Ioui immolabantur, ut Aristoteles libro 5. Ethicorum, & Herodotus in Euterpe testantur. Aut fortassè capra, sacra fieri dicit Varro, tanquam animal te manibus Homeri pergrata, cum Syrius esset, & Syrios, præcellentes capræ, quibus abundabant, nobiles reddidissent. Licet & ortus ratione Ienses sibi Homerum uendicent,

atte-

Hieronimi Magii

attestantibus Aristotele, & Antipatro in Epigrammate, quod legitur in quarto libro Epigrammatum Græcorum. Quæ res pridem à Christophoro Ruso, iuvene supra ætatis captum Græcarum, Latinarumq; literarum, & honestarum disciplinarum cognitione absolutissima prædito, in Antexegematis suis fuit adnotata. ut erret Iacobus Cruceus Bononiensis, qui in Annot. suis, in Græco Epigrammate apud Gellium non ios, ut uetusta habent exemplaria, & Gaza in sua uersione, sed xios legendum esse contendit, quam Lucianus in Demosthenis encomio, & alij, Chium quoque dictum fuisse Homerum retulerunt. Videtur uerò Varronis hoc Epigramma à Gellio loco huic adscriptum, ad asstruendum Aristotelis testimonium, qui ex insula Io natum Homerum tradidit, ut Ienses Homero tanquam uati, & ciui suo parentasse, & iusta fecisse, Varronis testimonio demonstret.



Observatum quibus in locis hastas re-
conderent antiqui. Vergilii locus de-
claratur. Milites in armis dormiētes,
terræ hastas infixas, non iacentes, ha-
bere consueuisse, atq; eā consuetudi-
nem nō solūm apud Illyrios, sed etiā
apud Hebræos esse servatam. In uo-
cis σαυρωτήρ, explicatione discrepasse
ab Eustathio Pollucem. CAP. II.

CUM HOMERUM aliquando animi gratia
legerem, observavi antiquos, hastas non
ut nunc fit iacentes, aut pendulas, sed intra
ligneam columnam reconditas, asseruare con-
sueuisse. sic enim inquit Homerus Odys. libro
primo,

» Ως ἀπὸν ἠγεῖθ', ἢ δ' ἔσπετο παλλὰς ἀθήνη.

» οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἔντοθεν ἔσαν δόμῃ ὑψηλοῖο.

» ἔγχος μὲν ῥ' ἔσησε φέρων πρὸς κίονα μακρῆν

» δεροδόκης ἔντοθεν εὐξόου, ἐντά περ ἄλλα

» ἐγχε' ὀδυσῆος θαλασίφρονος ἴσατω πολλά.

Idest, Sic locutus præibat, & sequebatur Pal-
las Minerua.

» Hi autem cum iam intra erant domum al-
tam,

» Hastam quidem ferens posuit ad colum-
nam longam

» Intra thecam hastarum, ubi aliæ

» Hastæ

Hieronymi Magii

» *Ἡστέα Ὀδυσσεύς ἐν θαλάσῳ ἐκρυπτομένης ἐπιβήσας ἔστησε.*

Idem Homerus infra libro decimo septimo.

» *αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἴκανε δόμους δ' ἑταίρους*
» *ἔγχος μὲν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν*
» *αὐτὸς δ' εἴσω ἵεν, καὶ ὑπέρβη λαΐνον οὐδόν.*

Hoc est. Sic postquam peruenit domos bene habitatas,

» *Lanceam quidem posuit portans ad columnam longam:*

» *Ipse autem introiuit, & transiit lapideum limen.*

Ad quam fortasse consuetudinem allusit Vergilius lib. Aeneidos 12. dum inquit,

» *Exin qua medijs ingenti adnixa columnæ*
» *Aedibus astant, ualidam ui corripit hastam,*

» *Aëtoris Arunci spoliū, quassatq; trementem.*

Quem locum Enarratores, ex Homericorum uersuum ignoratione, non rectè exponunt, & profectò mihi non arridet, quod de columnæ adminiculis dicit Donatus. Non tamen me præterit, antiquos talem seruasse in ædificando rationem, ut in medio columnam ædes haberent, quod indicat Iulius Pol. lib. 7. cap. 27. loquens in hanc sententiam, Continetur & hęc columna domus media. Idem Ho-

merus

merus Iliad. lib. 20. in bello à militibus in ar-
mis dormituris, hastas terræ infixi consue-
uisse demonstrat. dum enim d'scribit Diome-
dem cum socijs in armis dormientes, dicit eos
hastas ita habuisse collocatas, ut rectæ starēt
ἐν σαρωτῆρι. Ut autem Eustathius Homeri
interpres auctor est, σαρωτῆρ à Græcis dici-
tur, ferramentum quoddam, in quo humi de-
fixo, collocabantur hastarum calces. In qua re
tamen discrepat à Polluce, qui lib. 1. Cap. 10.
numero 6. sic loquitur ex interprete, Theca
uerò hastæ δουροθήκη. Partes uerò, extremum
quidem σαρωτῆρ, iaculi manubrium, mediū
uerò ἀγκύλη. etc. Et lib. 10. cap. 31. Hastæq;
pars inferior σαρωτῆρ, styrax, styracium: re-
ceptaculum uerò, hastæ theca. hæc Pollux.
Σαῦρος lacertam Græcis significat, cuius for-
tasse formam ferramentum illud σαρωτῆρ re-
ferebat, ut ori, hastæ extremitas indere-
tur, cauda terræ infixæ. aut uox est depraua-
ta, & non σαρωτῆρ, sed σαρωτῆρ est scriben-
dum, quòd hoc ferramentum σαρωδὸν, idest li-
gnum illud duplex, quod curru subijcieba-
tur, & Latini furcam appellant, forma refer-
ret, ut binas hastas humi defixum, non absi-
mile candelabris binarum capacium candela-
rum, contineret. Lignum autem illud σαρωδὸν à
Græcis dici, commemorat Plutarchus pro-
blemate

Hieronymi Magii

blemate 69. Cur autem hastæ ita haberi consueuissent, declarat. Diò Chryf. Orat. 2. de Regno, loquens in hanc sententiam, Diomedem uerò ualde durè reclinauit super tergore bouis agrestis, figens in circuitu hastas, non ornatus gratia, sed ut paratæ ad accipiendum essent. Hæc Dio. Hanc defigendarum hastarum consuetudinem obseruauit Aristoteles, qui in Poët. inquit, sua etiam ætate apud Illyrios fuisse seruatam. Illyrijs autem imperauit Diomedes, & Diomedæ insulæ è regione sunt Illyriorum. Quidam eruditissimi uiri hanc consuetudinem apud Illyrios duntaxat fuisse, scriptum reliquerunt: uerùm ego & apud Hebræos eandem fuisse, demonstrari arbitror Samuelis lib. 1. cap. 26. Sic enim in eo legitur, Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terram ad caput eius, etc.

Quæ fuerint apud antiquos fasciæ crurales, & pedules; quibusq; illi usi sint calceis. Crepidæ unde dictæ. Feminalia tibialiaq; priscis nulla fuisse.

CAP. III.

*Q*VAEREBAT à me Bartholomæus Magius frater meus, bonarum literarum studiosissi-

studiosissimus, quænam essent fasciæ crinales & pedules, quarum Vlpianus. l. Argumento ff. de Auro & argento, & c. legatis, meminit. Respondi minimè sinceram esse in ea lege uerborum Vlpiani lectionem, tametsi Beroaldus in Commentarijs suis in Apuleij Asinum sinceram putauerit, & Marinus Becichemus cap. 78. Quæstionum Epistolicarum legat, Crinales pedileæq; , cum legendum sit Crurules, uel, ut habet Florentinum exemplar reuerendæ uetustatis, Crurales, nullo discrimine.

Quam lectionem Alciato lib. 1. Præter. probatam, præter antiquorum codicum fidem, ratio subiectæ materiæ etiam tuetur, quia Iureconsultus subdat pedulium mentionem, & eo loci de muliebribus ornamentis non loquatur, ad quæ fasciæ crinales spectant. Hac in re cum ille mihi assentiretur, hæc ferè tunc in medium adduxi. Crinales quidem fasciæ siue uitæ, usui erat ut hodie, mulieribus ad capillos colligandos cõpescendosq; . Varro lib. 4. de Lingua Latina, loquens de muliebribus ornamentis, sic inquit, Testa fasciola, qua capillum in capite colligarent, & c. Mulieres autem capillos ita colligantes, eos in orbem uoluebant: quamobrem Iuuenalis Satyra 6.

» — altera leuum
 » Extendit, pectitq; comas, et uoluit in orbẽ.

Quam

Hieronymi Magii

Quam rem etiam num antiquæ nobis statuæ ostendunt. Non solum autem crinales fascias mulieres usurpabant, sed & mammillares. Pollux lib. 7. cap. 14. Porrò mammillarum muliebrium cingulum, fasciam, uel fasciolam uocarunt, &c. Nunc quod attinet ad fascias crurales, dico has fuisse longas quasdam uitas laneas aut etiam lineas, quibus antiqui ad contegenda conuestiendaque crura utebantur, eas complicando uolumine rotundo et simplici intextoq; nonnunquam, & alterno, quod expressum cõspexi in statua quanquam non admodum uetusta, in quodam angulo Palatij Diui Marci Venetijs: uel etiam quibus tibialia laxiora focculosque comprimerent, retinerentq; ne diffuerent ac dilaberentur. qua figura uisuntur in antiquis statujs, Leoninis quibusdam capitibus ad cruris medium serè quousq; pertinebant tibialia, insignita. Huiusmodi fasciarum mentionem non solum apud Vlpianũ, sed apud Valerium Maximũ, Quintilianum, Ciceronem, & alios auctores reperies. Cicero de Aruspicum responsis, Muliebres inquit soleæ, purpureæq; fasceolæ. Et ad Atticum, Etenim mihi eius caligæ, ut fasceæ cretatæ, non placebant. Fascias non absimiles auro redimitas usurpasse sponsas, demonstrat Seneca in Hippolyto, de sponsa loquens his uerbis, . .

Crura

- » Crura distincto religavit auro,
 » Luteo plantas cohibente focco.

Quo loco illud ἐν παρόδῳ est adnotandum, luteum colorem novis nuptis fuisse in usu. quam obrem Plinius lib. 21. Nat. hist. cap. 8. inquit, Lutei uideo honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis, totum fœminis concessum &c. Fascias in calceatu usurpasse priscos, scribit Varro. Plinius lib. 8. cap. 57. mures ait Carboni Imperatori fascias, quibus in calceatu utebatur, arrosisse, quæ res exitium portenderit. Apuleius linteorum calceorum meminit: hos pedulia appellatos esse, docet Cornelius Fronto his uerbis, Pedale, inquit, mensura est pedis, pedule uerò sub pedibus præstat utilitatem. Quo fit ut suspicer apud Vlpianum legendum esse Pedulia, pro eo quod habet Pedules: & si pedales etiam fascias habuerunt antiqui, quarum etiam meminit Iulius Pollux lib. 7. cap. 22. loquens de calceorum speciebus. Tibialibus & femoralibus nullis prisci utebantur, ut apud Homerum, Virgilium, & Ouidium fuit à me obseruatum. Homerus enim Iliad. lib. 2. sic ait loquens de Agamemnone.

» ἔζετο δ' ὀρθωθείς. μαλακὸν δ' ἔνδυσε χιτῶνα

» καλὸν, νηγάτεον περὶ δ' αὖ μέγα βάλλετο

R φα-

Hieronymi Magii

φᾶρς .

» ποσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέ-
διλα .

» ἀμφὶ δ' ἄρ ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον .
Idest ,

» *Sedit autem arrectus . mollem autem in-*
duit tunicam ,

» *Pulchram, nouam , circa autem magnam*
iecit pallium :

» *Pedibus autem sub teneris ligauit pulchra*
calceamenta ,

» *Circum autem posuit ensem argenteis cla-*
uis .

Et Odys. lib. 2. in principio .

» ἄρνυτ' ἄρ ἐξ δ' νῆφιν Ὀδυσσεύος φίλος υἱὸς ,

» εἴματα ἐσάμενος . περὶ δὲ ξίφος ὄξυ δέτ' ὤμοις ,

» ποσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέ-
διλα .

Hoc est ,

» *Surrexit ex lecto Ulyssis dilectus filius*

» *Vestem indutus , ensem autem acutum cir-*
cumposuit humero ,

» *Sub pedibus uerò robustis ligauit pulchra*
calceamenta .

Vides nullam femoralium , tibialiumque fe-
ri mentionem . Virgilius quoque Homerum ,
ut opinor , imitatus , Aeneidos libro 8. sic ce-
cinit ,

Euan-

- » *Euandrum interea lecto lux suscitât alma,*
- » *Et matutini uolucrum sub culmine cantus,*
- » *Consurgit senior, tunicaq; induitur artus,*
- » *Et Tyrrhena pedum circumdat uincula*
plantis :

» *Tum lateri, atque humeris &c.*

Nihil Virgilius etiam, ut uides, de femoralibus, siue caligis & tibialibus. Erant tamen apud antiquos in usu tibialia siue ocreæ ad munimen. Homerus libro 18. Iliad. loquens de Achillis armis,

» *τῶν δὲ οἱ κνημίδας ἑανοῦ κασιπέροιο .*
Idest,

» *Fecit ei ocreas tenui stanno .*

Obseruare hîc libet ἐν παρόδῳ, quòd licèt hæc uox κασιπέροιο, stannum propriè significet, Aristoteles tamen in Poët. pro ferro accipit. sed malè, ut mihi uidetur. arma enim antiquitus non fiebant ferrea, sed ærea, aut etiam stannea propter ferri penuriam. Vt maximè erret Ioannes Tzetzæ Commentarijs in Hesiodi librum, qui inscribitur ἔργα καὶ ἡμέραι, existimans ferrum priscis fuisse in usu, χάλκεον autem dictum adiectiue παρὰ τὸ χεῖν τὴν ἀλκὴν, idest à fundenda fortitudine, eorum scilicet, qui eo fuerint confossi: quanquàm Hesiodo & alijs reclamantibus credendum esse non negat. Alcæus Poëta æreorum ti-

Hieronymi Magii

bialium & ensium meminit in illis uersibus, qui apud Athenæum leguntur lib. 14. Dipn. cap. xi. & Hesiodus libro citato sic ait loquens de hominibus æreæ ætatis,

» Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τὰ χεῖρα χάλκεοι δέ τ' οἶλοι.

» Χαλκῶ δ' ἐργάζοντο. μέλας δ' οὐκ ἔσχε σίδηρος,

Idest,

» Iis autem erant ærea quidem arma, æρεᾶ δὲ domus.

» Aere operabantur. nigrum enim non erat ferrum.

Verum nemo miretur ex molli metallo præ ipso ferro, rustica instrumenta, et arma facta esse, siquidem temperatura quadam (ut Proclus et post Proclum Zetzes Hesiodi interpretes testantur) æs ipsum desabant, qua per fabricorum ferrariorum incuriam amissa, ad usum ferri deuentum sit. καὶ τῷ χαλκῷ (inquit Proclus) πρὸς τούτῳ ἐχρῶντο, ὡς τῷ σιδήρῳ πρὸς γεωργίαν διὰ τινος βαφῆς τὸν χαλκὸν σιδηροποιῶντες ὄντα φύσει μαλακὸν, ἐκ λιπούσης δὲ τῆς βαφῆς ἐπὶ τὴν τοῦ σιδήρου καὶ ἐν τοῖς πολέμοις χρῆσιν ἐλθεῖν. Idest, Et ad hoc [idest ad arma] ære utebantur, tanquam ferro ad cultum terræ, quadam temperatura æs durantes, quod alioqui natura molle est. Amissa autem tempe-

temperatura illa, ad usum ferri etiam in bellis uenerunt. Hæc ille. Antiquorum armorum consuetudinem & Virgilius indicauit, Pyrrhum luce abena corruscantem appingens. At id uerum esse non solum ex Ethnicorum libris cognoscimus, sed etiam ex sacris literis. legimus enim Regum lib. 1. cap. 17. Goliath hæc ærea arma habuisse, cassidem, ocreas, & clypeum. Nunc ad rem. Idem Homerus supra libro primo Achiuos bene ocreatos uocat,

» Ἀτρεΐδαί τε, καὶ ἄλλοι εὐκνήμιδες ἄχαιοί.
Idest,

» Atridæque, & alij bene ocreati Achii.
Sed non nimis uetustis temporibus, inuenio, Romanos usos esse caligis. Iulius Pollux libro 7. cap. 13. tibialium & subligaculorum meminit. Cicero quoque in libris de Officijs, in scenam sine subligaculo neminem ait prodijisse. Suetonius auctor est Augustum hyeme usum esse fœminalibus & tibialibus; idemque ait eundem solitum esse sibi crura ardenti nuce suburere, quo mollior pilus exurgeret. qua re subinducatur alijs temporibus, nudis hunc prodire cruribus consueuisse, nullisque usum tibialibus. Fœminalia non fuisse in usu idem demonstrat in Iulio Cæsare, inquiens Cæsarem ut animaduertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluisse, simulque sinistra manu sinum ad ima

Hieronymi Magii

crura deduxisse, quo honestius caderet. Hæc autem usurpabant Scythæ, ob magnam uim frigoris ingruentem. Dio Chrysostomus Oratione 36. Callistratum Borysthenitem fœminalia habuisse dicit, reliquumq; uestitum Scythicum. Virgilij ætate rustici ocreis, siue tibialibus & peronibus utebantur, quod ille in Moreto demonstrat dum de Similo rustico sic ait,

» *Ambit crura ocreis paribus, tectus que galero*

» *Sub iuga patentes cogit lorata iuuenos.*
Persius Satyra 7. aratorem peronatum appellat. M. Cato, antiquitus perones à ciuibus Romanis usurpatos testatur, his uerbis lib. 7. Originum, Qui magistratum curulem cœpissent, calceos mulleos alutatos, cæteri perones. Quod pertinet ad calceos, Seruius ad eum Vergilij uersum,

» *Et Tyrrhena pedum circumdat uincula plantis*

Sic ait, Tyrrhena uincula, Tusca calceamenta. & dicit crepidas, quas primò habuere Senatores, post Equites Romani, nunc milites. Ioannes Sarius Zamoscius, iuuenis eruditissimus, & amicus meus, in lib. De Senatu Romano, quos pridem edidit, nugari hinc Seruium dicit. Mibi quidem non fit uerisimile Seruium,

quæ

quæ de calceis dixit, commentum esse, & sci-
mus diuersis temporibus diuersa in usu fuisse.
Sanè Pollux inter Græcanicos calceos crepi-
das refert, dicitq; esse militare gestamen. Ro-
mæ etiam statuæ aliquæ, quæ Senatoriæ, &
antiquæ creduntur, crepidas habent, quales
apud Gellium lib. 13. cap. 20. depictas uide-
mus, licet Gellij ætate Senatoribus essent inde-
coræ. Gellij autè uerba hæc sunt, Omnia enim
fermè inde genus, quibus plantarū calces tan-
tū infimè teguntur, cætera propè nuda, &
teretibus habenis uincta sunt, soleas dixerunt;
nonnunquam uoce Græca crepidulas. sed, ut
dixi, crepidas, & crepidulas prima syllabâ
correpta, id genus calceamētum appellarunt,
quod Græci κρηπίδας uocant, &c. Suprà uerò
Pop. Romani Senatores soleatos per urbis
uias ingredi, nequaquam sua ætate decorum
fuisse refert. Quales ergo essent crepidæ, satis
apparet. Hoc uerò calceorum genus uinculo-
rum nomine significatur, quòd multis habenis
& corrigijs inflexis uinciretur, adeò ut plan-
tarum calcibus tantū infimè tectis, uincula
solūm loraq; apparerent. Ouidius Faſtorum
lib. 2. muliebres calceos uincula appellat, lo-
quens de Hercule,

Fregerat armillas non illa ad brachia fa-
ctas.

Hieronymi Magii

» Scindebant magni uincula parua pedes .
Viriles etiam infrà libro 5 . uincula appellat ,
inquiens ,

» Ille memor ueteris ritus , timidus que Deo-
rum ,

» Surgit , habent gemini uincula nulla pe-
des .

Vnde apud Dionē Chrysoſtomum Oratione 6 .
quæ Diogenes , uel de Tyranno , inſcribitur , pe-
des obligati , pro calceatis , dicuntur . Huc for-
taſſe ſpectat , quòd Zonaras Græcus auctor ,
quanquàm non admodum antiquus , ait Pa-
tricios in urbe geſtaſſe calceos adornatos cor-
rigiarum inflexione , & forma litere C . uide-
tur enim ea corrigiarum inflexio ad uincula
prænotata pertinere . Præſertim cùm Plutar-
chus Problemate 75 . de lunatis his calceis a-
gens eos patricijs in uſu fuiſſe dicat , Arca-
dibus id genus calceorum lunatorum præci-
puum fuiſſe affirmās . Sed de calceis hæc dixiſſe
ſufficiat . qui plura legere auet , hic Pollucē ad-
eat , & Volaterranum in Philologia lib . 27 .
Ad crepidæ etymun quod attinet , errant , ut
etiam Aldus olim adnotauit , in Horat . qui cre-
pidam à crepitu dictam cenſent , cùm , ut eſt
manifeſtum , & Gellius teſtatur , uox ſit Græ-
ca , & ex uoce κρηπίς , quæ Oribasio in libro de
Machinamentis cap . 25 . baſis eſt , quaſi cre-
pida

pidabasis sit pedis. Inquit autem Oribasius ex interprete, Fabri organum ad hunc modum fit. Super basim, quæ κρηπίς nominatur, pro organo dimensam, statuuntur crura duo &c. Magis enim emendatè legi posse uidetur κρηπίς, quæ uox basim & calceamenti genus significat teste Phauorino & alijs, quàm κρηπίς, ut in uulgatis habetur exemplaribus.

De quibusdam, qui prima concubitus noctæ, ædium lapsu perierunt, & de Dæmonum amoribus. CAP. IIII.

MEMORIAE proditum est Eupolim Niciae Atheniensis filium, prima nuptiarum nocte, thalami ruina, unà cum uxore oppressum, extinctumq; fuisse: qua de re extat Græcum epigramma, & Ouidius in opusculo Dirarum, & imprecationum in Ibin sic ait,

» Sit tibi coniugij nox prima nouissima uitæ
» Eupolis ut perijt, & noua nupta modo.

Olim etiam Romæ Q. Sertullius prima nuptiarum nocte ἐν ἐργῳ, domus maritalis lapsu unà cum uxore suffocatus est: uisiturq; adhuc horum sepulchro insculptum epitaphiū, quod in lectoris gratiam referre libuit. est autem huiusmodi,

Hieronymi Magii

ASPICE VIATOR Q. SERTVLLII
ET DVLCICVLAE SPON. ME. O.
RANCILIAE VIRG. AC POST INDE
QVID FACIAT LICENTIOSA SORS
LEGITO. IN IPSA FLORIDA AE-
TATE CVM ACRIOR VIS AMORIS
INGRVER. MVTVO CAPT. TAND.
SOCERO ET M. SOCR. ANNVEN-
TIE. SOLENN. HYMEN. NVPT. CO-
PVLAMVR. SED O FATVM INFELIX
NOCTE PRIMA CVM IMPORT. VO-
LVPTATIS EX LI. FAC. EXTIN-
GVERE ET D. M. V. VOTA COGE-
REMVR. REDDITIS HEV IPSO IN
ACTV DOM. MARITALIS CORR-
ENS AMBOS IAM EXTRE. CVM DVL-
CITVDINE LETISS. COMPLICATOS
OPPRESSIT FVNESTAS. SOROR
NEC NOVI QVID FECISS. PVTA.
NON ERAT IN FATIS TVM NO-
STRA LONGIOR HORA. CARI PA-
RENTES LVCTV NEC LACHRYMIS
MISERA AC LARVATA NOSTRA
DEFLEATIS FVNERA NE REDDATIS
INFELICIORA AT VOS NOSTROS
DIVTVRNIORES VIVITE ANNOS.
●PTIME LECTOR AC VIVE TVOS.

D.

M.

Ab

Abhinc tres annos mulio quidam Subianensis, Cornix nomine, qui literas etiam, quas ad me Bononia dederat Paulus Ligijs meus, per ferebat, cum in agrum Oppidi Diui Ioannis, Vallis Arni aduenisset, subito coortum imbrē fugiens, diuertit ad mulierculam quandam, quam cum noctu cognosceret, domus lapsu cū ea est exanimatus. Superioribus annis Neapoli, sponsus quidam cum uirginē sponsam, mulierem reddere conaretur, ligneo orbe, à quo conopem pendebat, in caput eius delapso, occubuit. Dum olim Patauium obsideretur, cum tormento, quod mortarium uocant, saxæ pilæ tricenarum librarum è Maximiliani exercitu in altum proijcerentur, ita tormenti commoderata inclinatione, ut in propugnatorum domicilia deciderent, miles quidam Marci Manini Anglarensis, qui rem mihi narrauit, contubernalis, unā cum scorto sibi substrato, pila impetu incredibili eò prolabente, extritus est. In libro Tobiaë legimus, Dæmonem nomine Asmodeum, septem uiros Sarræ Raguelis filiaë sponso, simulatq; ipsi se misere uoluissent, enecasse. Hæc nonnulli non tam casu, quàm ex Dæmonum Zelotyporum ira, euenire contendunt. eos enim esse animalia aërea, animo passiuā, unde & etiam amare. Quin apud Philostratum lib. 3. de Vita Apollonij

Hieronymi Magii

lonij Tyanei, literis proditum esse, Dæmonem
pueri cuiusdam amore captum fuisse. Noui
Anglare Amerinum cucullatum ex Eremitarum
Diui Augustini familia, qui se ante
quàm ad sacros ordines promoueretur, à Dæ-
mone adamatum diceret, & sæpe osculis peti-
tum, & ab eodem zelotypo aliquandò malè
habitu. Statim uerò atque sacris donatus est
ordinibus, ait nullas eius se expertum amplius
molestias. Simphorianus Camperius Praxis
lib. 2. cap. 7. de concubitu Dæmonum cum
mulieribus, aut etiam cum uiris sub mulie-
rum imagine, multa refert. Qua de re &
Theologi, quos Scholasticos appellamus, et au-
ctor Fortilitij fidei lib. 5. nò pauca scripserunt,
quæ hîc referre non uidetur operæ precium.
Ego & si Dæmones, qui, ut Augustinus ait,
lib. 15. de Ciuitate Dei, improbi sæpe mulie-
ribus extitisse feruntur, Succubosq; etiam, qui
uirorum libidinem passi sint, reperiri non ne-
gauerim (multis enim antiquus hostis ut ho-
mines decipiat, trahatq; in ruinam, technis
uaframentiisq; utitur) ut aliàs testatus sum,
ita cum Diuo Thoma in Quæst. de Malo Ma-
teria 17. quæ est, de Dæmonibus, existimo
nullum aëreum posse esse animatum, eamque
ob rem Dæmones non habere corpora natura-
liter sibi unita, eo quòd corpus organi formam
non

non queat adipisci, nisi ea sit præditum natura, ut termini figuræq; limitibus possit circumscribi, quod, ut in confesso est, aëri non conuenit: Et ut Arist. ait libro 2. de Animal. nullum corpus animalis simplex esse potest. Dæmones uerò non amare, licèt aliquando amasit Zelotypiæq; uideri uelint, sed uerè *μισανθρώπους*, hominibus semper infensos esse, atque eorundem animabus insidiari arbitror.

Sanguinem, qui in occiso homine refrigit, planeq; fluere desit, si intra aliquot horas occisor accedat, è uulnibus dimanare. Qui huius rei causas perquisiuerunt, uel rei meminerunt, auctores omnes demonstrantur, & Galeoti Martii ac aliorum quorundam sententia exploditur.

CAP. V.

MULTORVM non modò ex Iureconsultis nostris, sed Philosophorum, Medicorum, aliorumq; scriptis posteritati proditum est, occisi hominis corpus, in quo sanguis refrigit, planeq; fluere desijt, si mox confector adsit, iterum sanguine manare: quæ res in multa hominum memoria obseruata, expertaq; in cadaueribus plerisque, maximo miraculo sit. Quorsum

Hieronymi Magii

sum pertinere nonnulli censent hæc Lucretij carmina lib. 4.

- » ————— libido
- » *Incitat irritas loca turgida semine multo,*
- » *Idque petit corpus, mens unde est saucia amore.*
- » *Nanq; homines plerunque cadunt in uulnus, & illam*
- » *Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu,*
- » *Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.*

Eodem quoque pertinere uolunt quod lib. 17. Iliad. dicit Homerus de Euphorbi cadauere, homicida Menelao presente,

- » *ἔκτορα δ' αἰνὸν ἄχος πύκασε φρένας ἀμφὶ μελάνας.*
- » *πάπληγεν δ' ἄρ' ἔπειτα κατὰ σίχας. αὐτίκα δ' ἔγνω*
- » *τὸν μὲν ἀπαινύμενον κλυτὰ τεύχεα, τὸν δ' ἐπὶ γαίῃ.*
- » *κείμενον. ἔρρει δ' αἷμα, κατ' οὐταμένην ὠτειλήν.*

Idest,

- » *Heftorem autem grauis dolor cepit mentes circa nigras.*
- » *Circumspectit autem postea, statim autem cognouit,*

Hunc

- » *Hunc quidem auferentem inclyta arma,*
hunc autem in terra
 » *Iacentem. fluebat autem sanguis in percus-*
so uulnere.

Quo in loco loquitur de Menelao, qui Euphor-
bum trucidauerat, eiq; iacenti arma adimere
nolebat, quod, Hectore Apollinis monitu, in-
tercedente, quo minus faceret, impeditus est.
Miraculi huius causam perquirat Thadæus
Florentinus in Explicationibus suis in Isagog.
Ioannitij. Eandem pertractant Henricus Can-
dauensis in suis appellatis Quodlibetis, Aegi-
dus Romanus Quæst. 25. quinti Quodlibeti: Io-
annes Maioris in lib. 4. Sententiærum. Dist.
15. Quæst. 14. Auctor libri Peregrinarum
Quæst. Decade 3. Quæst. 6. Ficinus lib. 16. de
Immortalitate animorum cap. 5. Galeotus
Martius in libro De Doctrina promiscua cap.
22. Auctor innominatus Problematum quo-
rundam, quæ falsò Aristoteli adscribuntur:
Ioannes Langius in uolumine suo Epiſtola-
rum medicinalium Epistola 40. & Leuinus
Lemnius lib. 2. de Occultis naturæ miraculis,
cap. 7. qui duo, postremi hac de re scripserunt.
Eiusdem rei meminerunt Gaudentius Merula
Rerum memorabilium lib. 4. cap. 18. qui præ-
sente occifore, sanguinem ex occifi hominis uul-
nere, intra curriculum duntaxat horarum se-
 ptem,

Hieronymi Magii

ptem, ab occisi nece, effundi testatur. Petrus Pomponatius in lib. de Animorum mortalitate ad mentem Arist. Paris Puteus in tractatu De Syndicatu, in uerbo Tortura: dicens hoc fuisse Romæ obseruatum eo tempore, quo occisus fuit Cardinalis Sancti Marci: Hippolytus Marsilius, qui hoc pacto se homicidam aliquando depræhendisse affirmat, in sua Praxi. §. Diligenter. numero 81. Marcus Antonius Blancus in Comment. in. l. finalem numero 408. ff. de Quæstionibus: Lodouicus Carerius in principio suæ Praxi numero 140. & Franciscus Casonus Opiterginus in Tract. de Indicijs et tortura. In quibus auctoribus perquirendis penitusq; excutiendis, partim usus sum opera clarissimi Iureconsulti Ioannis Galii Tifernatis, amici mei, in quo incredibilem honestarum omnium disciplinarum cognitionem suspicio, & non uulgarem erga me amorem magnifacio. Quæ ab his afferuntur, referre omnia, et in disquisitionem uocare, quòd huius loci spatijs iniquis excludar (iustum enim res ipsa sibi uolumen deposceret) non est consilium. Dicam tamen nonnulla quàm potero breuissimè, quorundam opiniones elidendo. Martius miraculi huius causas adducere sategens, sic inquit, Nonnulli ex occisoris, et quidam ex occisi spiritibus hoc accidere arbitrantur;

tur; quod absolum est. nam ad sanguinis iam frigefacti motum, nō una pars spirituum satis est, sed utraque concurrat. Cum enim occisor furore ductus hominem aggreditur, cuncti spiritus, qui sui sunt, opus iuuantes, in occidendum conuolant, sicuti de more eorum est; itidemq; hominis trucidandi in occisorem tendunt, quo ira corporis sui profilit, ita ut in occisorem uolent, ibiq; uiuant. Cū ille occisus est, sanguis iam frigefactus fluere desijt: sed comparente occisore spiritus utriusque diuerso motu agitantur; quilibet suum corpus repetens, motum facit, unde & hominis occisi spiritus redeuntes, sedemq; suam repetentes, & occisoris recedentes ut ad corpus redeant, faciunt motum eius rei, quam habitant, habitant autem sanguinem. Et hoc pacto sanguis iam frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occisoris, & occisi spiritibus, ui multiplicata agitato, rursus fluitat. Estq; illis tantus proprii corporis affectus, ut plerunq; latitantem hominem, sed proximè existentem, intra tempus, quod assignauimus (tot enim horis uiuunt) recognouerint, ac repetiuerint. Hoc autem non in omnibus occisis, sed in plerisque euenit: quoniam quorundam natura, ita debilis est, ut eorum spiritus uno momento conflagrescant. Necesse ergo est corpora ubi hæc fieri

S debent,

Hieronymi Magii

debeant, sint calidiora, quoniam calore, spiritus conseruantur. Hactenus Martius, qui hæc se plerunque oculis uidisse, & Græciam de Patroclo hoc idem affirmare ait, Hectore homicida comparente: uolens (ut opinor) significare prænotatum Homeri locum, in qua re memoria uitio laborauit, nam Homerus non de Patrocli, sed Euphorbi corpore loquitur. Sed dicat Martius, quando aliquis inermis ex insidijs subito confossus, trucidatur, qui non tam ferro, quàm timore prosternitur, quo hic pateto spiritus suos in trucidantem, in quo uiui asseruentur, possit eiaculari; idemq; illi usuuenire queat, qui auersus, uel etiam somno demersus, gladio transfoditur; quos tamen præsentem homicida, sanguine manare compertum est. Præterea, si Martium audiamus, esset dicendum, eum, qui graue uulnus noctu uel etiam interdium ab ignoto hoste accepit, nec occubuit, cum fluere desijt sanguis, mox præsentem eo, qui uulnus intulit, & si dormiat uulneratus, unde mortuo quodammodo exæquatur, spiritibus hinc inde proprias in sedes commigrantibus, sanguinem uulnere emissurum. quod tamen non uidemus usu uenire. Adde quod tauri in harena, & publicis spectaculis sæpe inter iras ab ijs, qui sua funera uendere solent, petiti, et tandem trucidati, postquam sanguis refri-

refrigit, propius accedente confectore, sanguine manarent, cum & bruta, pro eiusdem Martij in citato capite sententia, spiritus suos habeant. Mihi certè hæc spirituum hinc inde, uel ut Thadæus alijq; sentiunt, ex occifore solum in occifum conuolatio, nullo pacto fit uerifimilis. Verùm si eorum fluxum demus, statim è corpore egressi euanescent, uel aëris aut etiã cadaueris frigore abolebuntur; siquidem calore, ut etiam Martius fassus est, conseruantur. Huc accedat, quòd Physicorum plerique, spiritus hos naturales, qui ab epate ortum ducentes, uenas pulsus carentes, & sanguinem incolant, minimè agnoscunt. Duplicem nanq; spiritum esse dicunt, alterum uitalem, qui à corde per arterias fertur, animale alterum, qui à cerebro per neruos comeat. Tametsi seniores Galeni, Hippocratis, & Auicennæ interpretes, triplicem spiritum ponant. Atquè si & naturalibus spiritibus locum concedamus, erunt hi segniores (nò enim ut uitales mouentur) crassioresq; , quàm qui munia, quæ Martius, atque alij comminiscuntur, obire possint. Aliorum sententia, cuius Pomponatius meminit, habet, hunc sanguinis fluxum inde prouenire, quòd anima occisi interfectori indignetur infensaq; sit. Sanè Plato Dialogo 9. de Legibus, in hanc loquitur sententiam, Fertur enim

Hieronymi Magii

interfectum ui hominem, qui liberè uixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter uiolentam mortem, terrore, turbatione; plenum, maximè si uiderit interfectorem inter suos more solito uiuere, interfectorem ipsum, eiusque actiones, uim ad hoc suppeditante memoria, cunctis uiribus terere atque turbare, &c. Hinc Ouidius lib. 5. Fastorum, Remi à Celere occisi, umbram sic dicentem inducit,

» *Sæue Celer crudelem animam per uulnera reddas,*

» *Vtq; ego sub terras sanguinolentus eas. Et Virgilius Deiphobum apud inferos, necis suæ uindictam precantem facit,*

» ——— *Dij talia Graijs*

» *Instaurate, pio si pœnas ore reposco.*

Suetonius, Neronem sæpe confessum ait, exagitari se matris suæ, quam occidendam curauerat, specie, & uerberibus furiarum ac tendis ardentibus, eamque ob rem facto per magos sacro, euocare maternos manes, eosq; exorare tentasse. Liuius lib. 3. Dec. 1. Virginie manes per domos ad petendas pœnas uagatos scribit. Marianorum animas Syllam sollicitasse legimus. Tragœdiæ Orestem à matris umbra & furijs agitatum agunt. Plutarchus in libro de Sera numinis uindicta, & in Cimone,

Cleo-

Cleonices à Pausania trucidatæ phasma, Pausaniam assiduis terroribus perturbasse, ac uexasse, memoriæ consignauit. Adnotat eruditione summa ac probitate inclytus præceptor meus Franciscus Robortellus, lib. 8. de Vita & uictu Populi Rom. sub Imperatoribus Cæsaribus Aug. creditos olim manes cæсорum, pauorem inijcere noctu peremptoribus, si per uim, & insidias perempti essent; ideò piacula ad placandos manes adhiberi solita; qua de re nos nonnulla in libris de Sepulchris & sepe liendi ritu. Hæc autem sunt ab antiquis credita, quia corporeis affectibus animas à corpore seiunctas, penitus destitui non putabant,

quamobrem Vergil. lib. 6. Aeneid. inquit,

» Quin et supremo cùm lumine uita reliquit,

» Non tamen omne malum miseris, nec fuditus omnes

» Corporeæ excedunt pestes, penitusq; necesse est

» Multa diu concreta modis inolescere miris.

Et quæ sequuntur. Sed hæc quoque sententia est improbanda. nam, Theologi prodiderunt,

& Scholasticorum antesignanus Thomas, Quæst. 19. de Anima. & mat. 2. de Virtutibus, Quæst. 4. atque alibi, existimat, post mortem anima à corpore seiuncta, potestates sensitiuas aboleri, superesse, uerò in anima

Hieronymi Magii

duntaxat tanquàm in principio, aut radice (essentiam nanque animæ, potentiarum esse radicem) ideoq; eam irasci, & concupisci posse si iterum corpori indatur. Si ergo iam à corpore anima sit secreta, interfectori non succensèbit, nec irascetur, quòd corpore careat, corde, & sanguine, in quibus iræ est officina, cùm ira, teste Aristotele, sit accensio, uel feruor sanguinis circa cor. Nisi uelimus animam postliminij quodam iure in corpus redire, ut de Harmotini Clazomenij anima Plinius Nat. hist. lib. 7. cap. 52. se inter exempla reperisse dicit, quæ relicto corpore erraret, mox uerò in corpus relaberetur. quæ res solo diuino miraculo fieri potest. Homerus quoq; Iliad. lib. 9. animam postquàm efflata est, redire non posse testatur, inquiens,

» ἀνδρὸς δὲ ψυχὴν, πάλιν ἐλθεῖν οὔτε ληισή,
» οὔθ' ἐλετή, ἐπεὶ ἄρκεν ἀμείψεται ἔρκος ὀδόντων.

Idest,

» Viri autem anima, rursus uenire neq; prædabilis,

» Neque acceptabilis, postquàm transiit septum dentium.

Huc accedat quòd idem Thomas Quæst. 18. & 20. de Anima, animam postquàm à corpore semel digressa sit, in uniuersali (ut eius utar

uer-

uerbis) omnia naturalia cognoscere posse censet, specialiter uerò unumquodq; , non item.

Cui Augustinus adstipulatur in lib. de Spiritu et anima, et de Cura pro mortuis agenda, dum inquit, mortuorū spiritus eo loci esse, ubi quæ in hac uita aguntur, eueniuntq; mortalibus, conspicerere uel audire non possunt. Quo fit, ut perempti anima peremptorem præsentem cadaucris, uidere, aut cognoscere nequeat. At diceres sanguine scatere uulnera, quòd anima, quæ abesse creditur, penitus in præcordijs, quò sanguis se recepit, delitescat. Sed si abdita eo latitat loco, qua ratione corporis sensibus iam abolitis, præsentem esse homicidam intelligere potest? Cùm hominem, qui bene habet, somnus complexus est, cur anima, hostium rerumque noxiarum in corpus ingruentium præsentiam non sentit? Cur etiam, eo uigilante, nisi sensuum corporis adminicula præstò sint, hostes, & quæ sint nocitura non uidet? Profectò ea de anima asserere, non est rationi consentaneum. Arbitrabar aliquando, miraculum quo de agimus, accidere ex motrice quadam uirtute ex occisoris anima uel corpore prodeunte, quæ sympathiæ cæca ui sanguinem elicere possit: huius enim causa multa etiam inanima trahi afficiq; , auctores grauissimi affirmant. Quin non pauca, quæ à corpo-

Hieronymi Magi

re nostro absunt, in nobis mutationes parere uideamus, oscitationem alterius, nos ad oscitandum impellere, fascinantium oculos pueris, quin pecori (ut quidam censent) etiam obesse; luporum aspectum uel presentiam, raucos nos reddere, stridorem limæ ferrum terentis, acrimoniam cæparum, quas sodalis comedat, dentibus molestiæ non modicum conciliare, rubrum colorem conspectum, seuocare è naribus sanguinem; uulnerum ingentium aspectum, oculis tenebras offundere, animique deliquium quoddam quibusdam parere, huiusq; generis alia multa, quæ breuitatis gratia missa facio.

Auicenna Can. 1. cap. de Animæ accidentibus, & lib. 6. de Naturalib. part. 4. pro robore imaginatiuæ uirtutis, multa, quæ supra ueri fidem sint, cõtingere ait, ideoq; animam unius, alterius corpus transmutare aliquando, quòd anima (ut etiam Algazel scriptum reliquit) constans ex nobilibus principijs, ditioni suæ subiectam habeat materiã. Sed hæc Auicennæ eiusq; asseclarum opinio, à Peripateticis exploditur, quòd anima unius nullam cum alieno corpore habeat communionem, ex communiõne autem materiæ actiõnem passionemq; admitti. Lege quæ scripta reliquit infans uir, at bene doctus Thomas Garbus lib. 2. Summæ med. scientiæ, Tract. 4. Quæst. XI.

Et lib. 1. Tract. 5. Quæst. 31. quæ enim & nobis in mentem uenerunt, parùm ad rem facere intelliges. Quamobrem nisi ad miracula confugiamus, certi quicquam quod asseram, me non habere ingenuè fateor.

Aristotelem super Austri, qui ad nos peruenit, origine, discrepare à cæteris omnibus auctoribus, quin etiam sibi ipsi parùm constare. CAP. VI.

ARISTOTELES libro 2. Meteor. *Austrum, qui nostras perflat regiones, à locis Antartico polo subiectis flare negat; uentos enim, qui à regionibus illis oriuntur, nostra in loca penetrare non posse contendit. Contrarium tamen, quasi sibi ipsi parùm constans, eodem libro (ut alij etiam animaduertunt) demonstrat, & Problemate decimo, undecimo, duodecimo 17. & 21. Sectionis 26. idem manifestius ostendit. Auctor quoque libri, qui de Mundo ad Alexandrum, inscribitur, Austrum ex occulto nobis uertice illatum, cum Septentrionario quasi colluctari ait. Indidem Austrum oriri uetustissima fuit Hippocratis sententia in libro de Aëre, aquis & locis, & lib. 2. de Diæta, siue uictus ratione; quem Macrobius lib. 2. in Somnium Scipionis*

Hieronymi Magii

nis cap. 5. & Gellius lib. 2. Noct. Atticarum cap. 30. et alij sequuti sunt. Ab ea etiam non abest Ouidius lib. 4. de Ponto. Eleg. 10. sic inquiring,

» *Hinc oritur Boreas, oræq; domesticus huic est,*

» *Et sumit vires à propiore loco.*

» *At Notus aduerso, tepidus qui spirat ab axe*

» *Est procul, & rarus, languidiorq; uenit. Quo nouissimo uersiculo maximè Hippocrati astipulatur, qui uentos à calidis adspirantes regionibus, ad Riphæos montes, ualde penetrare negat, nisi parumper, et debiles. Quamobrem uidere nescio, quæ Aristotelem causa impulerit, ut iam tum Hippocratis ætate receptam de primordijs Austri, qui aërem nostrum perflat, sententiam, abijciendam putaret: nisi fortasse à montibus altissimis, qui mediam aëris regionem, ex qua uenti spirare incipiunt, superare dicuntur, impediri existimauit. Libro nanque primo Meteor. uentos non supergredi altos montes affirmat. Quod argumentum tanto Philosopho mihi indignum uidetur, cum & si ipse, alijq; auctores prodant, montes aliquot tam altè uertices exeruisse, nõ ideò quominus uenti quæ pergebant, impetu magno procurrere possint, illi sint impedimento.*

Sunt

Sunt enim montium illorum uertices instar arborum, aut scopulorum, qui fluminibus interiecti sint, qui tametsi aquas dum immoti persistunt, parumper abscindant, nullo tamen pacto earum defluxum sistunt. Veterum opinionem maximè fulcit Solomon, qui Ecclesiasticis cap. I. uentos à diuersis mundi plagis surgentes meare, & in suos circulos reuerti dicit.

Pellium, quibus frigora propulsari solent, quis usus, & quo tempore fuerit apud antiquos. CAP. VII.

PELLICEARVM uestium, quibus frigora arcentur, si sæculum aureum excipiamus, plerique nullum fuisse usum existimant, eo quòd Plinius diligens homo, & doctus qui, ut Raphaël Volaterranus inquit, omnia exequitur, atque alij, nullam prorsus de his mentionem faciant. Accedit eo quòd Suetonius literis prodidit, Augustum se præmunire solitum aduersus uim frigoris, tunicis quaternis, cum pingui toga, & subucula, thorace laneo, fœminalibus & tibialibus. quod hic Imperator neutiquam fecisset, si indumenta expellibus, quæ & melius, & commodius nos à frigore tumentur, fuissent in usu apud nobiles ac principes uiros. Concinit quoque

Hieronymi Magii

quoque Martialis, his uersiculis, loquens de diuite bene uestito,

» Optat & obscuras luces, uentosq; niuemq;

» Propter sexcentas Baccara gausapinas.

Et alibi,

» Mense uel Augusto sumere gausapinas.

• Lucretius lib. 5. de priscis hominibus,

» Tunc igitur pelles, nunc aurum & purpura curis

» Exercet hominum uitam belloq; fatigant.

Quanquam Liuius lib. 5. Dec. 1. Romanos in

• Veiorum obsidione, pellibus tectos, hyemare cepisse ait. hi enim pellibus quibusdam rudioribus, priscorum, uel Getarum Sarmatarumq;

• more usi uidentur, quas nulli in urbe usurparent. Vsum tamen pellium, in uestitum postea

• irrepisse, satis liquet: siquidem Seneca in Epistolis, pellicularum uulpium, muriumq;

• (has Zibellinos atque Armellinos uulgò nuncupatos, Volaterranus fuisse putat, & si Zibellini maiores sunt, quàm quibus murium no-

• men conuenire potuisse uideatur) quæ ad frigus arcendum compararentur, mentionem fa-

• cit, Pelliculas, inquit, uulpium ac murium, frigoris causa, etc. Vlpianus quoq;, & Paulus

• Iureconsulti, pellicearum uestium usum agnoscunt. Vlpianus enim. l. Vestis. ff. de Auro, &

• argento leg. de uestimentis agens, sic loquitur

tur, Familiaria sunt, quæ ad familiam uestiendam parata sunt, sicuti saga, tunica, penula, lintea uestimenta, stragula, & cætera similia: uestis ex pellibus constabit. Item pelles caprinæ, & agninæ uestis erunt. Paulus, uerò in lege subiecta, Cum, inquit, & tunicam & stragulam, & pelliceam nonnulli habeant. hæc ille. Iulius pollux lib. 7. cap. 15. pellicearum uestium usum demonstrat dum loquitur in hanc sententiam, Erant, inquit, & uestes coriacea, & tunica ex pelle — Sysira autem tunica coriacea pilosa, manicata, & habitus Scythicus. hæc ille. Pellicearum autem uestium usum non admodum frequentem fuisse arbitror, magis quæ ad tenuis fortunæ homines, ad seruos, & agricolas, quàm ad patricos pertinuisse. Nullæ enim statuæ, quas ego unquam uiderim huiusmodi uestitum præferunt, rara quæ eius apud auctores mentio uisitur, præter quàm cum de priscis mortalibus, aut Scythis, reliquis quæ Septentrionalibus hominibus agunt, qui maximè frigoribus urgentur: aut de his, qui agrestes mores penitus non abdicauerant. Talibus enim uestibus primi homines uti cæperunt, quòd cuique essent obuiæ, & nulla arte nulloque labore pararentur. Scriptum Moses reliquit Gen. cap. 3. Deum fecisse Adam, & uxori tunicas pelliceas. Quanquàm Origenes,

Hieronymi Magii

nes, ut Epiphanius in libro *Ancyroto* testatur, allegoricòs & non sine errore, has tunicas pro Adam & Eua carne accepit. Priscos, huiusmodi usus uestibus, aiunt Lucretius lib. citato, & Iuuenalis Saty. 6. Pellitos fuisse Aquilonares, non semel testatur Ouidius. Vlpianus quoque in. l. *Argumento*. ff. de *Auro & argento leg.* Varro lib. 2. de *Re rustica* cap. x1. Virg. *Georg.* lib. 3. Iustinus hist. lib. 2. ad stipulantur. Iustinus quidem sic inquit de Scythis, Et quanquam continuis frigidibus uruntur, pellibus tamen felinis, aut murinis uestiuntur, etc. Caesar lib. 6. de *Bel. Gal.* Germanos pellibus, aut paruis rhenonum tegumentis usos, fidem facit. Varro Sardos quoque, & Gracos antiquos, caprarum pellibus, Dio Chrysostomus in fabula *Lybica*, Lybyssas rhenonibus integri consueuisse, demonstrant. Miron Prieneus apud Athenæum lib. 14. *Dipnos*. cap. 29. Helotas Lacedæmoniorum seruos, pileos ex canina pelle gestare, & rhenonibus indui, per contumeliam fuisse coactos, prodidit. Clio & Beroë Nymphæ, pellibus incinctæ inducuntur à Virgilio *Georg.* lib. 4. *Aeneidos* lib. 1. Romulus lupæ pelle, lib. 5. Acestes pelle *Lybistidis* ursæ uestiuntur. Idem lib. 8. *Aeneam* strato locauit effulsum pelle *Lybistidis* ursæ; & antea in *Herculis*

lis sacris, mensæ super leonis pelle (Hercules nanq; ex Leonina pelle usus indumêto dicitur, talisq; fingitur, inquit Fest. lib. 14. ut homines cultus antiqui admoneantur) accubantem fecit. Pellem caprinam, Iunonis amiculum dicit Festus lib. 6. Plutarchus in Problem. Lares, canum pellibus apud Romanos indutos testatur. Produunt Mauros Leonum Elephantum, ursorumq; pellibus se in bello præmunire solitos. Est quoque à me in antiquorum monumentis marmoreis, æreisq; obseruatum, quod nonnulli nostræ ætatis scriptores, de rebus bellicis agêtes non omiserunt, quosdam in Romanorum exercitu milites, ferarum capitibus detractas pelles, pro galeis ad terrorem hostibus incutiendum gestasse.

Pellium usum in capitibus pileisq; inuenio. Plato in Symposio agninas pelles pileis tribuit, cuius rei meminit Pollux lib. 7. ubi de pileifico agit. Athenæus quoque lib. 6. Dipnos. cap. 8. mentionem facit pileorum uillosorum ex ouium pellibus. Festus lib. 14. retulit capitia ex pellibus agninis facta, pescia in Saliari carmine ab Aelio Stilone dicta esse, affirmari, quòd Græci uocent pelles pesce neutro genere plurali. Vegetius lib. 1. de Remilitari cap. 20. usque ad suam propè ætatem consuetudinem permansisse ait, ut omnes milites

Hieronymi Magii

*lites pileis, quos Pannonicos uocabant, ex pel-
libus uterentur: idq; fuisse seruatum, ne gra-
uis galea uideretur homini in praelio, qui ge-
stabat aliquid semper in capite. Fuerunt pel-
les & antiquis lugentibus in usu, Festus libro
prænotato, lugentes, diebus luctus in pellibus
esse consueuisse scriptum reliquit. Pelles etiam
sponsis, quas introducebant, sternere solebant
Romani, ut ait Plutar. Problemate 29. Pelliæ
usum in rusticorum stratis, ut Odyf. lib. 14.
non uno in loco, atque etiam in lectis ditiorum
Homerus agnoscit, sic enim de Telemacho lo-
quitur Odyf. lib. 1.*

» ἐνδ' ὄγε παννύχιος κεκαλυμμένος ὁ ἰὸς ἀ-
ώτῳ,

» βούλῳε φρεσὶν ἧσιν ὀδὸν, τὴν πέφραδ' ἀθήνη.
Idest,

» Tunc hic per totam noctem coopertus ouis
pelle,

» Voluebat animo iter, quod dixit Minerva.
Infrà quoque lib. 4. & 7. et Iliad. lib. ultimo,
quauis non modicum lectorum luxum ap-
pingat, pilosas tamen uestes iniijci consueuis-
se lecto cubantibus demonstrat. Sedes etiam
pellibus sterni solitas ostendit Odyf. 17. his
uerbis,

» κῶεα κασορνύσα θρόνοις ἐνὶ δαιδαλέοισι.

» Pelles sternens sedibus in uarijs.

Et

Et lib. 19.

« ——— καὶ ὑπὸ θρήνου ποσὶν ἦκε,
» προσφύε' ἐξ αὐτῆς ὄθ' ἐπὶ μέγα βάλλετο
κῶας,

» ἔνθα καθίζετ' ἔπειτα περίφρων Πηνελόπεια.
Hoc est,

» ——— & sub scabellum pedibus misit
» Aptum ex ipsa, ubi magnam iniecit pel-
lem.

» Illhic sedit postea prudens Penelope.

Et infra,

» Δῖρῳ ὀμίη, φέρε δὴ δίφρον, καὶ κῶας ἐπ' αὐτῆ

» ὄφρα καθεζόμενος εἴπῃ ἔπος, ἠδ' ἐπακούσῃ

» ὃ ξείνος ἐμέθεν.

Idest,

» Eurynome porta iam sedem, & pellem in
ipsa,

» Vt sedens dicat uerbum, & audiat

» Hospes me.

Quantquam & tapetes iniici sedibus consue-
uisse, idem satis demonstrat infra lib. 20. dum
procorum aduentui domus Penelopes para-
tur, & instruitur.

Hieronymi Magii

Emaculata Constitutio in tribus posterioribus Codicis Iustiniani libris.

Azonis error demonstratur. Declaratur quæ sint in eadem constitutione Deliciæ, & apud Catonem tegulæ Deliciares.

CAP. VIII.

LIBRO undecimo Codicis Iustiniani Imperatoris sub titulo de *Aquæductu*, legitur Constitutio Imperatorum Archadij & Honorij, his uerbis, *Usus aquæ ueterem, longoque dominio constitutum, singulis ciuibus manere censemus, nec ulla nouatione turbari: ita tamen, ut quantitatem singuli, quam ueteri licentia percipiunt, more usque in præsentem diem perdurante, percipiant: mansura pœna in eos, qui ad irrigationes agrorum, uel hortorum delicias, furtiuis aquarû meatibus abutuntur. Huius constitutionis nouissimæ partem insedit, scribarum incuria, deliciæ enim hortis maximè quadrare cum uideantur, uocem ad hortorum irrigationes retulerunt, ac locum deprauarunt, quod ante Azonis atatem factum esse constat, Ita enim ille non sine errore, mendosum sequutus codicem inquit in Summa, Et sic habeant aquæ quantitatem, ut consuetudo fuit; non contra cõsuetudinem furtiuis aquæ meatibus abutendo,*

do. Sic quidem *Azo*. *Alciatus*, qui alias Constitutiones sub eodem titulo in suis Annotationibus repurgat, atque non parum illustrat, de hac tanquam uitij exorte ne uerbum quidem. *Iacobus* quoque *Cuiacius* omnium concessu Iurisconsultus maximus, cuius ego suspicio multa cum elegantia, honestarumq; disciplinarum scientia coniunctam iurisprudentiam, eandem etiam corruptè habet in *Com. suis* ad tres posteriores libros *C.* nisi si typographi mendum sit. sic & *L. Russardus* homo doctus et diligens in *C.* quem admodum emendatè ab hinc biennium edidit. Ego ullo absque dubio, errore expuncto, ita legendum existimo, *Mansura* pœna in eos, qui ad irrigationes agrorum, uel hortorum, delicijs furtiuis, aquarum meatibus abutuntur. Innitor uerò *Theodosiani Codicis* fide lib. 15. ubi sub titulo de *Aquæductu*, eadem constitutio hanc habet lectionem, & ratione non leui. siquidem, qui deducunt à publicis tubis aquam, non abutuntur furtiuis meatibus, cum *Aquæductus*, furtiui meatus à nemine appellentur, sed bene clandestinis, furtiuisq; delicijs, hoc est derivationibus, uel sulcis aquarijs, malè & contra legum præscriptum utuntur publicis aquarum meatibus. *Iulius Frontinus* in lib. de *Aquæductibus*, senatusconsulto, quod *Q. Aelio Tube*

Hieronymi Magii

rone, et Q. Fabio Maximo Coss. editum fuit, aquam non nisi ex castello ducere licuisse scribit, ea ratione, ne aut riui, aut fistulæ publicæ, frequenter perfoderentur. Idè ait lege cautum fuisse, ne quis priuatus aliam duceret aquam, quàm quæ ex lacu humum accederet, idest quæ ex lacu abundaret, quam, inquit, nos caducam uocamus. Agros uerò, qui aqua publica fuissent contra legem irrigati, publicatos esse. Quod attinet ad uocem, Delicijs, eam, quanquàm insolèis sit auctoribus, à uerbo Delicio ductam arbitror, etymo tam hominum delicijs, quàm huiusmodi deriuationibus congruente, à quo uerbo & Deliciares tegulas dictas puto, quarum sic meminit Cato in lib. de Re rustica cap. 14. Id tectum sic numerabitur, tegula, integra quæ erit : quæ non erit, unde quarta pars abierit, duæ pro una. Deliciares quæ erunt, pro binis putabuntur, &c. Deliciares enim tegulæ à Catone uidentur appellari, tegulæ quædam maiores in canaliculorum formam (has enim pro binis, ob magnitudinem æstimat) quæ in tectis, influentem aquam excipiunt, deorsumq; liciunt, & perducunt, eumq; præstant deducendis pluuijs in tectis usu, quem in agro elices, quos Columella lib. 2. Collicias, uel, ut alij legunt, Colliquias uocat; & maiores esse sulcos dicit, in quibus
aqua,

aqua, si redundat, excolatur. Has tegulas Collicias etiam dictas Festus testatur, & canaliculorum formam habuisse, demonstrare uideatur his uerbis, Collicia, inquit, tegulae, per quas aqua in uas defluere potest. Et si non melatet eundem Festum testari, tegulas Deliciares, pro ut etiam tectum deliciatum, dici à delicia tigno, quod à culmine ad tegulas angulares infimas uersus fastigium collocatur, unde coniecturæ locus detur, tegulas illas Deliciares Catonis, ideò maiores fuisse, atque ampliores duplo cæteris, quòd ipsis Delicia tignis esset tegendum. In qua tamen re suum cuique iudicium liberum esto.

Tertium'ne Cōsul, an Tertiò dici oporteat. M. Varronis sententia improbata.

CAP. IX.

TERTIVM'NE Consul, an tertiò dici oporteat, quærit Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 1. sed fluctuat, & si M. Varronis sententiam approbare uidetur. Varronis uerba ex libro Disciplinarum quinto hæc sunt, Aliud est Quartò Prætorem fieri, & Quartum: quòd Quartò, locum adsignificat, ac tres ante factos: Quartum tempus adsignificat, & ter ante factum. Igitur Ennius rectè conscripsit,

T 3 Quin-

Hieronymi Magii

» Quintus pater, quartum fit Consul.

Et Pompeius timide, quod in Theatro ne adscriberet, Consul tertium, aut tertio. extremas literas non conscripsit. Hæc Varro. Quæ de re memini me aliquid legere apud Vallam lib. 3. Elegan. cap. 58. Sed mihi Varronis, eiusq; asseclarum sententia non usquequaq; uera uidetur, quandoquidem antiquissima lapidis inscriptio, quæ Romæ uisitur, illi maxime obstat, est enim in hæc uerba,

P. DECIVS DECII F. PRIMO COS.
DE SAMNITIBVS TRIUMPHANS
SPOLIA EX HIS CAERERI CON-
SECRAVIT ITERVM ET TERTIO
COS.

Quem loquendi morem Romæ doctum quendam uirum Cælium, et Q. Claudium, Gellius sequutus refert. Hos uerò leuibus ductos coniecturis, mihi non fit uerisimile. Adde quod tertium & tertio indifferenter, quemadmodum primum & primo, dici uidentur. Terentius in Adel.

» Næ ego sum infelix, primum fratrem nusquam inuenio gentium.

In Phor. uerò. Cæpi aduersari primo, &c.

Veteris fuisse instituti apud Romanos, cremare hominum cadauera: Plinius, qui hoc negat, reprehensus.

CAP. X.

EST à Plinio scriptum in septimo librorum, quos de Naturali historia posteris legendos reliquit, cap. 54. ipsum cremari non fuisse apud Romanos uetustiores in usu, Ipsum, inquit, cremari, apud Romanos non fuit ueteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum; & tamen multæ familiæ priscos seruauere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus; idque uoluisse, ueritum talionem, eruto C. Marij cadauere. Hæc Plinius. Idem de Sylla scriptum Cicero in lib. 2. de Legibus reliquit. Plinij sententiam nullus hodie ferè est, qui non approbet. Ego lapsum esse Plinium existimo, primum quia Duodecim tabulæ cadauerum con cremationis faciunt mentionem. Cicero libro prænotato, Hominem mortuum, inquit lex in Duodecim tabulis, in urbe ne sepelito, ne ue writo. Credo uel propter ignis periculum. Quod autem addit, Ne ue writo. indicat non qui uratur sepeliri, sed qui humetur. Hæc Cicero. Constat autem Gellio astestante lib. 20.

Hieronymi Magii

Noct. Attic. cap. 1. trecentesimo anno post Romam conditam, Duodecim tabulas compositas, scriptasq; esse. Quamobrem merito, comburendorum cadauerum consuetudinem, quæ ante Decemvirale ius extiterit, Plinio uetustam non uideri, miratur eruditissimus pariter atque elegantissimus uir Paulus Manutius in libro de Legibus Romanis. Præterea quia Plutarchus in Numæ uita demonstrat, antiquissimis temporibus Romæ fuisse in more positum ut corpora flammis absumerentur. ait enim cauisset Numam, ne corpus suum exureretur, Atqui, inquit, cadauer igni haud dedere, quoniam is cauisset, ut dicitur: sed duabus arcis lapideis factis, eum sub Ianiculo condiderunt, quarum altera habebat corpus, altera libros sacros, quos ipse scripserat, &c. Fuit nanque Numa secundus Romanorum Rex, et cum ab urbe condita anno trigesimonono regnare cœpisset, regni sui anno 43. obiit. Quamquam non me latet Ciceronem libro citato, ad priscum sepeliendi morem demonstrandum (quæ me res in admirationem abducit) Numæ sepulturam allegare. Huc accedat quòd suo se Plinius gladio iugulat, Posthumiam nanque Numæ legem, uino rogi aspergi uetuisse dicit. eius libro 14. cap. 12. hæc sunt uerba, Numæ Regis posthumia lex est, VINO RO-

GVM NE ASPERGITO. quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet, &c. ut credi etiam fortasse possit, Romuli quoque temporibus, aut etiam uetustioribus, cremandorum cadauerum ritum in Italia fuisse, quem Virgilius lib. XI. Aeneidos, & Ouidius Fastorum lib. 4. agnoscant. Sic enim cecinit Ouidius de Remi nece, & funere loquens,

» Dat tamen exequias, nec iam suspendere fletum,

» Sustinet, & pietas dissimulata patet.

» Osculaque applicuit posito suprema feretro,

» Atque ait, Inuito frater adempte uale.

» Arsuerosque artus unxit; fecere quod ille

» Faustus, et mæstas Acca soluta comas.

» Tunc iuuenes nondum facti fleuere Quirites,

» Vltima plorato subdita flamma rogo est.

Nisi fortasse quis dicat, hoc κατὰ πρόληψιν moris ab Ouidio, & ea etiam, quæ de concrematione Virgilius dixit, esse prolata, cuius rei illud sit argumentum, quòd Ouidius dicat unctum fuisse Remi cadauer, cum tamen nullus tunc penès homines postea Romanos nuncupatos, unguentorum usus fuerit cognitus, præsertim ad unguenda cadauera. Quandoquidem Plinius lib. 13. cap. 1. sic scribit, Primum, quòd equidem inueniam, castris Darij Regis

Hieronymi Magii

Regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum. Postea uoluptas eius à nostris quoque inter laudatissima, atque etiam honestissima uita bona admissa est. Honosq; is & ad defunctos pertinere cœpit, &c. Vnde & illud Ennianum κατὰ πρόληψιν moris dictum uidetur existimandum, cum inquit,

» Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & unxit.

Blondus Forol. lib. 2. Romæ triumph. ex Vergilij auctoritate libro citato, & Terentij in Andria, consuetudinem concremandi cadauera adstruit, nec anticipationis aut regionum diuersitatis habet rationem. Idemq; quod est à Plinio de hac re scriptum, uerum fuisse in Patricijs contendit.

Dissidium, quod inter Tacitum, & sacras literas esse uidebatur, sublatum.

CAP. XI.

SUPERIORA me admonent, ut pugnantiam quandam, quæ inter Tacitum, & sacras literas super cadauerum concrematione esse uidetur, componam. Inquit Tacitus lib. 21. de Iudæis loquens, Corpora condere, quàm cremare, more Aegyptio, etc. Sed uideo apud

He-

*Hebræos quoq; cadauera fuisse combusta, hæc enim uerba leguntur Ieremiæ cap. 34. Attamen audi uerbum Domini, Sedecia Rex Iuda, Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum cõbustiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, & Væ domine, plangent te, quia uerbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus. Regum uerò lib. 1. cap. 31. proditum est, Saul, & filiorum eius cadauera exusta fuisse. Surrexerunt omnes uiri fortissimi, et ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, ueneruntq; uiri Iabesgalaad, & combusserunt ea ibi igni, & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, et ieiunauerunt septem diebus. Hæc ibi. Vides sacras literas Tacito aduersari. Cùm hæc aliquid mihi negcij facesserent, consului cap. 16. libri 2. Paralip. in quo nescio quid hac de re me legisse memineram, si fortè ex locorum, ut fit collatione, quid esset existimandum, intelligerem. sic autem in capitis calce de Asa Rege scriptum inueni, Et sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid: posueruntq; eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum
ambi-*

Hieronymi Magii

ambitione nimia. Quibus ego uerbis in eam statim sum adductus sententiam, ut existimarem, exustionem Sedeciæ, cuius meminit Ieremias, non huic absimilem fuisse, scilicet citra cadaueris concremationem, Hebræorumque Rabinos consentire animaduerti. Siquidem Rabi David Chimchi ad prænotatum cap. 31. retulit Rabinus prodere, cõsueuisse exuri lectos, uestes, aliaq; utensilia Regum. quo suspicatur respexisse Rabinum Ionadan, dum ait, super Saulis cadauere eam factam esse exustionem, quæ super alijs regibus fieri consueuerat. Idemq; Chimchi ad citatum cap. 34. Ieremiæ in hanc loquitur sententiam, Comburent te, scilicet ut comburebantur super lectis Regum ipsorum aromata, & unguenta aromatibus mista, ut dictum est in Rege Asa: nostriq; Rabini declarant, has res super ipsis fuisse exustas, scilicet lectos, uestimenta, aliaque utensilia. Hæc ille. Idem interpretes ad cap. 16. lib. 2. Paralip. suprâ citatum, sic ait, Combusserunt super ipso aromata in cinere bona, eumq; cinerem super ipsum sparserunt. Ibidem ait, præter aromata, comburi etiam solita super Regibus supellestilia. Id ea de causa, quantum ad lectos supellestiliaq; attinet, fieri consueuit, ut ait Isaac Abaruanellus in Com. in cap. 15. libri 1. Regum, ne in usum cuiusquam,
qui

qui ex regia prosapia non esset, adsumerentur; atq; hanc exustionem in omnium Regum funere factam esse. Sed mihi præter quàm in Regibus, qui ex stirpe erant Dauidica, id factum esse, non constat. Vides de cadauerum exustione nihil omnino dici. Quod autem spectat ad Saulis eiusq; filiorum cadauera, idem Rabi David Chimchi in Com. in idem cap. 31. lib. I. Regum, literis consignauit, cadauera illa fuisse cremata quòd iam computruissent, uermibusq; scaterent, essetque indecorum ea ita uisu et odore fœda, sepulchro inferre; ideò ossa carnibus exuta, fuisse condita sepulchro. Iam igitur patet nullum inter sacras literas & Tacitum hac in re esse dissidium.

Cauisse scriptores, ne Gallos, frugum uinique dulcedine captos, alpes superasse, seq; Italiæ superfudisse affirmarent. Valerius Probus reprehenditur, & constitutio quædam Valent. & Grat. Imp. illustratur. CAP. XII.

GALLOS gentem fuisse olim, esseq; etiam hodie bellicosissimam honorisq; appetentissimam, tum grauissimorum auctorum testimonia, tum eorum res gestæ præclarissimæ declarant. Hos uini frugumq; delitijs, & dulcedine

Hieronymi Magii

dine pellectos, alpium impedita asperaq; iuga
superasse, seq; in Italiam effudisse, fama olim
increbuerat. Verum cum hac belli illati causa
indignior esse uideretur, quæ ad eam suscipien-
dam provinciam populos nobilissimos ac belli
cæ uirtute florentes impelleret, religiosè scrip-
tores uitauerunt, ne id affirmarent: eamq; ob
rem infamam, quæ mendacio carere non so-
let, historiam retulerunt. Liuius lib. 5. Deca-
dis 1. Eam, inquit, gentem traditur fama dul-
cedine frugum, maximeq; uini noua tunc uo-
luptate captam, alpes transisse, agrosq; ab He-
thruscis ante cultos possedisse: & inuexisse in
Galliam uinum illiciendæ gentis causa, A-
runtem Clusinum, etc. Ut mirer doctissimos
uiros Liuius, nihil præterea affirmanti, hoc
nomine iniqui, & exulcerati animi notam
inurere. Plutarchus in Camilli uita de Gallis
loquens ita ex interprete inquit, Tunc, ut fa-
ma est, primum gustantes uinum ex Ita-
lia delatum, sic illius admiratione ac noui-
tate suauitatis amentes facti sunt omnes, ut
collectis armis, sumptisque filijs, ad alpes
concesserint, quæsierintque eam terram, in
qua huiusmodi fructus oriretur: aliam autem
infructuosam, atque immitem arbitrabantur.
Primum, qui ad illos uinum detulit, ac in Ita-
liam eos accersuit, Aruntem Tyrrbenum
fuisse

fuisse ferunt, uirum & splendore, & natura præstantem. Hæc Plutarchus. Plinius Natur. hist. lib. 12. cap. 1. Produunt, inquit, alpi- bus coërcitas & tum inexuperabili munimen- to Gallias, hanc primùm habuisse causam su- perfundendi se Italiae, quòd Eliquo ex Helue- tijijs ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, sicum siccam, & uuam, olei- que ac uini præmissa, remeans secum tulisset. Qua propter hæc uel bello quæsisse uenia sit. Hæc Plinius. Vides nullum affirmare quicquam, sed duntaxat quæ ferebantur retulisse. Ludo- uicus quoque Ariostus, qui inter uernaculos Poëtas, seu potius Cantores meritò primas obtinet, in Rholando suo furenti, de uino lo- quens, hos imitatus sic cecinit,

- » L' almo liquor che à' meditori suoi
- » Fece Icaro gustar con suo gran danno,
- » Et che si dice che già Celti, e Boi
- » Fe passar l' alpi, & non sentir l' affanno. etc.

Nisi fortè exemplo planè Poëtico, quod incre- dibile uidebatur, fama comprobare uoluerunt. Aristoteles enim in libro de Poëtica, quod fie- ri non posse uidetur, apud Poëtas tribus mo- dis, quorum unus fama est, defendi dicit, ὅλας δὲ (inquit) τὸ ἀδύνατον μὲν ἢ πρὸς τὴν ποιή- σιν, ἢ πρὸς τὸ βέλτιον, ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνά- γειν . hoc est, In summa, quod fieri nequit, uel

ad

Hieronymi Magii

ad ipsam poësim, uel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendum est.

Quamobrem Virgilius, quæ magna admirabiliaq; sunt, & fidem excedere uidentur, famæ adscribit. Vnde illud,

» Quam Iuno fertur, terris magis omnibus unam.

» Item, Fama est Enceladi, etc.

» Præterea, Dedalus ut fama est.

Adh. sc,

» Nanque ferunt fama Hippolytum.

Vt erret Valerius Probus antiquus, & non indoctus Virgilij explanator, qui in Com. in Aeclogam 6. id proprium, et peculiare in Virgilio esse affirmauerit, cum omnibus Poëtis sit cômune. Quia prædicta de Gallis, quantum ex famæ solùm auctoritate, tradebantur, uideri possunt Imperatores Valentianus, & Gratianus (quod & Alciatus existimat Disputationum lib. 4. cap. XI.) constitutionem infrascriptam promulgasse, ne Barbari, gustu uini, olei, & liquaminis admoniti, Romani Imperij regiones, hostiliter inuaderent. Hæc legitur C. sub titulo, Quæ res exportari non debeant. estq; in hæc uerba, Ad Barbaricum transferendi uini, olei, & liquaminis nullam quisquam habeat facultatem, nec gustus quidem causa, aut commerciorum.

Et si

*Et si hæc etiam constitutionis causa fuisse uide-
 ri potest (Alciato licet reclamante) ne gu-
 stus aut commerciorum prætextu , uel quan-
 titate etiam non magna admodum, sæpius ad
 Barbaros conuectanda, fraus legi fieret, aut
 illi gustu admoniti, uitibus oleisq; agros, si
 regio ferre posset, confererent, atq; his liquo-
 ribus, qui plurimum usui atque adiumento
 sunt mortalibus, aucti ac robustiores redditi,
 uel ardentius in limitaneos milites, idest in
 eos, qui in Imperij limitibus iugiter excu-
 babant, irruerent; uel dum Romani eorum
 se regionibus superfunderent, eosq; debellare
 niterentur, acrius resisterent. Vox autem
 Barbaricum, in hac constitutione pro Barba-
 rorum regione uel loco ponitur, ex Græcorum
 imitatione, Βαρβαρικόν, enim, ut Ammo-
 nius ait, locum uel rem Barbarorum signifi-
 cat. Aut fortasse dicitur Barbaricum, quem-
 admodum, & hosticum. Liuius lib. 6. Deca-
 dis I. Romano contra in hostico commorandi
 causa erat ut hostem ad certamen eliceret, etc.
 Vox eadem in Florentinis Pandectis legitur,
 quanquam corruptè, pro hostico enim, codex
 ille uetustissimus, hosticolo habet.*

Hieronymi Magii

xtum, aut eum esse (quod creditu difficile est) hallucinatum, & in cognoscenda antiquitate cœcutire. Eius uerba qualia leguntur in uulgatis exēplaribus, et in manuscriptis, quæ mihi legere contigit, apponam. Oppida, inquit, in Latio condebant Hethrusco ritu multa, idest, iunctis bobus, tauro & uacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa, die auspicato, ut fossa & muro essent munita. Terram unde excluderant, fossam uocabant, & introrsum factum murum. Quodq; postea fiebat orbis, & urbis principium. Quod erat post murum Pomœrium dictum, eiusq; auspicia urbana finiuntur. Cippi Pomœrij stant, & circum aræ quædam, et circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & uruo, Vrbes. Et ideò coloniæ nostræ omnes in literis antiquis scribuntur urbes, quòd item conditæ ut Roma. Et ideò coloniæ, & urbes conduntur, quòd intra Pomœrium ponuntur. Hæc Varro. His uerbis plures insidere labes uideo, quas Michaël Bentinus, & alij, qui post eum Varronis corruptissimos libros à mendis repurgare nixi sunt, haudquaquam animaduertunt. Eas, uetustorum ac spectatæ fidei exemplarium ope destitutus, omnes me eluere non posse doleo, quod tamen cōiectura possum præstabo.

mulus, ait, cum Palatio, in quo quadratam Romam condidit, &c. Pompeius lib. 15. Quadrata, inquit, Roma in Palatio ante templum Apollinis, dicitur locus, ubi reposita sunt quæ solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quòd saxo munitus est initio in specie quadratam. Eius loci Ennius meminit cù ait,
» Et quis extiterat Romæ regnare quadra-
tæ?

Romæ in Palatio conditæ ex Antigono Italicæ historiæ scriptore, idem Pompeius infrà libro 16. meminit: sic etiam Varro libro 5. de Lingua Latina. Plutarchus in Romulo ῥώμῃ τετραγώνῳ uocauit, idest quadrangulam, qualem Crinitus lib. 4. de Honestâ disciplina cap. 9. à Iulio Solino significatam existimat, dum ille ad æquilibriũ eam factam fuisse scriptum reliquit. Cum ex his meridiana luce clarius constet, Romam fuisse à Romulo quadrata forma designatam, & constructam, & cognoscamus prædictorum auctorum testimonijs Romulum Hethrusco ritu condidisse Romam, dignum maxima est admiratione quod apud Varronem libro 4. de Lingua Latina legitur scilicet oppida Hethruscorum ritu in orbem describi consueuisse ante quàm conderentur, & ab orbe illo urbes dicta fuisse. Quare existimauerim aut corruptum esse Varronis conte-

Hieronymi Magii

De eadem fossa Plutarchus quoque in Romulo sic ait ex interprete, Accersitis ex Hethruria uiris, qui sacris quibusdam ritibus, & literis singula edocerent, atque exponerent quemadmodum in mysterijs, fossam rotundam effodit in loco, cui nunc Comitio nomen est, primitiasque omnium, quibus lege quidem ut honestis, natura autem ut necessarijs utebantur, in eam deposuerunt. Et ad postremum ex qua quisque profectus erat terra, particulam quandam ferens, eodem coniicientes, commiscuerunt. Vocant autem fossam ipsam eodem, quo Olympum nomine, Mundum. Deinde &c. De eadem fossa Xenophon Græcus auctor in libro Aequiuocorum, A Barbaris uerò, inquit, omne spatium circulare ultimū, lymplus dictus est, & cum interiori area Olympus, à quo Astrolabium Olympus, & sacrum pomerium Olympus est. Hæc ille. Ioannes Annius Viterbiensis, fossam illam rotundam Hethrusos Mundum appellasse dicit, Græcos uerò Olympum, scilicet ueteri uocabulo Barbaro, Græcis usitato. Verum ego apud Varronem lib. 6. de Lingua Latina, inuenio, Olympum Græcam esse uocem, Cælum, inquit, dicunt Græci Olympum: montem in Macedonia omnes, à quo potius putato dictas Musas Olympiadas. Sic Varro. Cælum autem ab Hethruscis nostris nõ Mundum

anti-

Flabo. Inquit Varro, Quodq; postea fiebat orbis, & urbis principium.] Affert auctor eorum, quæ fiebant, nomina, quæ sunt, Fossa, Murus, Vrbs, Pomærium. Hic sine dubio, urbis nomen cum suo etymo. Sic ergo est legendum, Quodq; propterea fiebat orbis principium, est urbs. Orbis autem, de quo loquitur Varro, est fossa illa in girum excauata, quæ Olympus dicebatur, & ante omnia fiebat, et à qua sulci initium ducebatur, ideò hic orbis, appellatur ab eo principium. Piëtor citato lib. 2. Itē, inquit, Herculis ara, ubi Olympus, et initium sacri aratri. Ab hac fossa sulcū duci consueuisse, testatur etiam Ovidius Faëtorum libro 4. qui ritum condendarum urbium optimè appingit, inquit,

» *Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,*

» *Sacra Palis suberant, inde mouetur opus.*

» *Fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima,*

» *Et de uicino terra petita solo.*

» *Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara,*

» *Et nouus accenso funditur igne focus.*

» *Inde premēs stiuam designat mœnia sulco,*

» *Alba iugum niueo cum boue uacca tulit.*

Hieronymi Magii

gressum in tractum Umbriae, fundasse regiam, & fani olympum, fossamq; sacrasse, & Augustalem Thurrenam non longè à regia dedisse, &c. Iam igitur quis sit orbis cuius meminit Varro, & quomodo locus sit restituendus, intelligis. Eundem intelligit orbem infra cum inquit, Ab orbe, aut uruo urbes.] Est enim Aut, non Et, legendum, eo quòd duas ponat Varro etymologias, quarum posteriorem elègit Pomponius Iuriscòsultus, ut cernere est in. l. Pupillus. ff. de Verborum significatione.

NUNC ad Pomærium ueniamus. Quod erat post murum, Pomærium dictum, ut uides, testatur Varro. Iulius Pollux lib. 9. intra muros solum Pomærium locat, inquit ex interprete, Ingressis uerò omne illud dicitur Pomærium, intra muros, intra mœnia. Interius autem plateæ, &c. Plutarchus etiam in Romulo, quod intra lineam murum diffinientem relinquitur, Pomærium esse dictum ait detractis per syncopam è medio literis, quasi pone murum. Aggenus Urbicus in Com. in Iulium Frontinum, in uniuersum Pomærium extra muros urbes habuisse dicit, ali quas uerò intra. Pomærium autem, inquit, urbis est, quod ante muros spaciù sub certa mensura dimissum est. Sed et aliquibus urbibus et intra muros simili modo est statutum, propter custo-

antiquitus dictum inuenio, sed Phalandum, Pompeius lib. 6. Phalæ, inquit, dictæ sunt ab altitudine, à Phalando, quod apud Hethruscos significat cælum. Cum ergo Barbaros dicit Xenophon, Latinos in uniuersum significat, qui lymbi uoce & olympi in ea significatione utebantur. Siquidem Varro in Dolio Satyra, ut ex eius uersibus à Valerio Probo in Comment. in Virgilium relatis, est manifestum, Zodiacum lymbum appellat, qua de re Crinitus lib. 3. de Honeſta disciplina cap. 11. Eademq; uoce usus est Plinius. Apud eundem Varronem Cossinius sic ait, Capellarum dentes inimici ſationis, quas etiam Astrologi ita receperunt in cælum, ut extra lymbum duodecim ſignorum excluſerint. Hæc ille. Barbaros autem Latinos appellat Xenophon Græcorum more, qui omnes nationes præter Græcas, Barbaras uocant, Ammonius in de Simil. et differētibus diētionibus, Βάρβαρον μὲν γὰρ ἐστὶν ὄνομα τὸ οὐκ ἑλληνικόν. De qua uoce nos ex Strabonis aucto-ritate lib. 14. Geog. et aliorum, multa in Annot. nostris in Proœm. Instit. Iuſtiniani. Sed redeo ad rem. Fossam prænotat & perſimilem Olympum quoq; dictam, facere & ſacrare etiam in templorum dedicatione conſueuerant, quod uerum eſſe demonſtrat Cato in Originum fragmētis, inquit de Iano, Ἀ Vagicano pro-
V 4 gressum

Hieronymi Magii

quens, Primus enim aras, & pomœria, & sacra docuit, & ad pudorem & sanctimoniam domorum, primus ualuas, & sacras clauas ex cogitauit, & inuēnit, & ab eo dictæ ianua. hætenus Pictor . De pomœrij productione Tacitus lib. 12. & Gellius lib. 13. cap. 14. Ex quibus à Ser. Tullio, à Sylla, Augusto, & D. Claudio eam factam discimus. Sanè productionis à Claudio factæ, testis præterea extat etiam num Romæ in peruetusto lapide inscriptio huiusmodi,

T. CLAVDIVS DRVSI F. CAISAR
AVG. GERMANICVS PONT.
MAX. TRIB. POT. VIII. IMP.
XVI. COS. IIII. CENSOR. PP.
AVCTIS POPVLI ROMANI FINI-
BVS POMOERIVM AMPLIAUIT
TERMINAUITQ.

De Pomœrio illud quoque, antequàm finem facio, non est prætermittendum, Theodosium Imperatorem, ut Zonaras memoria consignauit, cura Cyri Præfetti Prætorio Oriētis, Constantinopoleos protulisse pomœrium. Ad hæc ut testatur Pompeius lib. 16. fuisse olim Hethruscorum libros Rituales dictos, in quibus perscriptum esset, quo ritu conderentur urbes, aræ, ædes q; sacrarentur, qua sanctitate muri, quo iure portæ, quomodo tribus, curia,

custodiam fundamentorum, quod à priuatis operibus obtineri non oportebit. Hic locus est, qui à publico nullo iure poterit amoueri, &c. Liuius lib. I. Dec. I. & intra & extra urbes Pomærium agnoscit, deq; ipso ita commemorat, Pomærium, inquit, uerbi uim solam intuentes, post mænium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus, quondam Hethrusci, quâ murum ducturi erant, certis circâ terminis inauguratò consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mænibus continuarentur, quæ nunc uulgò etiam coniunguntur; et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu patèret soli. Hoc spacium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quòd post murum esset, quàm quòd murus post id, Pomærium Romani appellarunt: et in urbis incremento, semper quantum mænia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. Hæc Liuius. Gellius autem lib. 13. cap. 14. ex libris Augurum Populi Ro. Pomærium esse dicit, locum intra agrum effatum per totius urbis circuitum pone muros, regionibus certis determinatum, qui faciebat finem urbani auspicij. Antiquum autem Pomærium, quod à Romulo institutum fuit, Palatini montis radices terminum habuisse. Cui adstipulatur Tacitus in-

quiens,

Hieronymi Magii

vicinum, ut Nonius ait, quod sua etate mafurtium dicebatur, palliolum fœmineum breue. cuius formam appingit ipse met Varro lib. 4. de lingua Latina. Apuleius lib. 2. de Asino aureo, Umbrosum, inquit, demonstrat cubiculum, matronam flebilem, fusca ueste contectam. Hæc ille. Eadem quoque apud Græcos consuetudo fuisse uidetur, siquidem Iphigenia Euripidis, Clytemnestræ matri iniungit, ne suam ob mortem comam laniet, idemq; ut suis renunciaret sororibus, scilicet ne quando nigris uestibus membra contegant. Vnde & Homerus Iliad. lib. 24. Thetim, futuram filij necem desentem, uelo nigro tectam Iouem adire facit. Niger enim color mortalis est, ut inquit Hippocrates, in libro de Morbo sacro, siue quisquis ille fuit, qui librum eum conscripsit, nam Galenus Hippocratis esse negat. Theocritus in Epitaphio Adonidis, Venerem cyanea stola indutam, ad lugendum Adonidis mortem inuitat, sic enim ait,

» Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν. ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις.

» ὤλετο καλὸς Ἄδωνις. ἔταιάζουσιν ἔρωτες
 κς μικέτι πορφυρέοις ἐνὶ φάρεσι κύπρι κάθ' ἄδ' α.
 » ἔγρευο δειλαία κυανοςόλε, καὶ πλατάγησον
 εο σήθεα, καὶ λέγε πᾶσιν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις.

Idest.

viæ, centuriæ distribuendæ essent, exercitus constituerentur, ordinarentur, cæteraq; eiusmodi ab bellum, & pacem pertinentia.

Quibus olim uestibus in luctu mulieres uterentur: Blondi Foroliuiensis, Vrbinitis uiri non indocti, & aliorum sententia improbatur. CAP. XIII.

QVÆRIT in problematibus Plutarchus quid causæ esset, ut mulieres in luctu albis uestibus induerentur; & huius instituti non unam affert causam. Quo, ut arbitror, loco permoti, Blondus Foroliuiensis, lib. 2. Romæ triumphantis, Urbinas ille, qui libros de Inuentoribus rerû conscripsit, & alij non indocti uiri, nulla temporum distinctione adhibita, in luctu antiquas mulieres, albas semper uestes usurpasse existimant. Quibus Herodianus ad stipulari uidetur, qui in Romanorum Imperatorum apotheosi, funere magnifico, matronas albis indutas adfuisse commemorat. Sed errant hi, ut non una auctoritate ueterum demonstro. Varro de Vita patrum, ut apud Noniû legitur, de muliere, Amiculo, inquit, nigello, capillo dimisso sequeretur luctum. Idê, Vt dum supra terram essent, ricinis lugerent, funere ipso pullis pallis amictæ. Erat autem
ricinum

Hieronymi Magii

*discipulum fuisse: Plutarchum uerò Traiani
præceptorem extitisse. Traianus autem anno
à CHRISTO nato 100. Septimius uerò Se-
uerus 196. regnare cœpere.*

Quæ fuerit antiquorum de aquarum or-
tu sententia. Aristotelem contradi-
cendi studio immodico, Platonis di-
cta quædam luxare, atque in absurda
fensa detorquere. CAP. XV.

CONSTANS priscorum sententia habet,
aquarum omniū è penitissimis terræ par-
tibus originem esse, quas Abyssum Sacræ lite-
ræ, Socrates uerò Tartarum, appellant. Ad-
eas Mosem Geneseos cap. 8. Isaiam 44. Au-
torem Iob. 38. Dauidem Hymno 33. & 77.
Ezechielem 31. Esdram lib. 4. cap. 4. Abyss-
sum hâc uasto hiatu compræhensam aquarum
salsarum cumulatis æquoribus, dicit Clemens
Romanus lib. 8. Constitutionum Apo. cap. 16.
Eandem significauit Dauid Hymno 17. cum
inquit, Et apparuerunt fontes aquarum, &
reuelata sunt fundament orbis terrarum. ut
non immeritò idem infra Hymno 23. et 136.
terram fundatam super aquis dixerit, quan-
quàm & alijs sensibus peruia sunt utrobique
Prophetæ uerba. Ex loco autem profundissi-
mo

Idest.

- » Desleo Adonem, perijt pulcher Adonis
- » Perijt pulcher adonis. plorant insuper Amores.
- » Non amplius purpureis in uestimentis ò Venus dormi.
- » Excitare misera cyanea ueste induta, & plange
- » Pectora, & dic omnibus, Perijt pulcher Adonis.

Cianeus enim color & cæruleus puerorum adolescentiumq; funeribus conueniebat. Quã obrem & Virgilius lib. 3. Aeneid. in funere, quod Polydoro instaurabatur, tenias cæruleas aris apposuit,

» ——— stant manibus aræ

» Cæruleis mæstæ uittis, atraq; cupresso.
Nigrarum uestium mos apud mulieres Romanas mox obsoleuit, ut Plutarchi testimonio intelligitur. Demũ moribus deprauatis & uiros albas uestes in luctu usurpasse, suspicari possumus ex his Iulij Pauli uerbis lib. I. Sententiarum, sub titulo de Sepulchris, & lugendis. Qui luget, inquit, abstinere debet à conuiujs, ornamentis, et alba ueste. Hæc ille. Floruit uero Iulius Paulus lógo annorũ spacio post Plutarchum: nam ex Lampridio constat, eum Papiniani, L. Septimij Seueri affinis, ac amici,
præ-

Hieronymi Magii

capite prænotato demonstrat, esse subiectam. Sacræ Scripturæ auctorum sententiam secutus Socrates (Ethnicis enim hos fuisse antiquiores, cum alij, tum Iosephus contra Apionem, & Lactantius Firmianus lib. 4. Diuin. instit. cap. 5. demonstrant) apud Platonem in Phædone testatur, Tartarum circa centrū, aquarum fluuiorumque omnium esse principium. Cuius sententiam tanquàm præceptoris sui, elidit Aristoteles Meteorol. lib. 2. scribens in hanc sententiã, Quòd uerò apud Phædonem de fluminibus, & de mari scriptum reperitur, nullo certè modo esse potest: siquidem affirmatur aquas omnes subterraneis foraminibus inter se concurrere, & coire. Tartarum uerò fontem, originemque aquarum esse omnium, quæ eadem uis est aquarum medio circumfusarum, à quo omnes, quæ fluunt, quæq; stabiles sunt, emanent. Singulis autem riuus affluentem parere copiam, quòd primaria aqua, & origo semper agitetur. Nam stabili certaq; sede non utitur, sed perpetua circum terram uolubilitate fertur. Per motum etiam ultrò citroq; actum, riuus affluentem parere copiam, multisq; locis restagnare; cuiusmodi apud nos mare est: omnesque aquas in orbem initium repetere unde emanare cœperint, multasq; etiam esse, quæ per eundem ferantur locum.

mo ortum aquis sacras lueras tribuere, manifestius demonstrat Esdras, qui eas diligenter scrutatur. sic enim ait cap. ciato, Et dixit ad me, Si essem interrogans te dicens, Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ uenæ sunt in principio Abyssis, aut quantæ uenæ sunt super Firmamentum, aut qui sint exitus paradisi? diceres mihi fortassis, In Abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neq; in cælum unquam ascendi. Strabus Theologus eruditissimus, exponens uerba illa, Fiat firmamentum in medio aquarum. scriptum reliquit, partem aquarum, quæ firmamento subiecta sit, in matricem aquarum esse redactam, idest in cauata antrosaq; terræ loca, ubi est aquarum matrix, à qua ultro citroque commeent aquæ. Licet Basilius in Hexam. Homilia 4. iuxta Solomonis, Ecclesiastis cap. 1. sermonem, contendat, fontem omnis humoris circa terram esse mare, à quo profluant, et in quod relabantur aquæ, quæ & Lucretij lib. 6. sententia fuit. Sic enim ait Solomon, Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina, reuertuntur ut iterum fluant. Hæc enim uerba ita accipienda uidentur ut reliquis sacræ Scripturæ locis non aduersentur, scilicet, ut ille senserit, Abyssum, unde aquæ ortum habeant, mari, ut Clemens

Hieronymi Magii

obijcit Aristoteles, quandoquidem de fluuijs ait, Alij per contrariam partem elabuntur, quàm elapsi fuerint, alij uerò per partem eandem, &c. Sed licèt hoc dicat, Tartarumq; affirmet eleuari, sursumq; ac deorsum redundare, eaq; ad loca, ad quæ redundat, aquas elidere, unde per terræ cuniculos in lucem prodeant; tamen non ideò sensit Tartari motum ultra medium rectà progredi (probè enim nouit diuinus Philosophus, terram esse sphericam, et quaq; uersum aquis scatère) sed sursum, & deorsum dicit, ratione loci, in quo consistebat. Intelligit autem Tartarum in orbem cieri ac ferri, quod ipsum & Aristoteles fatetur inquiring, Nam stabili certa q; sede non utitur, sed perpetua circum terram uolubilitate fertur, &c. Nam alioquè sibi ipsi non constaret Plato, si Tartarum rectà ultra medium ferri diceret, cum sic loquatur de fluuijs, Licet autem utrinq; ad medium usque defluere; ultra uerò nequaquam. ulterior enim prolapsus, utrinque ascensus foret, &c. Quid apertius dici potuit? Nun quidquam ἀδιώτων protulit Plato? Nun flumina sursum procurrere, aut Tartarum, medium pertransire uult? Inquit igitur aquarum principium esse Tartarum, & aquas per terræ superficiem aliquandiu prolapsas, per cuniculos ad locum unde effluxe-

cum. Alias item haberi, quæ per aduersum quasi alueum dimanent, ut superiore de loco influant, si ex inferiore affluerint: & usque ad medium delapsam hubertatem exæstuarè: atque posthac aquis omnibus concedi ad editiora perlabi, &c. Hæc ex Platone Aristoteles. Postea hæc improbat pluribus rationibus; quarum prima & secunda calumniam olent. Inquit nanque, secundum rationem Platoniam usu uenire, ut amnes non ad eundem semper locum fluant; & futurum, quia ad medium, hoc est centrum, labuntur, à quo mox effluunt, ut quocunque tenderit fluctuans Tartarus, eò & illi per cuniculos meatusq; impellantur, & nihil magis subtus quam desuper elabantur, unde quiddam ex eorum, quæ fieri non possunt, colligatur, scilicet quod adagio usurpatur, Fontes in supremâ fluminum partem profundi. Secundo loco oppugnat Aristoteles Socratis Platonisq; sententiã, inquit, Quin etiam aqua, quæ tum oritur, tum iterum tollitur, unde prodierit? Illorum enim ratio hoc totum necessariò frangit, & debilitat: cum præsertim cõtendant, eandem incolumen semper circumlabi, quòd quantum effluat, tantundem ad originem principemque locum affluat. Quod attinet ad prius obiectum, respondeo Platonem non negare quæ sub principium

Hieronymi Magii

tutum non cadunt, multa, ingenij acumine
peruadebat. De reliquis Aristotelis contra
Platonem argumentis, hîc loqui non est con-
siliium, cùm hanc de Tartaro opinionem mul-
tæ circumueniant difficultates, & susceptæ
prouinciæ ratio longas non ferat dissertatio-
nes. Aquarum penitus intra terram, con-
ditam esse originem, Aegyptij quoque opi-
nabantur, è quorum monumentis hæc Vir-
giliij Georg. libro 4. expressa esse, Seruius cen-
suit,

- » Iamq; domum mirans genitricis, & humi
da regna,
- » Speluncisque lacus clausos, lucosque so-
nantes
- » Ibat, & ingenti motu stupefactus aqua-
rum,
- » Omnia sub magna labentia flumina terra
- » Spectabat diuersa locis, Phasimque Ly-
cumque.

Seruius, Nili, inquit, pueri, de sacris paren-
tibus nati, à sacerdotibus Nymphis dabantur,
qui cum adoleuissent, redditi, narrabant, lu-
cos esse sub terris, & immensam aquam om-
nia continentem, ex qua cuncta procreantur,
&c. De eadem fluiorum origine & in 6.
Aeneid. Plutarchus in Paulo Aemylio ijs,
quæ ab Aristotele de fluiorum ortu tradun-
tur,

fluxerant relabi, ad mediumq; deferri, à Tartaro nerò circumfluyente rapi, cæteris admisce-
 ri aquis, & mox circum altas per meatus su-
 peris restitui. Quod ad posterius obiectum per-
 tinet, Non'ne & hæc altera, & longè maxi-
 ma calumnia est? nam quando unquam dixit
 Plato æqualem aquæ adseruari portionem,
 dum aquæ ad Tartarum remeant? Tantum ue-
 rò abest ut id senserit, ut contrarium potius te-
 status uideatur. dum enim in Timæo de ele-
 mentorum mistione ageret, hæc protulit, Prin-
 cipio id corpus, quod modò aquam nominau-
 imus, quando in solidam concrescit materiam,
 lapis & terra fieri uidetur: quando uerò lique-
 scit, & diffluit, spiritus atq; aër. Item aër ex-
 ustus, ignis efficitur: ignis extinctus, et corpus
 lentior factus aërem creat. Rursus crassior fa-
 ctus aër, in nebulas, nubesq; concrescit. His
 etiam magis compressis, pluuia destluunt. Ex
 aqua rursus terra, lapidesq; gignuntur. Ha-
 tetenus Plato. Qui ortum et mistionem elemen-
 torum quo ad partes docet, quo pacto, aqua-
 rum, quæ per terram labuntur æqualem sem-
 per asseruari portionem cõsueuisse, dici potest?
 Aquas enim tam labentes quàm stagnantes
 euaporare, & modò imminui squaloribus,
 modò pluuijs augeri nouerat Plato, qui hæc
 sensu deprehendebat oculorum, et quæ sub ob-



HIERONYMI

MAGII

MISCELLANEORVM,
SEV VARIARVM
LECTIONVM,

LIBER QVARTVS.

Iuris quæ sit uera etymologia demon-
stratur, & quæ ab Vlpiano allata est,
abiicitur.

CAP. I.



VM adhuc adolescens elo-
quentiæ candidatus, in
scholis essem, præcepto-
rem habebã Petrum An-
tonium Ghetium Lateri-
nensem, hominem mihi
propter doctrinam mini-
mè uulgarem, eximiamq; probitatem longè
charissimum. Is cùm aliquando iurispruden-
tiæ non pœnitendam operam nauasset, mihi
alijsq; complusculis commilitonibus, Iustinia-
ni Institutiones festis diebus interpretari cœ-
perat,

Miscellaneorum lib. III. 164
tur, aduersari uidetur, dum aquarum uenas,
animalium uenis comparat, testimoniumque
adfert fluminum, quæ altius ætis metallorum
gratia cuniculis, sub terra reperiuntur, non
paulatim collecta, sed pleno gurgite fluentia.
Seneca quoque non pœnitendus inter Latinos
Philosophus, lib. 6. Quæstionum naturalium,
amniuum principium intra terras esse ex colle-
ctione aquarum maxima, existimat.

Miscellaneorum libri tertii

F I N I S.

Hieronymi Magii

bro de Doctrina promiscua cap. 28. audien-
dus uidetur, qui ius à iuuando dictum testa-
tur: sic enim loquitur, Ius, Iurisconsulti, à iu-
stitia dici autumant: quod mihi risum mouet,
nam quod Grammatici est, lex usurpat. Ius e-
nim, si tantum iustitiæ opus indicaret, hæc de-
riuationo posset tolerari; sed cum ius tam ad pul-
mentaria, quam ad leges referatur, unde Iu-
uenalis,

» ——— & eodem iure natantes
» Mergere ficedulas didicit nebulone parète.
et Cornelius Celsus iurulentam carnem nomi-
net: necesse est hoc uocabulum ab alio, quam
à iustitia deriuari. Et licet quædam sint, de
quibus ratio reddi non potest; tamen hoc ha-
bet deriuationis certam figuram; à iuuando
euim dicitur. Nam sicut corpus nostrum iure
iuuatur, & nutritur, ita & ciuitates, quæ ut
corpus coaluerunt, legibus tanquam iure quo-
dam aluntur, & iuuantur: ita ut ius, corpo-
ris, cum de pulmentarijs, & ciuitatum legi-
bus dicitur, nutrimentum, iuumentumq; es-
se noscatur. Hactenus Martius. Non est ergo
ius dictum à Iustitia, quin è diuerso iustitia à
iure potius, uel à iusto (Chrysippus enim, ut
Plutarchus in lib. de Virtute morum retulit,
à iusto iustitiam, ut à mansueto mansuetudi-
nem, &c. esse dixit) est appellata. produetio
enim

perat, iamq; eò progressus erat, ut de iustitia, & iure non morosa, ut fit à Iureconsultis nostris perplexaq; dissertatione, sed leui, & ut hominem humanitatis addictum studijs decuit, florida ageret. Iuris autem ueriloquium cum afferret, Vlpiani Iurisconsulti sententiam, quæ legitur in. l. 1. ff. de Iustitia & iure, calculo suo approbabat. Vlpiani autem uerba hæc sunt, Iuri operam daturum, prius noscere oportet unde nomen iuris descendat. Est autem ius à iustitia appellatum. nam, ut eleganter Celsus diffinit, ius est ars boni & æqui, cuius meritò quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam nanque colimus, boni & æqui notitiam profiteremur. Hactenus Vlpianus. Ego quia addiscentem credere oportet, et Vlpianum maximè suspicerem, ac postea omnes iuris interpretes in Vlpiani discedere sententiam uiderem, eam semper retinui etymologiam. Nunc autem rem permolens, facile à sententia Vlpiani recedo, & ius non à iustitia, quæ uox non simplicior sit, sed denominatiua, sed à iubendo, dictum existimo. Ius enim siue pro iure naturæ, à quo tanquàm fonte, iura alia promanarunt, accipiamus, siue pro iurisprudencia, & arte, iubet ac præcipit. Ut meritò antiqui iura, quod Pompeius lib. 9. testatur, iussa appellauerint. Quanquàm & Galeotus Martius in li
bro

Hieronymi Magii

cioe deductio demonstratur. Ut non temere posthac & Vlpiano, & cæteris Iureconsultis in eiusmodi etymologijs credendum sit, cum aliud agentes has attulisse uideantur, ac passim cæspitent. Possem multa huc afferre, quæ de iuris & iustitiæ etymo literis prodiderunt Alciatus lib. 1. Parerg. cap. 29. & 30. Franciscus Connanus Commentariorum iuris ciuilis lib. 1. cap. 2. & Antonius Vacca in Com. ad. l. 1. ff. de Iustitia, & iure. sed cum illa eiusmodi sint, quæ Vlpianum tueri, & nos de prædicta deijcere sententia nequeant, eorum commemoratione studio breuitatis, supersedere uolui. Illud neutiquam fuerit silentio inuoluendum, censuisse Isidorum libro 5. Etymologiarum (hunc non sine errore sequuntur Iuris Pontificij auctores Distinctione 1. cap. Ius.) dictum esse ius, quia iustum sit, & iustitiam, quod in ea ius stet, quo nihil potest esse insalsius.

enim illa, titia, uocem esse ab alia, nempe à iure aut iusto, inflexam ac deductam, arguit. Eadem ratione Cicero in Tusculanis, de Natura Deorum, & in Lælio, amicitiam ab amando, seu amore, dictam censet: & in Catone maiore, occasionem à uerbo, occo: & similiter in lib. de Natura Deorum, uenustatem à Venere. Huic, nobisque adstipulatur Grammaticorum princeps Priscianus, qui lib. 4. sub finem loquitur in hæc uerba, In STVS, à nominibus, uel à uerbis nascuntur, extremam partem conuertentibus in STVS, e, uel, u, antecedentibus, ut Honor Honestus, Mæror Mæstus, Modus Modestus, Scelus Scelestus, Robur, Robustus, Ango Angustus, Augur Augustus. Præterea Venus Venustus, Ius Iustus, &c. Iustitia igitur à iure dicta est, sicut amicitia ab amore aut amando, occasio ab occando, & relata cætera; & ut etiam à malo malitia, à nequam nequitia, à commento commentitium, à milite militia, & eiusmodi complura. Vt maximè fallatur idem Vlpianus in l. 1. §. Miles. ff. de Militari testamento, existimans militem dictum esse à militia, idest duritia, cum potius à numero millenario milites sint dicti, ut Varro scriptum reliquit libro 4. de Lingua Latina, & productio illa, tia, refragetur, qua denominatio & ab alia simpliciore

Hieronymi Magii

na, ex altero latere prorumpentia & aliorum diuertentia, siccos destituunt, Bartholus hanc existimat ineundam esse rationem, ut ab agrorum, qui ripis adiacent, modo, hoc est mensura, et longitudine (ita dicam) frontali, binæ lineæ sint hoc pacto instruendæ, ut super ea, si recta existat, ita decumbant, ut hinc inde angulos inuicem æquales & rectos, qui catheti nuncupantur, efforment; & in rem diuidendam recta procurrant. Ac tunc quæ lineis hinc terræ portio comprehensa fuerit, domino fundi, à quo lineæ protraherantur, debeat assignari. Si uerò non recta fundi sit frons, sed sinuosa, ac semicirculum introrsum tendentem efficiat, ouali, ut uocant, figura, alijs'ue modis huius semicirculi centrum est perquirendum. Quo ad inuento, quicquid lineis à semicirculo ductis, & in centro concurrentibus conumq; referentibus, intercipietur, fundi illius sinuosi domino accedet. Varias uerò pro uario riparum lineari termino, insularumq; alueorum, & alluionum natura, figuras, ut certas regiones constituat, deliniat, quæ nihil faciunt ad rem. Sed priora sunt prosequenda. Verum ante omnia, quibus fundamētis suam Bartholus superstruxerit sententiam, dispiciamus. Et nulla alia esse constat quam quæ subiiciuntur. Inquit Iureconsultus in .l. Adeo. ff. de

Bartholum iuris interpretum coryphæum, in opusculis tribus, quæ sunt Tyberias, de Insula, & de Alueo fluminis, falsâ, & legibus rationiq; minimè consentanea scripsisse. Flumina cur taurinis prædita uultibus, & cornuta fingerentur. Festus reprehensus.

QUÆMADMODVM *probi parentes nescio quo cæco uitio malos aliquando, ac degeneres filios gignunt, ut de Cicerone, Chabria, multisq; alijs legimus; ita nonnunquam nobilissimi scriptores, leues quasdam, ac indignas scriptiones, tanquàm ab aliud agentibus confectas, emittunt. Quod Bartholo, quem inter iuris interpretes maximè suspicimus, usque uenit, dum ipsi Tyberias, de Insula, & Alueo fluminis libelli exciderunt. Nisi si (quod aliqui suspicantur) hi non ex Bartholi, sed alterius Iureconsulti officina prodierunt, Bartholoque, ut uendibiliores essent (quæ bibliopolarum quorundam impostura esse solet) adscripti sunt. Nos uulgatas editiones sequuti, tanquàm Bartholi factus legimus, & modò improbamus.*

Diuisionis alluionum, insularum in fluminibus enascentium, & alueorum, quos flumi-

Hieronymi Magii

*mè sinuosis , & de prædijs non attritis , sed in
tegris frontibus ripas pertingentibus . Quan-
quàm ea est fluiorum natura ut angues la-
psu imitentur , obliquasque reddant ripas .*

*Quamobrem egregiè , ut planè omnia , Ovi-
dius lib. 1. Metamor. inquit ,*

» *Fluminaq; obliquis cinxit decliua ripis .
Vnde qui præesse fluminibus existimati sunt
dij , cornuti fingebatur , propter riparum alue-
orumq; curuitates , flexusq; ad cornuum tau-
rorum boumque similitudinem . Eamque ob
rem Eridano Virgilius lib. 4. Georgicorum
cornua , & taurinum uultum tribuit ,*

» *Et gemina auratus taurino cornua uultu
» Eridanus , quo non alius per pinguia culta
» In mare purpureum uiolentior influit un-
dis .*

*Ad què locù Probus inquit , Padus] Et ideò
taurino uultu , quòd eius sonus ut tauri mugi-
tus , et ripæ flexuosæ sunt ut cornu . Sic ille . Vn-
de figmentum de Acheloi cornu ab Hercule
auulso . Et Horatius lib. 2. Carminum in Ode
ad Augustum , Aufidum fluium tauriformem
uocat , inquit ,*

» *Sic tauriformis uoluitur Aufidus ,
» Qui regna Dauni præfluit Appuli
» Cum sæuit .*

*Vt maximè hallucinatus sit Festus , qui lib. 18
scriptum*

de Acquirendo rerum dominio. loquens de insula alluionum adaggeratione in medio flumine enata, Communis fit eorum, qui ab utraque parte fluminis, prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cuiusque prædij, quæ latitudo prope ripam sit, etc. Quod de Alueo à flumine derelicto etiam dicitur, scilicet ut inter ripæ uicinos, pro latitudinibus, quas agrorum frontes sortitæ sunt, sit diuidendus. Eadem quoque leguntur Institutionibus Iustiniæ, sub rubrica, de Rerum diuis. §. Insula, & sequenti. Præterea Iurisconsultus. ff. sub eodem titulo de Acquirendo rerum dominio. l. Inter eos. loquitur in hæc uerba, Inter eos, qui secundum unam ripam prædia habent, insula in flumine nata, nõ pro indiuiso cõmunis fit, sed regionibus quoq; diuisis. Quantum enim ante cuiusque eorum iuxta ripam est, tantum ueluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in ea habebit certis regionibus. Hactenus Iurisconsultus. Modò si quis relata uerba diligentius perpendat, atque introspiciat, profectò Bartholi infirma esse fundamenta intelliget; immo ipsum absque legis rationisq; adminiculis, quod neutiquam est faciendum, esse loquutum. Quandoquidem Iurisprudentes, ut in confesso est, loquuntur de fluuiorum ripis minime

Hieronymi Magii

etiam quarum meminit Paulus, habens rationem, laberetur. Quas tamen culturis adiacentium agrorum pertingi consueuisse, non putauerim, cum in publicos priuatosque usus iter agentium, piscatorum, uicinarumque inculti aliquid, ut etiam hodie fit, relinqueretur soli. Quo fit ut quanuis sinuosas esse ripas intellexerint Iurisperdentes, ac Nomothetæ, non tamen tales prædiorum esse frontes censuerint, aut si à consimili forma non abesse putauerunt, tamen, rectis tensis lineis in frontibus illis, ad rigorem esse reducendas senserint. Nam alioquæ lineæ ab his frontibus in insulas locaque diuidenda, in directum, ut Paulus uult, non transducerentur, sed sæpius in obliquum, ut à Bartholo non sine errore passim fit. Si enim ripæ agrorumque frontes semicirculum, aut semicirculo figurâ minorem, maiorem uel imitentur (ut de angulosis nihil dicamus) non transducuntur Bartholo lineæ, sed ad sinus centrum protrahuntur, eoque loci terminum accipiunt, ut ex decima octaua, & decima nona ab ipso in Tyberide delineatis figuris, & alijs eorum opusculorum locis facile cognoscitur. Quæ res longè est absurdissima, & rationi naturali, ipsique legi minimè consentanea. Cui nanque decessio obfuit, accessio debet prodesse, & lineas directas ac parallelas in insulam

scriptum reliquit, taurorum specie simulachra fluminum formari, quòd sint flumina ut tauri atrocía. Aut si Iureconsultos dicimus intelligere ripas pro earum natura esse exesas, parumq; ad rigorem accedere, non tamen censendum est eos existimasse eadem forma prædiorum esse frontes: siquidem ripa à prædio separatur, quod ex his Pauli uerbis. l. penultima. ff. de Fluminibus, cognoscitur, Ripa, inquit, ea putatur esse, quæ plenissimum flumen continet. Secundum ripas fluminum, loca non omnia publica sunt, cum ripæ cedant, ex quo primùm à plano uergere incipiunt, usq; ad aquam. Hæc Paulus. Vlpianus quoque eodem titulo. l. prima. §. Ripa, de ripa sic inquit, Ripa autem eius ita rectè definitur, id, quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens, &c. Adde, quòd multis locis secus ripas fiebant aggeres ad coërcendum flumen, cum imbris immodicis intumisset, & uicæ etiam relinquebantur in publicos & priuatos usus, quibus à ripa discriminantur agri. Et si non me latet quibusdam locis flumina præruptis compefci ripis, quas non faciliè illa licèt imbris hybernis adaucta, supergrediantur (de quibus ripis minimè locutus est Paulus) ut passim propè Tyberim uidemus. Quod fuit in causa ut Bartholus huiusmodi riparum, non

Hieronymi Magii

Præterea cum ripæ frontesq; agrorum ripis
adiacentium, nunquam ad circinum sinuosæ
sint, quid causæ est, ut magis ad circinum ea-
rum flexus, aut ad angulum alicubi, unde quæ
demonstrata sunt absurda sequantur, quàm
ad rigorem rectamq; lineam, ut naturalis ra-
tio, & lex iubent, redigere uelit? Huc accedat
postremò, quòd si ea diuisionis ratio & uia,
quam Bartholus tam artificiosè, ut multis ui-
detur, edocuit, tanquàm ex legis mente ineun-
da esset, geometricaq; schemata, linearuq; du-
ctus res tã uarios requireret, Iulius Frótinus,
maximus Geometra, quiq; sub Diuo Nerua
Imperatore, mensurarum rationem (ut ipse
met in præfatione operis sui ad Celsum Pene-
stum demonstrat) ac opera exercebat, in libel-
lo de Iure, & controuersijs limitum, quæ ad
hanc rem pertinebant, non omnino omisisset;
præsertim cum de alluione dicat fieri contro-
uersiam, & de Alueo fluminis ueteri, ac insu-
la fluuiali aliquid scripserit. Quin Aggenus
Vrbicus in Commentario in Iulij Frontini li-
brum, cum agat pluribus de Alluione, eorũ,
quæ Bartholus comminiscitur, saltem particu-
lam (nam ad huiusmodi res cuius etiam pau-
lulum geometriæ initiato facilis datur adi-
tus) attigisset, aut ad hæc dirimendas con-
trouersias, Agrimensoris diligētiam accersen-
dam

lam diuidendam lex duci iubet : nam inquit Iurisconsultus, Quantum enim ante cuiusque eorum iuxta ripam est, tantum ueluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in ea habebit certis regionibus. Habetur autem ratio latitudinis, quæ in fronte iuxta ripam sit, non quæ in agro, quia flumen quod abstulerat, reddidisse uidetur, ac ne, si pro modo latitudinis fortasse in agro maioris aut minoris, diuisio fiat, uicinis maior, aut minor quam par sit, portio accedat. Adhæc, si ad Bartholi præscriptum diuisio fiat, illud usu ueniet, ut eam aluei, alluisionis, aut insulæ portionē, quæ è regione, & ante fundi mei frontem fuerit, quamque mihi Iureconsultus in prænotata. l. Inter eos. adiudicat, non omnino consequar. Quod enim extra conum linearum, à sinu in rem dissipandam ductarum, reliquum erit (siquidem conum quendam efformant lineæ à sinu, et circuli portione in centrum productæ) licet ante fundum meum existat, exclusum, uicinis hinc inde accedet: aut si uicinarum agrorum frontes, mei agri fronti persimiles erunt, unde ex obliquis lineis coni alij fiant, nulli adscribetur. Adde quòd is aliquando erit frontis flexus, ut si super eo ad circinum designato lineæ, quæ in centrum concurrant, instruantur, nihil insulæ quanuis uicinæ intercipiatur.

Hieronymi Magii

Quas res emendis uendendisq; pecore,
& iumentis stipularentur antiqui, &
quas uerborum formulas usurparēt.
Varronis uerba quædam declarata.

CAP. III.

ANIMALIUM quoque uenditor cauere
debet, ea sana præstari. Et qui iumenta
uendit, solet ita promittere, ESSE, BIBE-
RE UT OPORTET. Sunt hæc Domitij Vl-
piani uerba, quæ leguntur in .l. Ex empto. §.
Redhibitionem. ff. De Actionibus empti. Quæ
cum olim obseruasset Nicolaus Antonius Gra-
uatius, doctissimus Iurisconsultus, quo cum Ve-
netijs aliquandiu coniunctissimè, atque aman-
tissimè uixi, ex me percontabatur, an ego, qui
non sine rei familiaris detrimento scriptores
multos excussissem, præter hanc loquendi for-
mulam, qua uenditor dum emptori caueret,
uteretur, in huiusmodi contractibus alia uer-
ba consueuisse usurpari animaduertissem.
Quem ego monui, ut Varronem lib. 2. Rei ru-
sticæ cap. 2. consulere, apud quem de re quæ-
dam legerentur, quæ cum à me in hypomne-
matis essent adnotata, memoriæ tunc minimè
adessent. Varronis autem uerba, ad rem per-
tinentia sunt infra scripta, quæ in lectoris gra-
tiam referre libuit, In emptionibus iure uti-
mur

dam esse cēseret, quòd aliquando in rebus alijs Frontini sententiam sequutus, faciendum esse testatur. Hæc eadem planè, quæ anno à CHRISTO nato 1552, literis consignaueram editurus, in mentem etiam uenerunt eruditissimo, & multis nominibus clarissimo uiro Ioanni Buteoni Delphinatico, qui libro De Fluuiaticis insulis secundum ius ciuile diuidendis, à Bertello 1554. primùm Lugduni edito, in quo diligentissimè hac de re agit, anteuertit. Mea autem hæc Miscellanea, in quibus hoc idem caput contineretur, legerunt Bononiæ anno 1553. quos aduoco testes omni exceptione maiores, præter Illustrissimum Principem Iulium Vitellium, Sebastianus Regulus, qui adhuc in eius urbis Gymnasio leniores literas docet, Albertus Floralius, Franciscus Spatarius, & Petrus Baccius, Iurisconsulti optimi, magnaque Arretinorum ornamenta: ut Pompeium Nutum, Ioannemque Nicolaum Iustum eruditissimos iuuenes mittam, quorum hortatu hæc scripsi, qui que hos libros sæpius ante quàm Bononiam profiscerer, uersarunt.

Hieronymi Magii

ptionibus uenditionibusque asinorum, equorum, & hinnulorum. Verum ne omnino illibata uerba hæc relinquamus, sciant semidocti, quantum adtinet ad uerba illa, In emptionibus iure utimur eo, quod lex præscripsit.] legem accipi non pro ciuili lege, sed pro mancipio, aut mancipij lege, quæ dici in uenditionibus consueuerat. Horatius lib. 2. Epistolarum in Epistola ad Iulium Florum,

» *Prudens emisti uitiosum, dicta tibi est lex.*
» *Insequeris tamen, & lite moraris iniqua.*
Cicero lib. 1. de Oratore, Cùm enim Marius Graditanus ædes Auratæ uendidisset, neq; seruire quandam earum ædium partem, in mancipij lege dixisset, defendebamus, quicquid fuisset incommodi in mancipio, id si uenditor scisset, &c. Idem lib. 3. de Officijs, de earundem ædium uenditione, Hæ Sergio seruibant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat, &c.
Sequitur mox in contextu Varronis, Et si qui uetustate dentes absunt, item binæ pro singulis ut procedant.] Adnotandum est uerbum Procedant, ualere, In utilitatem cedant. Idem nanq; quod prodesse, significare uidetur. Cato in lib. De Re rustica cap. 148. Quot, inquit, dies per dominum mora fuerit, quominus uinum degustet, totidem dies emptori procedet, &c. P. Scipio in Oratione, quam Censor de moribus

mur eo, quod lex præscripsit. In ea enim alij plura, alij pauciora excipiunt. Quidam enim precio factò, in singulas oves, ut agni chordi duo pro una oве adnumerentur, & si qui uetustate dentes absunt, item binæ pro singulis ut procedant. De reliquo antiqua ferè formula utuntur cum emptor dixit, TANTI SUNT MII EMPTAE. & ille respondet, SUNT. & prompsit nummos. Emptor stipulatur prisca formula sic, ILLAS'QUE OVES, QVA de re agitur, sanas rectè esse, uti pecus ouillum, quod rectè sanum est: extra luscam, surdam, minam, idest uentre glabro: neque de pecore morbofo: etiam habereq; rectè licere? HAEC SIC RECTE' FIERI SPONDES? Nec cum id factum est, tamen grex dominum mutauit, nisi si est adnumeratum. Et eodem libro cap. 5. Eos cum emimus domitos sic stipulamur, ILLOSCE BOVES SANOS ESSE, NOXIS'Q. PRAESTARI? Cum emimus indomitos sic, ILLOSCE IUVENCOS SANOS RECTE', DE'Q. SANO PECORE ESSE, NOXIS'Q. PRAESTARI SPONDES'NE? Paulò uerbosius hoc qui Manilij actiones sequuntur. Lanij, qui ad cultrum boues emunt, & qui ad altaria, hostiae sanitatem non solent stipulari. Idem ab eodem Varrone cap. 6. 7. et 8. statuitur in em-

Hieronymi Magii

Locus in eiusdem Varronis uerbis perplexus declaratur, atq; agitur de animalibus sacrificio ineptis. Cur homines corpore uitiati, à sacerdotio arceantur. CAP. IIII.

NON parum mihi negocij faceffunt uerba Nilla Varronis suprâ relata, Lanij, qui ad cultrum boues emunt, & qui ad altaria, hostiæ sanitatem non solent stipulari. Satis enim constat, animalium, quæ sana non sint, carnes corporibus humanis morbos perniciemq; conciliare; & Dijs, mutilis & morbosis animalibus, fieri sacra non consueuisse. Vnde illud apud Aristophanem,

» Ἀλλ' οὐδὲ θύσιμός ἐστιν, αὐτὴν κέρκον οὐκ ἔχων.

Idest,

» Sed neque sacrificio conuenit, ipsam caudam non habens.

Sanum enim, & perfectum esse debet quod Dijs offertur. Suidas, Κόλκρον τὰ μὴ ἔχοντα κέρκον ἢ τὰ κολοβὴν ἔχοντα οὐράν. ἄπερ ἐν ταῖς ἱερουργίαις ἐθύεται. καθόλου γὰρ εἰ ἢ τέλειον καὶ ὑγιὲς οὐκ ἐθύετο τοῖς θεοῖς. Idest, Colura, Non habentia caudam, uel habentia mutilam caudam, quæ in sacrificijs non mactantur. Vniuersaliter. n. nisi esset perfectum & sa-

num

moribus ad populum habuit, ita apud Gellium Noct. Attic. lib. 5. cap. 19. inquit, In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre. Filium adoptiuum tam procedere, quàm si senatum habeat. Atque ita interpretari uideatur idem Gellius sic de eiusdem Seipionis relictis uerbis loquens, Id etiam eum culpauisse, quòd filius adoptiuus, patri adoptatori, inter præmia patrum prodesset. Ad ea uerò uerba, Nec tùm id factum est, tamen grex dominum mutauit, nisi si est adnumeratum.] spectant quæ ex Cajo Iuriconsulto leguntur in. l. Quod sæpe. §. Si pro numero. ff. De Cõtrahenda empt, sunt autem subiecta, Si, inquit, pro numero corporum precium fuerit statutum, Sabinus, & Cassius tũc perfici emptionem existimant, cùm adnumerata, admessa, appensa uer sint: quia uenditio quasi sub hac conditione uideatur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quas uer admensus eris, aut in singulas libras, quas appenderis, aut in singula corpora, quæ adnumeraueris. Ergo & si grex uenierit, siquidem uniuersaliter uno precio, perfecta uidetur, postquàm de precio conuenierit, Si uerò in singula corpora certo precio, eadem erunt, quæ proximè tractauimus. Hæc Caius.

Hieronymi Magii

boues mutilos sacrificant, Leotrepheide, ac Thumantide graciliores. Hæc ille, rem indignam, & sacrificandi legi minimè consentaneâ demonstrare uolens. Non solum apud Ethnicos, sed etiam apud Hebræos hostiarum delectus habebatur, & mutila, egrotâ, maculisq; deturpata offerre non licebat, ut Leuitici cap. 9. & 22. Deuteronomij 15. & 17. & Malachiæ 1. apertè cognoscitur. Cum igitur animalia, quæ non erant sana, item mutila, & indecora, sacrificijs essent inepta, & morbosa perniciem comedentibus afferant, quid causæ est ut qui hostias ad altaria, & qui ad cultrum boues emebant, sanitatè non stipularentur? Quântû spectat ad hostias, stipulationem huiusmodi adhiberi non consueuisse arbitror, quia maximus haberi consueuisset delectus hostiarum, atq; hæc prius diligentissimè probari solerent, quod paululum indicat Plinius uerbis suprâ relatis dum inquit, Quamobrem uictimarum probatio in uitulo ut articulum suffraginis contingat, breuiore non litant. Hoc quoq; notatum, uitulo ad aras humeris hominis allato, non ferè litare. sicut nec claudicante, etc. Vnde hostiæ eximiæ dictæ. Macrobius Saturn. lib. 3. Cap. 5. Eximij quoq; inquit, in sacrificijs uocabulum, non Poëticum ἐπίθετον, sed sacerdotale nomen est, Veratius enim

num, non sacrificabatur Deis. Hæc ille.

Quo pertinent illa Aristotelis apud Athenæum lib. 15. Dipnos. Cap. 5. Aristoteles (inquit ex interprete Athenæus) in Symposio narrat, quòd nihil mutilatum Deis offerre, sed omnia perfectà ac integra donare consueuimus. Plenum uerò, & perfectum esse uidetur corona. Hæc ille. Iulius Pollux lib. 1. Cap. 1. de adductis uictimis; ostendit deligi oportere uictimas sanas, et reëtis membris, ac nõ mutilis prædita. Plinius quoque Natur. hist. lib. 8. Cap. 45. demonstrat, in sacrificijs non quoduis animal citra delectum offerri altaribus, fuisse in more positum. sic nanque ait de bobus, Huic tantum animali omnium, quibus procerior cauda, non statim nato consummat æ; ut cæteris mensuræ. Crescit uni donec ad uestigia ima perueniat. Quamobrem uictimarum probatio in uitulo, ut articulum suffraginis contingat. breuiore non litant. Hoc quoque notatum, uitulo ad aras humeris hominis allato non ferè litare, sicut nec claudicante, etc. Plutarchus Problemate 72. uictimis non sanis. sacrum fieri non consueuisse, nec auibus ulceratis auspicari solitum dicit. Hermippus uerba faciens ad Dionysium Athenæi Dipn. lib. 12. Cap. 29. ad rem quod attinet in hanc loquitur sententiam, Nunc pauperes iam tibi boues

Hieronymi Magii

solertiam tantam esse quotidie uidemus, ut etiã morbos intestinos, et penitioribus pecoris partibus insidentes pluribus argumentis ex lōga obseruatione cognoscant. Quanquã hac de re amplius quærendum esse uidetur.

Verũ nedũ hostias Dijs offerẽdas, sed etiã sacerdotes sanos, non mutilos, minimẽq; deformes esse, antiqui uoluerunt. Nam, ut missa faciam, quæ leguntur *Leuitici Cap. 21. multisq; locis in iure nostro Pontificio, Seneca lib. 4. Declam. lege fuisse cautum demonstrat, ut sacerdos corpore uitiato nec integro, à sacris remoueretur; quòd tanquã res mali ominis homo huiusmodi esset deuitandus. Est etiam ab Aulo Gellio relatum lib. 1. Cap. 12. fas non fuisse capi uirginem Vestalem, quæ lingua debili, sensu' ue aurium diminuta, alia' ue quauis corporis labe insignita esset. Plutarchus Problemate 72. testatur, Augures si ulcus habuissent, augurandi causa sedere prohibitos. Cuius rei causam ille ita explicat, An & hoc signum est non oportere qui * morsum aliquem, aut ulcus, aut perturbationem in animo haberent, res diuinas tractare, sed tum Deorum mentem hominibus prodere, cum et liquido, & integro animo essent? An illud rationem habet, si neque uictimam sanandi ulceris causa quisquam adhiberet, nec auibus ulceratis*

enim in Pontificalibus quæstionibus docet, eximias dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximantur è grege; uel quòd eximia specie, quasi effere dæ numinibus eligantur. Hinc ait,

» Quatuor eximios præstati corpore tauros. Vbi quòd eximuntur, Eximios. quòd eliguntur, Præstanti corpore monstravit. Hactenus Macrobius. Estq; existimandum libris sacerdotilibus, iureq; pontificio cautum fuisse, quales hostias eligere oporteret, & quas reijcere. Liius nãq; lib. 5. Decad. 3. librorú, in quibus apud Romanos sacrificandi ars conscripta esset, facit mentionem. Est etiam à Cælio Rhodigino relatum *Lectionum antiquarum* lib. 7. Cap. 1. Græci moris fuisse, tauros quidem explorare farina apposita, capras uerò ciceribus. nam si gustare abnuissent, ea re haud ualere satis concipiebant. Capras autem etiam frigida aqua.

Quod pertinet ad lanios, qui ad cultrum boues citra sanitatis stipulationem emebant, quantum coniectura assequor, id factum dixerim, quia statim emptum animal essent occisuri, aut quia nullus bobus pecoriquè morbus in esse potest, ex quo carnes esu perniciosæ aut pestilentes sint, qui oculis, aut manibus non deprehendatur, quandoquidem laniorum
soler-

Hieronymi Magii

Deo offerantur primogenita ex armentis gregibusq; maculosa, & uel claudicantia, uel caeca, aut aliqua corporis parte deformia infirmaque; ut admoneantur homines, debere nos ad omne opus bonum consummata esse sapientia.

Roma cur communis patria à Modestino sit appellata, alio pacto quàm Alciatus fecerit declaratum. Romanum imperium, Orbem ex ea causa, quam Hegesippus attulit, non esse dictum.

CAP. V.

ROMAM communem esse patriam, dixit Modestinus Iurisconsultus. l. Rem. ff. Ad municipales. id ei nominis tribuit etiam Cicero Orat. I. contra Rullum, quanquam fortasse, ut à Modestino factum suspicari licet, non omnium nationum ratione, cum uterque uoce Nostra, utatur. Cur autem hoc nomen Romae tributum sit, admodum eruditè explicat Alciatus Dispunctionum libro 2. cap. 21. nimirum quòd omnes, qui imperio Romano subditi essent, ciuitatis Romanae ius haberent, iuxta illud Pauli sub titulo De statu hominum. ff. In Orbe Romano qui sunt, ciues Romani ex constitutione diui Antonini effecti sunt. Verum
et si

tis ad auspiciandum uteretur, ea multò magis
 in se ipsis seruanda existimasse, ut ad ea, quæ
 à Dijs significarentur, puri, & integri accede-
 rent? Vlcus enim diminutio quædam, & cor-
 poris pollutio uidetur. Hæc ille. Adstipulan-
 tur Plutarcho nõ parùm sacrarum literarum
 uetustate, & pietate in Deum insignes inter-
 prætes. Hieronymus siquidem Ad Fabiolam
 De ueste sacerdotali, corporis uitia ad ani-
 mum referri ait, ideoq; talibus præditos cor-
 poribus, ad rem diuinam faciendam, esse ine-
 ptos. Gregorius, ut etiam legitur in Decr. cap.
 Hinc etenim. Dist. 49. uitia, maculasq; cor-
 poris, animi uitij sociari scriptum reliquit.
 At optime Theodoritus Quæst. 30. in Leuiti-
 cum, qui corpore uitiatos à sacris arceri testa-
 tur, ut per affectiones non spontè susceptas, ea,
 quæ à uoluntate proficisci solent, prohiberen-
 tur, Verbi gratia, inquit, oculorum occæca-
 tio, inopiam cognoscendi significat; auris am-
 putatio, inobedientiam; naris autem ablatio,
 facultatis discernendi priuationem; manus ab-
 scissio, in agendo socordiam; hocq; modo reli-
 qua sunt intelligenda. Idcirco uictimas om-
 nibus membris integras offerre, per ea, quæ of-
 feruntur, instruens offerentes, ut habeant ani-
 mæ sinceræ operationes, &c. Idem Quæst.
 14. ad cap. 15. Deuteron. ait ideo præcipi ne
 Deo

Hieronymi Magii

quit lib. 2. cap. 9. in hanc sententiam loquens de Romanis, In ipsorum quoq; nomen elementa transierunt, in quos etiam transfuit orbis terrarum, qui Romano imperio clauditur, & definitur. Deniq; à plerisq; Orbis Romanus appellatur. Nam si uerum quæramus, ut supra diximus, terra ipsa infra Romanum imperium est. Hæc Hegesippus. Imperium autem Romanum, Orbem appellat, præter Spartianum, Lampridium, Marcellinumque, & alios eius ætatis scriptores, Optatus Afer lib. 3. de Schismate Donatistarum, Non ergo, inquit, in illius montis Syon Esaias aspicit uallem, sed in montem Syon, qui est Ecclesia: qui per omnem orbem Romanum caput tulit sub toto cælo, etc. Sed orbem pro ditione, & imperio antiquioribus temporibus dictum inuenio. Ouidius in Metamor. sub Minois persona,

» Certè ego non patiar Iouis incunabula Creten,

» Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Plinius quoq; lib. 12. Nat. hist. cap. 12. pro regione uocem hanc accipit, inquit, In nostro orbe, proximè laudatur Syriacum, &c. Quo fit ut suspicer Hegesippum Latinæ linguæ non admodum gnarum, nec satis in Latinis uersatum auctoribus, unde imperium Romanum,

Orbis

etsi germana hæc uidetur sententia, nihilominus cum ante constitutionem Antonini sic Roma sit nuncupata, ea etiam de causa communis patria dicta uidetur, quòd totius quasi habitatæ esset terræ compendium, in qua omnes planè habitatæ nationes. Quod uerum esse, ex Athenæo cognoscere licet, qui Dipnos. lib. I. cap. 15. sic loquitur, Comitio interprete, Non longè, inquit, aberraret fortasse à scopo, quisquis totius habitatæ terræ compèdium Romanorum ciuitatem appellauerit, in qua omnes ciuitates commorantes facilè intueri licet, & particulatim & quàmplurimas; ut Alexandrinorum auream, Antiochenorù pulchram, Nicomediorum ornatissimam, omnium præterea splendidissimam quotquot Iupiter detegit Athenas. Deficeret, non unum dicam diè, ad connumerandas ciuitates, quæ in Orbe Romano continentur, sed omnes uix per anni spatium ob multitudinem connumerarentur. Omnes nanque ibi nationes habitant, Cappadoces, Scythæ, Pontici, & alij complures. Hi sunt enim totius habitatæ terræ compendium. Hæc ille. Quia ergo totius habitatæ terræ compendium Roma uideretur, quòd eam omnes ferè nationes incolebant, communis patria potuit etiam appellari. Imperium autem Romanum, cur Orbis diceretur, scriptum Hegesippus reli

Hieronymi Magii

l. 2. ff. de Orig. iuris. l. 1. de Constit. Principum. & l. unica de Offic. Præf. præf. Præterea quia Caius. l. 2. ff. de Adoptionibus. & idem Iustinianus in Instit. sub eodem titulo. §. 1. arrogationem sub Imperatoribus per Principis rescriptum fieri consueuisse demonstrant. Quanquam Caius in suis Institutionibus (nisi hic alter sit Caius ab illo diuersus) ex quibus legem illam in Pandectas translata esse affirmatur, arrogationis, quæ Principis auctoritate fieret, non facit mentionem, uideturq; eius contextus locupletatus additamentis eorum, qui Pandectarum libros composuerunt, ut ab eis alijs in locis esse factum, fuit à me obseruatum. Quin Imperatores Diocletianus, & Maximianus in. l. Impubèrem. C. de Adoptionibus, arrogationem, quæ per populum fiebat, iuris esse antiqui apertè affirmant, his uerbis, Arrogatio etiam ex indulgentia principali facta, perinde ualet apud Prætorem, uel Præsidentem intimata, ac si per populum iure antiquo facta esset. Vnde doctissimus uir Andreas Alciatus in Com. ad. l. Derogatur. ff. de Verb. Signif. quæ à Gellio de arrogatione afferuntur, iuris esse antiqui existimat. ac postquam Po. Rom. omne imperium in Augustum transtulit, rescripto Principis opus fuisse dicit. Atque eadem fuit sententia

Ioannis

Orbis nuncuparetur, non satis esse assequutum. Nam etsi ditionis Romanæ amplitudo id nominis exigere uidetur, nihilominus cum & Cretam insulam præ Romano imperio exiguam, Minois orbem dici conspiciamus, uox huiusmodi ad imperium uidetur aliquo pacto pertinuisse, quòd ditio quatenus progredetur, limitibus quasi in orbem circumscribi solet. Sed intercedant eruditi; hæc nanq; non tam iudicandi gratia, quàm admonèdi excitandiq; ingenij lectorum, à nobis in medium adducuntur.

Auli Gellii locus expenditur, & Alciati, Ferrarii aliorumque Iureconsultorum error demonstratur. CAP. VI.

AVLVS Gellius lib. 5. Noct. Attic. cap. 19. dum de Adoptione atque arrogatione ageret, arrogationem sua ætate per populum fieri consueuisse testatur, & arrogationis, quæ per Principem fieret, non meminit. Quæ res magna admiratione digna uidetur. siquidem antiqua lege Regia (hæc & lex Imperij appellatur in l. Ex imperfecto. C. de Testamentis.) omne ius, omnisq; potestas Populi Romani, in Imperatorem migravit, ut testatur Iustinianus. l. 1. §. Cum enim. C. de Veteri iure enucleando. & §. Sed & quod Principi. Inst. de Iure nat. gent. & civili. ac legitur in

Hieronymi Magii

primum libri ultimi Noët. Att. ut ipsemet testatur, scribebat. Patet igitur quo pacto Gellij locus sit accipiendus; et comitorum ius saltem quantum pertinebat ad arrogationes celebrandas, etiã post initum à Tiberio imperiũ, et sub posterioribus Imperatoribus, licet nostri reclamant, non penitus esse abolitum. Et si uerisimile est illis tẽporibus comitia pendere consueuisse ab Imperatoris potestate, et arbitrio.

De fructibus arboris in cõfinio uel prope confinium natæ. Caii uerba in Pandectis, & Iustiniani in Institutionibus emendata. Doctissimorum quorundam uirorum sententiæ reiectæ, legibus aliquot declaratis. Agrorum terminos olim fuisse uarios. CAP. VII.

IOANNES *Andreas Angeleri*us, ciuis *af-*
finisq; meus, multa probitate atque erudi-
tione Iurecõsultus, ancipiti morbo implicitus,
redierat ex agro Senensi, in quo apud Ioannem
Iacobum Medicẽ, summum Imperatorem, ius
dicebat, totiusq; exercitus militares suborien-
tes controuersias magna cum laude dirime-
bat. Hunc, cum morbus inducias quasdam iam
concedere cœpisset, egoq; à domesticis curis,
& à respondendi cauendiq; militia sollicitudi-
nis ac stomachi plena, interdum uacuus essem;
officij

Ioannis Ferrarij in Annot. in Institutiones, ut alios etiam ex nostris Iureconsultis omittam, qui in eandem iuerunt sententiam, uel iam inde ab usque Tiberij Imp. tempore ueterem illum morem rogationum exoleuisse affirmant. Sed hi lapsi uidentur; nam Gellij de Arrogatione, quæ sua ætate in usu esset, clariora sunt uerba, quàm ut dubitationi locus relinquatur. Accedit eò quòd curiatæ legis, quæ in comitijs fieret, in arrogationibus usum etiã sub Imperatoribus perdurasse cognoscitur ex Dione libro 39. & 45. & Domitius Ulpianus, ac Aprianus Alexandrinus, quos Adriani Imperatoris ætate floruisse constat, per populum Romæ fieri arrogationem scriptum reliquerunt, alter lib. 3. Bel. ciu. alter uerò in suis Instit. Quibus ad stipulatur Galba Imp. apud Tacitum lib. 17. his uerbis ad Pisonem, Si te, inquit, priuatus lege curiata apud Pontifices, ut moris est adoptarem. Quare faciliè assentior eruditissimo uiro Francisco Hotomano, qui in Annot. in Instit. consuetudinem arrogandi per populum, Diocl. & Max. Imp. aut alterius paulò superioris Cæsaris ætate obsoleuisse existimat. Gellius aut horum imperij annum primum (fuit hic ab urbe condita 1038.) quo constitutio illa edita est, non multum præcessit. anno siquidem millesimo ab urbe condita, caput

Hieronymi Magii

dum radices egerit, meam effici arborem. Rationem enim non permittere, ut alterius arbor intelligatur, quàm cuius in fundum radices egisset. Et idèd prope confinium arbor posita, si etiam in uicini fundum radices egerit, communis est. Hæc Caius: quæ in Iustiniani Institutiones, ab ijs, qui eas composuerunt, in titulum De Rerum diuisione translata sunt. Additq; Marcianus statim his Caij uerbis nouissimis, Pro regione cuiusque prædij. His ad stipulatur Paulus in. l. Arbor. ff. De Comuni diuidendo, & in. l. Illud. ff. Pro socio. inquiring, arborem in confinio natam, quandiu cohæret fundo, ex regione cuiusque finium, pro qua parte in fundo fuerit, utriusq; uicini communem finitis partibus esse, ita ut in communi diuidendo iudicium non ueniat. Sed his maximè aduersari uidetur Pomponius in. l. Si plures. ff. Arborum furtim cesarum. eo loci, ubi in hæc uerba loquitur, Si arbor in uicini fundum radices porrexerit, recidere eas uicino non licebit, agere autem licebit, Non esse ei ius sicuti tignum aut proiectum, immissum habere. Si radicibus uicini arbor aletur, tamen eius est, in cuius fundo origo eius fuerit. Hactenus Pomponius. Cuius uerbis permotus Iacobus Cuiacius nobilis nostræ ætatis Iurisconsultus, in Notis suis in Iustiniani Institutiones, ad locum

officij ergò, ac hominis comitate incredibili, et doctissimorum sermonum suauitate pellectus, inuisere solebam. Cùm autè uires adhuc illi imbecilliores essent, ijs de rebus colloquebamur, quæ mentem exhilarare, mirumq; immodum oblectare solerent. Verùm morbo sensim remittente, eoq; iam ualentiore reddito, nec à dissertationibus, leuioribus illis quidem, sed quæ fructu minimè carerent, abstinebamus. Inter ceteras autem dissertationes aliquando quæstio incidit, De dominio fructibusq; arboris in agrorum confinio uel propè confinium enatæ. In qua multis ultro citroq; intortis argumentis, eò tandem deuenimus, ut receptam Iuris interpretum sententiam, amplecteremur. Sed cùm eo sim ingenio, ut dum aliquid ocij suppetit, controuersias huiusmodi, atq; etiam grauiores iam planè obliuione sopitas, in animum reuocè, libuit modò ea de re, de qua quidam recentiores postea scripserunt, differere.

CAIUS Iurisconsultus in. l. Adeo. ff. De acquirendo rerum dom. sic habet. Si alienam plantam in meo solo posuero, mea erit. Ex diuerso, si meam plantam in alieno solo posuero, illius erit; si modò utroque casu radices egerit. Antequàm enim radices ageret, illius permanet cuius et fuit. His conueniens est, quòd si uicini arbor ita terram presserit, ut in meum sum

. Hieronymi Magii

te IN FVND0 FVERAT. intelligit fundum, aërem fundo superfusum ; unde necessario deducit, partes fructuum in solo singulorum uicinorum de cælo esse limitandas, perpendiculariculo demisso, secundum expansiones ramorum extremas. Sed & hic labitur, iurique nostro aduersa præscribit. Nam primum quantum attinet ad aërem solo superfusum, quod ille dicit, legibusque ultima, & penultima. ff. Quod ui aut clam. probat, uerum est in solo, in quo sit ædificium constructum, cui impendeat arbor; non autem in agris culturis destinatis. Sic enim inquit Vlpianus in. l. priore. ff. De arboribus cædendis, Differentia duorum capitum interdicti hæc est, Siquidem arbor ædibus impendeat, succidi eam præcipitur: si uero agro impendeat, tamen usque ad quindecim pedes à terra coerceri. Hæc Vlpianus. Quamquam Iulius Paulus Sententiarum lib. 5. Tit. 7. agris ædificia æquat his uerbis, Arbor, quæ in alienas ædes, uel uicini agrum imminet, nisi à domino sublucari non potest, isque conueniens est ut eam sublucet. Quod si conuentus dominus id facere noluerit, à uicino luxuries ramorum compescatur, &c. Deinde quod spectat ad radicem subterraneos progressus cæcos & incertos; respondeo Iureconsultos ac nothetas aperte rationem habuisse radicem, eamque;

cum prænотatum sic inquit, Est igitur uel de radice controuersia, uel de glande legenda.

Controuersia radice ita iure nostro definitur, si ex utraq; parte arbor in fine posita radices egerit, communis est. Quæ non est posita in fine, & si utrinque radices egerit, communis non est. l. Si plures. ff. Arborum furtim caesarum. l. ultima. ff. Quod ui aut clam. &c. Sed miror perspicacis ingenij interpretæ hæc protulisse, cum in uerbis, quæ ipse interpretabatur, et in prænotata. l. Ad eò. manifestè habeamus, arborem propè confinium positam, si in utrunque fundum radices egerit, communem esse. Idem nanq; est iudicium (quod & eruditissimus Ioannes Buteo in tractatu De diuisione fructus arboris in confinio natæ monuit) si uel in confinio, uel propè confinium arbor existat, dummodò utroque fundo radicibus cohereat. Sanè ipse Buteo, in diuisione fructus arboris in confinio uel propè confinium natæ, rationem habendam esse dicit aëris fundo superflui, non radicum, quòd hoc in iure habeatur pro regula, eius esse cælum, cuius est solum, & radicum progressus subterraneus semper in occulto sit, & ad regiones finitimas prorsus incertus: eamq; ob rem apud Paulum in prænotata. l. Illud. ff. Pro socio. ubi habet, Proque ea parte singulorum esse debeat, pro qua parte

Hieronymi Magii

proiectis) tertio quoque die legere atq; auferre. Vnde etiam satis liquet, uerba illa Pauli, Proque ea parte singulorum esse debeat, pro qua parte IN FVNDO FVERAT. non esse, ut ipse uoluit, accipienda. Quod uel inde cognoscere licet, quia illud, In fundo fuisse, nõ solum ad arborem, sed etiam ad lapidem, qui per utrunq; fundum extendebatur, à Paulo refertur. Ac nemini obscurum est, lapides intra terram oriri, ut sensit Marcellus in.l. Pro regione. ff. de Acq. rer. dom. (licet quibusdam locis & in terra superficie, et in aquis ipsis fiant,) & alicubi etiam crescere, ut testatur Iureconsultus in.l. nouissima. ff. De fundo dotali. & in.l. Diuortio. ff. Solutio matrim. ut Alberti cognomento Magni in libris de Mineral. Plinij lib. 36. cap. 15. & aliorum hinc testimonia consultò omittam. Præterea nullus ueterum Iureconsultorum, quod equidem meminerim, huiusmodi uerbis, patulae arboris ramorum, aut meniani, tigniue proiectum significat: uerbisque omnino uim afferre uidemur, si fundum, pro aëre fundo superfuso, accipiamus. Sanè Prætor, & Ulpianus. l. priore. ff. De arboribus cædendis, arborem uicini agro uel adibus impendêre, non in agro, aut adibus esse dicunt. Sisenna uerò de arbore, projicere dixit, ut legitur apud Macrobius libro 4. Saturn. Vetus,

eamq; incertitudinem nihil morari; modò con-
 stet arborem utrinque radices egisse, cuius rei
 ablaqueatione citra arboris interitum ad-
 moneri possumus. siquidem, terra non admo-
 dum effossa, crassiores radices statim produn-
 tur, & quibus ex locis arbor sibi attrahat ali-
 moniam, intelligitur. Maior autem radicum
 quàm aëris habenda fuit ratio: cum ab his
 arboris uita, & feracitas pendeat, nec mo-
 dico detrimento arbores, radicum succtu agros
 afficiant, eos nanque ita exhaustos reddunt, ut
 frugibus, nisi stercorationis adiumenta acceffe-
 rint, non sint idonei. Quamobrem æquum est,
 incommodum damnunq; uicini, commodo ac
 utilitate sarciri ac pensari. Et si ramorum ar-
 boris proiectus, umbra aliquid damni infert,
 quod tamen cum parui sit momenti, satis de-
 pulsus uidetur, si à terra ad quindecim usque
 pedes arbor sublucetur, altiusq; coërceatur,
 ut *Vlpiani uerbis constat loco pridem citato,*
 ex quo satis intelligitur, aërem fundo super-
 fusum, quantum ad rem attinet, ad quindecim
 duntaxat pedum altitudinem domino fundi
 procedere. Accedat eo, quòd si huius sen-
 tentia uera sit, frustra Prætoris editum esset
 interdictum in. l. 1. ff. De glande legenda, quo
 arboris domino cõceditur, fructus, qui in uicini
 fundum deciderint (nimirum ex ramis in eum
 proie-

Hieronymi Magii

dic. Cum igitur non modò longè maxima pars arboris, sed etiam potissima pars radicum, in meo fundo sit, quanuis in uicini fundum reliqua pars prorepserit radicum, arbor mea nihilominus manere debet, cum & si uicini fundo arbor partim alatur, ex potiore sui parte, ut in cæteris sit, extimanda sit. Vt hac ratione Caij Iustinianiq; argumentum neutiquam obsit, quo dicitur, rationem non permittere, ut alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit. Cuius uiri sententia non uidetur reiicienda. In eo tamen lapsus uidetur, quòd putat radices non esse excindendas, ne arbori interitus afferatur, sed si quid uicini intersit, negatoria eum aetione uti debere, Ius mihi non esse immissum illud in suum fundum habere, ut ei suum damnum uel in pecunia, uel in aliqua fructuum parte resarciam. Est enim sanè quàm manifestum, si radices non multæ admodum, ut potè quarum ratio non habeatur, arbori, quæ magna radicum copia suffulta sit, abscendantur, interitum ipsi non afferri: nec uideri Pomponium demonstrare, non esse radices abscindendas, & si dicat, uicino eas recidere non licere. Siquidem uetat, illas propria auctoritate abscindere, cum uelit ut agat, Non esse mihi ius in suo fundo radices habere, sicuti proiectum, aut ipsum

Vetus, inquit Sisenna, atque ingens erat arbor ilex, quæ circum proiectis ramis, maiore partem loci summi tegebat. Vt enim inquit Iabolenus. l. Malum. ff. De uerb. sign. proiectum est id, quod ita prouehitur, ut nusquam conqueiscat, qualia meniana, & subgrundia essent.

Igitur satis constat, radicum, non autem ramorum habendam esse rationem. VERVM ad antinomiam præmonstratam redeo. Caius, Martianus, Paulus, Iustinianusq; manifestè decernunt, arborem in confinio natam, uel propè confinium positam, si etiam in uicini fundum radices egerit, communem esse. Contra Pomponius, si arbor in uicini fundum radices porrexerit, ait recidere eas uicino non licere, agere autem licere, Non esse ei ius sicuti proiectum aut tignum habere. Hanc contextuum litem dirimere uolens eruditissimus Iureconsultus Franciscus Hotomanus lib. I. Observationum cap. 10. ait Pomponium id sequutum, quod in alijs similibus causis spectari solet, scilicet ut id, quod partis accessionis que loco est, ex eo, quod principale est, censeatur, quemadmodum in purpura, cæterisq; omnibus traditur in. l. Sed si meis. ff. De acquirendo rerum dom. l. Cùm aurum. §. Peruenimus. ff. De auro & arg. leg. l. Tigni. ff. De exhib. l. In rem actio. §. 2. & 4. ff. De rei uindic.

Hieronymi Magii

uicini arbore, quæ in meum fundum radices egerit: eam nanque meam effici dicunt, mox uerò subdunt, arborem, quæ in uicini fundum radices egerit, communem esse. Arbor uicini, quæ ita terram meam presserit ut in meum fundum radices egerit, non mea sed communis fore uidetur, siquidem & in uicini fundo, ex quo in meum radices produxit, radices eam habere, negari minimè potest. Cur ergo mea erit arbor, & non etiam prioris domini? An fortasse quòd potiores maioresq; radices, quibus illa semper nixa est, inaruerint, maiorq; radicum uis in meum fundum prorepserit, unde ex potiore parte in meum ius ac dominium migrauerit? An hæc à confinio abest, cum statim de alia, uerba illa subiiciantur? Et ideò prope confinium arbor posita, si etiam in uicini fundum radices egerit, communis est.]

Utraque arbor in uicini fundum radices agit, at non utraque communis fit. Cur una de re tot uerbis agitur, et diuersa statuuntur? Equidem Caij, & Iustiniani contextum ex Caio desumptum, deprauatum esse arbitror, non enim diuersa sunt hæc, quòd arbor ita terram presserit, ut in uicini fundum radices egerit, & quòd prope confinium arbor posita, etiam in uicini fundum radices produxerit: Et hîc hos nugamenta huiusmodi nobis obtrusisse, mi

sum in eius ædificium immissum habere. Hanc autem actionem his uerbis dari ad rem, quam ita habere non conceditur, amouendam, demonstrat idem Póponius in. l. posteriore, De arboribus cædendis, dum inquit, Ex lege. 12. Tabularum. de adimenda ea rectè agere potes, Ius ei nõ esse ita arborè habere. Sic Póponius. Traditq; Ulpianus in. l. pen. ff. Vti possidetis, interdictum, Vti possidetis, efficax esse ad uicinum compellendum ut proiecta (his autem Pomponius comparat radices illas) & tectoria tollat. Licet obstare uideatur quod de aquæductu dicitur in. l. Quemadmodum. §. 1. ff. Ad legem Aquiliam. Significat ergo Pomponius propria auctoritate, & ut dicitur, de facto, radices arboris meæ, quanuis fundo suo hærentes, uicino abscindere non licere, quemadmodum nec ei permittitur arborem, quam in confinio plantauerim succidere (nam eo casu contra me actio datur, ut arbor iudicis præcepto cædenda sit, ut in. l. Sed & loci. ff. Finium regundorum. præscribitur) agere autem licere negatoria actione, Vt radices iudicis præcepto recidantur, ne quid detrimenti sibi afferatur: arborum enim radicibus, agrorum fecunditas exhauritur.

ILLUD non leuem continet difficultatem, quod Caius, & Iustinianus inquirunt de uicini

Hieronymi Magii

Hæ nanq; cum coalescunt, terram'ue subeunt, radices in terram agere, uel terram comprehendere, ut in. l. 3. ff. Arborum furtim cæsarum, dicuntur. Huc accedit Venuleius l. finali. ff. Quod ui aut clā. eandē ferē facti specie proponens his uerbis, Si uitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis [depresseris castigatius legi arbitror] eaq; in fundo tuo coaluerit, utile est interdictum Quod ui aut clam. intra annum; sed si annus præterierit, nullam remanere actionem. Radices, quæ in fundo meo sint, tuas fieri, quia his accessiones sint. Hæc ille. Arboris autem appellatione, uites etiam contineri, satis liquet ex. l. priore. ff. de Arboribus cædendis. & l. 3. ff. Arb. furtim cæs. supra relatis. Depresseris autem legendum esse existimo, monētibus, Glossula his uerbis, Depresseris, idest propagaris. quam Ludouicus Ruffardus in codice manuscripto haberi dicit, & prænotata Florentina lectione in uerbis Caij, TERRA PRESSERIM. Ut minus admittenda uideatur eiusdē Ruffardi, uiri alioquē perspicacis, acerrimiq; iudicij, explicatio, in qua ita legitur, Et fortē deprehendere, ea formula hîc dictum est, qua defringere, et deplantare, ut sensus sit, Si sumperis uitem ex fundo meo in fundum tuum, idest in usum fundi tui, ut scilicet in fundo tuo plan-

hi non fit uerisimile . De triplici nanque hominis factò, unico uerò naturæ loquuti sunt . Scilicet Cùm alienam plantam alteri subreptam, in meo solo posuero : Cùm meam in alienũ transtulero : Cùm alienam arborem non radicitus auulsam, sed adhuc terræ hærentem, quæ prope confinium sit, ita in fundum meum inclinauero depresseroq; , ut in eo coaluerit : Et demum, Cùm aliena arbor confinio adplantata, sponte, & solius naturæ opera in meum fundum radices produxerit . Hunc autem germanum esse utriusque sensum, deprauataque utrobique esse uerba, Pandectæ Florentinæ, aliaq; uetusta exemplaria nos admonēt, in quibus sic legitur, HIS CONVENIENS EST QUOD SI VICINI ARBOREM ITA TERRA PRESSERIM, UT IN MEVM FVNDVM RADICES EGERIT, &c. Hac recepta lectione, omnia rectè habere, nihilq; absurdi obtrudi, manifestè perspicis . Verbum autem Premere, huiusmodi rei congruere Virgilius demonstrat, sic inquit in Georgicis,

» Quod superest, quæcunq; premes uirgulta
per agros

» Sparge fimo pingui, &c.

Homines enim dum hæc agunt, terra premere arbores dicuntur, non autem arbores terram.

A a Hæ

Hieronymi Magii

in confinio nata est; cum Caius in. l. Aded. ff. De acquir. rerum dom. idem quod & ille decernens, arborem prope confinium nō natam, sed positam dicat. Et ego cēsuerim id esse ideò factum, quòd in confinio arbores plantari non consueuissent, & si à uicino plantatæ essent, ille eas amouere compellebatur, ut cernere est in. l. 2. et. l. Sed et loci. ff. Finium regundorum. Liberum enim oportebat esse spacium quinque pedum à lege Manilia præfinitum, quod inter uicinorum agros relinquebatur, cum per illud iter esset ad culturas, uel in eo circumageretur aratrum, qua de re sic habet Aggenus Vrbi-cus in Com. in Iulium Frontinum, De fine, inquit, lex Manilia quinque aut sex pedum latitudinem præscribit, quoniã hanc latitudinem uel iter ad culturas accedens occupat, uel circumactus aratri, quod usucapi non potest. Iter enim non quòd ad culturas peruenitur, capitur usu, sed id, quod in usu biennio fuit. Hæc ille. A quo spacio Romani Imperatores præscriptionem summouerunt, ut patet apud Iulium Frontinum in libro de Iure limitum, & in. l. Quinque pedum. C. Finium regundorum : cui primi illuxerunt Petrus Crinitus lib. 25. de Honestâ disciplina cap. 4. (hic tamen memoriæ lapsu, Iustinianum Imperatorem præscriptionem quinque pedum in Digestis eliminasse dicit,

plantares. Ac præpositionis IN, hanc esse uim apud Latinos auctores, nemini ignotum est. Hactenus ille. Non enim Venuleius id significare uoluit, sed uitis propagationem ex meo in fundum suum à uicino clam factam. Cuius rei illud est argumentum, quòd uite in fundū, eius depressa, aut propagata, uel si magis placet, depressa, hoc est deprehendendo inclinata, & suppressa, adhuc radices in fundo meo illam habere dicat; quæ tamen, cū alias radices intra anni spacium in fundum, eius egerit, tanquàm accessiones sint, mihi non prosint. Quancquàm nec uitis, nec ulla alia arbor, ita depressa, nouas radices tot, tantasque tãbre ui temporis curriculo producere posse uidetur, ut earum instar, ueteres, & quæ adhuc fundo meo hærent, tanquàm minores paucioresque, pro accessionibus habendæ sint. Iam igitur intelligis quæ sit Caij, Iustiniani, ac ipsius Venuleij sententia. Quam obrem etiam est restituendus locus ille in Institutionibus de Rerum diuisione. §. Si Titius, hoc pacto, UT SI VICINI ARBOREM ITA TERRA TITIVS PRESSERIT, UT IN EIVS FUNDUM, &c. His rectè satis constitutis, uidendum est, cur Paulus in citata. l. Arbor. ff. de Comuni diuidundo, & in. l. Illud. ff. Pro socio. loquens de arbore, sic dicat, Arbor, quæ

Hieronymi Magii

num agrum effundere potuisset, ut tanquam ex æquo hinc inde radicum partitione facta, arbor efficeretur communis. Illud hinc non videtur omittendum, fuisse inter vicinorum fundos arbores, quibus fines præmonstrarentur, quas Iulius Paulus Sententiarum lib. 5. Titulo 24. terminales appellat. Has notari cõsueuisse testatur Urbicus loco præallegato, cuius uerba quoniam ad rem nostram maximè conducunt, in lectoris gratiam referre libuit, Finis enim, inquit, multis documentis seruabitur, terminis, & arboribus notatis, & fossis, & uijs, & riujs, & uepribus, & sæpe normalibus: &, ut comperi aliquibus locis, inter arua marginibus quibusdam tanquam puluinis, sæpe etiam limitibus. Item petras notatas, quæ in finibus sunt, pro terminis habebitis. Si arboribus notatis fines obseruabuntur, uidendum quæ partes arborum notatæ sint. Notæ enim in proprijs arboribus à foras ponuntur, ut arbores liberæ in parte à nota derelinquant. Si communes sunt arbores, mediæ notantur & ad utrunque pertinent. Hæc ille. Termini lapidei termino Deo dicabantur, & à uicinis, fertis coronabantur. Ouid. Fastorum lib. 2.

» Termine siue lapis, siue es defossus in agris

» Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

dicat, cum in. C. potius esset dicendum) et Marinus Becichemus Scodrésis Epistolicarum quaestionum cap. 78. quas edidit à CHRISTI Seruatoris ortu anno millesimo quingentesimo sexto. E quibus Alciatus quæ primum de Quinque pedum præscriptione protulit in Annot. in tres posteriores libros Codicis, ad. l. Quidam. de Decurionibus, hausit, horum tamen nominibus suppressis. Sed redeo ad rem.

Quanquam autem relinqui multis in locis solebat huiusmodi spacium quinque pedum, cuius præscriptio à lege Solonis, quæ à Caio referatur in. l. Finali. ff. Finium regundorum, & à Plutarcho in Solone commemoratur, defluxit, inq; XII. Tabulas migravit: & de qua mentionem facit Cicero lib. I. De legibus: nihilominus alicubi obsolescente consuetudine, minime uidentur fuisse relictæ quinque pedes. cuius rei argumentum præbet illa uitis arborisque uicini in agrum alterius deprehensio, uel depressio, & traductio; ac radicum arboris prope confinium positæ productio maxima, ex qua arbor communis efficiatur. Quandoquidem si quinque pedum spacium intercessisset, non admodum fuisset cuiquam integrum, uicini arborem in fundum suum quadam quasi propagationis specie deducere, nec arbor quantum termino adplantata, tot tantasq; radices in alie-

Hieronymi Magii

re possit eſt ab eo allatum, ſic enim inquit, Eſt et controuerſiæ genus, quod ad ſolum non pertinet, ſed de arboribus, fruſtibusq; earum, quæ in fine ſunt, ſiue intra, nec ullam ad radicem habent controuerſiam; quoties inclinatæ in alterutram partem fruſtum iactauerint, inter affines mouent diſputationem. Hæc ille. Quod attinet ad parietis circuitum, XII. Tab. pedes duos præſcribunt. Feſtus autem lib. I. ſemipedem addit his uerbis, Ambitus, inquit, propriè dicitur, inter uicinorum ædificia locus duorum pedum, et ſemipedis, ad circum-eundi facultatem relictus, &c.

De parricidio, & pœnis, quibus antiqui parricidas afficiebant. Ouidii locus declaratur, & Constantini Imp. Lex illuſtratur. Modestini uerba quædam lectionem à nonnullis allatam nõ ferre. Quo uirgarum genere, & qua ratione parricidæ cæderentur.

CAP. VIII.

PARENTIBVS ubi à Deo Opt. Max. diſceſſerimus, maximè nos debere, niſi quis humanitatem omnem exuat, nemo ignorat. Itaque non homines modò ſenſu quodam arcano, pietatis in parentes, ſed etiam nonnullæ,
quæ

bes.

33 Te duo diuersa domini de parte coronant,

33 Binaq; ferta tibi, binaq; dona ferunt.

Tibullus uerò de eodem Termino,

33 Nam ueneror seu stipes habet desertus in agris

33 Seu uetus in triuio florida ferta lapis.

Limites agrorum angustos fuisse et Varro demonstrat lib. 4. De Lingua Latina his uerbis,

Sæpe enim ad limitem, arboris radices, sub uicini prodierunt segetem. Idem et limitarium

u. u. um usum arguit eodem libro sic inquit,

Int fines agrorum termini, quòd hæ partes propter limitare iter maximè teruntur. Itaq;

hoc cum his in Latio aliquot locis dicitur (ut apud Accium) non terminus, sed termen —

Etiã ambitus iter, quòd circumeundo teritur. nam ambitus, circuitus. Ab eo XII. Tabularum interpretes, ambitum, parietis circuitum esse describunt.

Et multò inferius, Huic origini magis concinunt luci uicini, quòd

ibi Lucus Fagutalis, & Larium, Querquetulanum sacellum, & lucus Martis, & Iunonis

Lucinæ: quorum angusti fines, nõ mirum, iam diu. n. latè auaritia nunc est. Hactenus Varro.

Controuersiarum; quæ super fructibus arborum affinium oriuntur, meminit quidem Iulius Frontinus, sed nihil quod iudicem instrue-

Hieronymi Magii

Alcmeon enim, & Orestes matricidæ in furorem uersi traduntur. Platonis autem ætate cum iam in nonnullos, ut credere par est, scelus huiusmodi grassaretur, hac sanctione homines, quos natura in officio minimè contineret, Dialogo x i . de Legibus, à parricidio patrandò deterrere ipse nixus est. Et qui cædis (inquit de parricidio loquens) huiusmodi condemnatus fuerit, tã à iudicum ministris, quàm à magistratibus occidatur, trahaturq; extra urbem in statutum triniuum nudus, ubi singuli magistratus pro uniuersa ciuitate, in mortui caput lapidem mittant, atq; ita ciuitatem omnem purificent. Demum ultra regionis fines portatum, secundum leges insepultum eiiciat. Hæc ille Ficino interprete. Minos apud Ouidium Scyllam, quæ patrem Nysum prodiderat, monstrum appellat, inquiens,

» Certè ego non patiar Iouis incunabula Creten,

» Qui meus est Orbis, tantum contingere monstrum.

Idemq; precatur, ut illa terra, & mari submoueatur,

» Dij te submoueant, ò nostri infamia sæcli,

» Orbe suo, tellusq; tibi pontusq; negetur.

quæ ratione carent, animantes, admonentur. Siquidem grauissimi auctores posteritati prodiderunt, ciconiam, ut infantia suæ uices rependat, uetulos parentes alere. unde et pro iustitiæ symbolo auis hæc meritò usurpata est. Verùm & si natura, et moribus erga parentes, omnes planè sic afficimur, nonnullos tamen reperiatis, qui ita se humanis cupiditatibus dediderunt, uel in iram exarserunt, ut parentes è medio sustulerint. Nam ut Principes uiros præteream, qui regnandi causa parentes confoderunt, uidit nostra ætas Dynastas quosdam, leuissimis de causis scelere hoc immani pollutos, è quibus ego de facie noui Claudium Vbalinum è Montis Vicini Comitibus, manu promptum ac strenuum hominem, qui mox à suis, diuino ita iubente uindice, est trucidatus. Ipse quidem Socrates legislator sapientissimus cum, ut Cicero in Orat. pro Roscio, & alij testantur, interrogatus esset, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, Id se neminem facturum putasse. quod ipsum & Romulum aliquando respondisse, Plutarchus scriptum reliquit. Verùm illud dicit Cicero fuisse in causa, ut parentum interfectores nullam priuatim pœnam maiores olim statuerint, quòd non sana mente hominibus id accidere existimarent:

Alcmeon

Hieronymi Magii

quit Satyricus ille,

» Et deducendum corio bouis in mare, cum
quo

» Clauditur aduersis innoxia simia fatiſ.

Præter autem simiam, ut satis notum est, cum parricida eodẽ culeo includebantur, uiperæ, gallus gallinaceus, & canis. ut. l. unica. C. Qui parentes uel lib. occid. & in C. Theod. lib. 9. Tit. 12. ac Inſtit. De publ. iud. §. Alia deinde. cuius rei symbolicam rationem afferunt Cælius Rhodig. in Antiq. lect. Stephanus Forcatulus in Necyomantia iuris, et post eos in Annot. in Inſtit. Franciscus Balduinus elegantissimus ac doctissimus Iurisconsultus. quibus nos in Annotationibus ad prænotatum Iustiniani locum non omnino assentimur. Constant. Imperator non unam uiperam sed plures sociari parricidis consueuisse demonstrat inquiring, Serpentum contubernijs miscatur. quod ipsum & antiquus interpres C. Theodosiani existimat, dum sic scribit, Cum ipso etiam serpentes claudantur, &c. Cum alioquẽ unus duntaxat includi serpens solet, iuxta illud eiusdem Satyrici Poëtæ,

» Cuius exitio non debuit una parari

» Simia, nec serpens unus nec culeus unus.

Nisi fortè Constantinus ipse, qui pœnam illam iam tum tempore Iulij Pauli in desuetudinem

nem

Quo loco ad parricidarum pœnam antiquæ legis Cornelia etiam antiquioris alludere uideatur, cuius meminerit Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. his uerbis loquens de pœna, qua Tarquinius Rex quendam ob communicatum librum sacrorum mysteriorum affecerat, Culeo, inquit, insutum, in mare abiici iussit: idq; supplicij genus non multò post parricidis lege irrogatum est. Sic Valerius. Et si non me latet Iacobi Cuiacij plausibiliorem esse sententiam, qui legem pro more hîc accipit, & amouendam esse negationem, monentibus, ut ille ait, uetustis libris, existimat. Cui præter Lium, & alios, Cicero etiam ad stipulatur inquiring, ut supra relatam fuit, maiores nullam priuatim pœnâ statuisse in eos, qui parentes interfecissent. Vnde probabilius dicendum sit, Ouidium ad Corneliam legem allusisse, quæ Pompeia prior sit. l. 2. §. Deinde Corn. ff. de Orig. iuris. & quam Imp. Valent. Grat. & Valens in C. Theodosiano lib. 9. sub Titulo 15. antiquam fuisse dicunt: uel etiam ad ipsam Pompeiam. Primus autem, qui parricidium apud Romanos perpetravit, culeoq; insutus in mare præcipitatus est, Publicius Malleolus fuit: de quo Lium, Auctor ad Herennium, & Orofius. Culeus autem, quo parricidæ clauderentur, bubulo corio fieri solebat, unde inquit

Hieronymi Magii

dit legendum esse non Sanguineis, sed Sagmineis, atque ita quosdam legere refert Baldwinus in Annot. in Institut. ad §. prænotatum, quorum minimè reprobatur sententiam. Mihi nunquam fieri potest probabile, lectionem huiusmodi genuinam esse, cum sagmina, quæ, ut ex Plinio cognoscitur lib. 22. cap. 2. gramen significant, tam ad uirgas conficiendas apta atque utilia sint, quàm ad lanceas saturreia: ac sit absurdum putare, herba, quæ in remedijs publicis, & sacris legationibus usurparetur, ierè Botàvn dicta, sceleratos, & impios homines fuisse cæsos. Quamobrem, uere lectione retenta, arbitror Modestinum significare nobis uoluisse uirgas ex sanguineis fruticibus, quorum Plinius meminit lib. 16. cap. 37. non autem uirgas ex percussu sanguine rorantes rubentesque, ut Accursius, alijque accipiunt. Hoc autem ligni genere cæsos esse parricidas, tanquam omnium in felicissimo, nocentissimo, ac maximè infami, conijcere licet, ex eodem Plinio lib. 14. cap. 10. in hæc uerba loquente, Nec uirga sanguinea felicior habetur. cortex eius interior, cicatrices, quæ præsanauere, aperit. Sic Plinius. Cuius quidè noxæ, exprimèto admoniti pasto res, muliones, agasonesque, etiam num per Italiam uirgas huiusmodi & si ad cædendum aptissimas,

nem dilapsam (quod ipse testatur lib. 5. Sent. Tit. 26.) reuocauit , plures addiderit pro uipera serpentes , aut plurali uoce , pro singulari , ut aliquando fit à Latinis , usus sit. Quod fecisse uidetur Quintilianus in declamationibus his uerbis loquens de parricidio , Culeo , inquit , & serpentibus expianda feritas. Franciscus Balduinus , parricidas uase quodam , cui culeo nomen sit , includi solitos dicit. Iuuenalis bubulo corio dicit. cui cōcinit idem uetus in terpres his uerbis , Facto de coreis sacco , qui culeus nominatur , in quo cū missus fuerit , etc. Ad serpentes quod attinet Cicero ipse in lib. de Orat. & in Orat. Pro Roscio , ex qua in cita. l. unica sunt quædam à Constantina Imp. expressa , omnia profecutus , quæ ad parricidij pœnam spectabant , nihil omnino de prænotatis animalibus. Quare fit mihi uerisimile , nihil cum parricida intra culeum ab initio fuisse conditum . Et si non me latet Plutarchum scriptum reliquisse C. Villium post Tyberij Gracchi necem , tanquàm seditiosum ciuem , culeo cum anguibus fuisse insutum .

Modestinus in l. penultima. ff. Ad legem Póp. de parric. ante quàm sacco parricidæ inderetur , fuisse ostendit in more positū , ut uirgis sanguineis cæderentur. In qua lege M. Mátua Benauidius Clarissimus Iureconsultus contendit

Hieronymi Magii

odorem

- » *Aut ubi gustarat languebat morte propinqua.*
- » *Nec tamen omnino temerè illis sedibus ulla*
- » *Comparebat auis, nec fortia sæcla ferarum*
- » *Exibant syluis, languebant pleraque morbo,*
- » *Et moriebantur, cùm primis fida canum uis*
- » *Strata uis animam ponebat in omnibus ægram:*
- » *Extorquebat enim uitam uis morbida membris.*

Liuius quoque lib. 3. Dec. 1. pestilentiarum, quæ hõmini pecoriq; fædæ essent, mentionem facit. sic & infrà lib. 5. & Dec. 5. lib. 1.

Sed quotquot affirmant existimantq; peste, quæ mortales inuadat, bruta etiam esse correpta, aut corripì posse, errare uidentur: siquidem non omnibus animantibus, ut Hippocrates ait, omnia æquè aut salubria aut lethalia sunt. Tunc enim homines aduersa ualetudine laborare ait, cùm aër hic, quem inspiramus et expiramus, ea cõtraxerit inquinamenta, quæ humanam lædant naturam: hoc uerò, aut illud animantium genus, cùm infensum perniciosumq;

Miscellaneorum lib. IIII. 192
*tissimas, nocuas tamen auersantur, nec ijs
iumenta aut pecora agunt.*

Pestilentiis, quæ urbes regionesq; uas-
tasse dicuntur, an & bruta absumpta
esse credendum sit. Hippocratis lo-
cus, qui multis auctoribus aduersari
uidebatur, quo modo sit accipien-
dus.

CAP. IX.

MAGNAS pestilentiae uastitates, quæ
exercitus, ciuitates, atque adeò provin-
cias ipsas internecino genere morbi aliquan-
do depopulantur, optimè descripserunt Home-
rus, Lucretius, Virgilius, Ouidius, Silius,
Lucanus, Seneca, Thucydides, Boccacius,
atque alij. Hi ferè bruta etiam cladi obno-
xia, ut neminem latet, fecerunt. Nam ut ex
his & uetustatis & elegantiae nomine plausi-
bile testimonium proferam, sic inquit Lucre-
tius libro ultimo, pestem, qua Athenienses mi-
serè correpti sunt, et de qua latè Thucyd. lib. 2.
describens,

- » Multaq; humi cum inhumata iacerent
corpora supra
- » Corporibus, tamen alituum genus atque
ferarum
- » Aut procul assiliebat, ne acrem exciret
odorem

Hieronymi Magii

demq; tempore aliæ cum mortalibus animantes languescant. Vt errauerint cum Democrito antiqui, quibus persuasum erat, ex pecoris habitudine ualetudineq;, regionis hominibus salubris uel insalubris arcana cœcaq; et cōmoda & uitia posse deprehendi. quanquàm idem, ut opinor, Democritus pestes hominibus solis exitiales esse alioquò demonstrat libri à se editi inscriptione, quæ legitur apud Gellium lib. 4. cap. 13. estq; in hæc uerba, περι λοιμῶν ἢ λογικῶν κακῶν. hoc est, De pestibus, aut rationalium malis. Præterea cùm nostra et parentum memoria pestes per Italiam non leues grassatæ sint, quarum nouissima, quæ Thusciam Anglarensesq; nostros inuasit, & ego infans correptus sum, Diuini tamen numinis benignitate ab interitu uindicatus, nullibi auditum est pecudes feras'ue eo morbo laborasse. Equidem in re nonnihil ancipiti dixerim, quod est ab Hippocrate scriptum, tunc usi uenire cùm nō maxima aërem corruptio peruagatur. Verùm aëre planè uitiato, ac tetrīs lethaliibusq; expirationibus quasi putrescente, non homines modò, sed & animantes, quæ spiritu minimè caruerint, abolitum iri. Iam enim non quæ his aut illis duntaxat temperamentis hærerē ualeat, noxa proserpet, sed eiusmodi exitium corpora illabetur, quod ægrè à cuiusuis

ciosumq; suæ naturæ aërem hauserit . Hippocratis uerba ex libro de Flatibus , si Latinè loquatur , sunt infrascripta , Communis ergo febris , propterea omnibus accidit , quòd eundem spiritum omnes attrahunt : fitq; ut simili corpori , similes spiritus similiter permisti , similes gignant febres . Sed est fortasse qui dicat , Vt quid ergo non omnibus animantibus , sed alicui eorù generi incidunt hi morbi ? Cui ego sic responderim , Differt corpus à corpore , natura à natura , & nutrimentum à nutrimento , Non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt , aut commoda sunt ; sed sunt alia alijs magis conuenientia . Quando igitur aër eiusmodi inquinamentis plenus est , quibus humana natura offenditur , homines ægrotât , Quando uerò alteri cuiuspiam animantium generi aër inconueniens est , tum morbus illud genus corripit . Hactenus Hippocrates . Adde quòd cùm , Hippocrate eodem libro , Galeno lib. 1. de Sanitate tuenda , & Cicerone lib. 2. de Natura Deorum attestantibus , præter spiritum uel aërem ipsum , cibo etiâ & potu tum hominum tum reliquorù ferè animalium uita sustineatur , uictusq; in uniuersum non sit omnibus idem , sed diuersus , atq; ex alimonijs corruptis pernicies corporibus concilietur , non uidetur fore ut eodem populari morbo uno eo-

Hieronymi Magii

quod purgationis genus appellabant suffitionē. Verum hæc satis cognita, & Sarracenis, Iudæis, Thurcisq; hodie qui toti abluuntur, usu recepta. Illud certè observatione dignum videtur, Ethnicos illos licèt rectæ fidei luminis exortes, tanquàm essent Christianis dogmatibus addicti, quod est piè sancte q; apud nos in more positum, ut templum ingressuri, uel statim ingressi sacra aqua purificationis ergò respergamur, seruasse. Et si illi non sacram, sed simplicem aquam, puram tamen usurpasse uidentur. Huius rei testem habeo antiquum auctorem Ethnicum in libro de Morbo sacro, qui Hippocrati uulgò adscribitur, cum tamen Galenus ex Hippocratis familia eximendum dixerit. Cuius uerba Latinitate donata, quòd Christianam pietatem planè præferant, referre, uisum est operæ precium, Deus itaq; inquit, est qui maxima, ac sceleratissima peccata purgat, ac purificat, et liberatio nostra existit: ipsiq; terminos templorum ac delubrorum Dÿs designamus, ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat: Et ingressi respergimur, non uelut qui inquinemur, sed si quod etiam prius scelus habemus, purificemur. Hæc ille. Marinam aquam ad lustrationes usurpatam, obseruauit apud Dionem Ro. hist. lib. 48. ubi ille de Virtutis statua, & apud Euripid. in Tauris.

Animas

uis animantis natura possit repelli. Eam ob rem locis quibusdam halitum mortiferum expirantibus, superuolantes aues interire, bruta speluncas spiritu exitiali refertas subeuntia, aërem pestiferum cum hauserint, interire animaduertimus. Qua re intelligimus eò posse corruptionis aërem aliquando deuenire, ut hominibus brutisq; passim mortem inferat. Qui ergo admirandas quasdam pestes descripserunt, praesertim Poëtae, quos in rebus eiusmodi non una ratione solemus tueri, non ideò sunt reprehedendi, si et in bruta, praesertim in quadã præ cæteris morbo obnoxia, uim lethalem clade non leui dimanare affirmauerunt.

Consuetudinem, qua ingredientes templa, lustrali aqua respergimur, etiam apud Ethnicos fuisse. CAP. X.

AQUAE, purgationis uim non modicã inesse, non solum Latini, sed et Græci olim censuerunt. Vnde illud apud Virgilium,

» ——— donec me flumine uiuo

» Abluero.

Item illud,

» Spargens rore leui.

Qua de re Festus sic inquit, Itaq; funus profecuti, ignem supergrediebantur aqua aspersi,

Bb 2 quod

Hieronymi Magii

lus, qui Danieli cap. X. unus est de primis principibus, & Ecclesiæ etiam, ut olim Synagoga princeps uocatur, piorum animas in æternum æuum perducere dicitur. hæc enim uerba à sacerdote proferuntur, Domine I E S U C H R I S T E Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo lacu. Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum: Sed signifer Sanctus Michaël representet eas in lucem sanctam, quam olim Abraham promisisti, & semini eius. Verùm Ethnici, qui non ueritatem, sed ueritatis umbras aliquando sunt affecuti, & inanium deorum religione obstringebantur, id muneris Mercurio χθόνιω (sic enim à Tragico Poëta in Aiace, et in Electra appellatur) idest terrestri tribuebāt. (Cicero lib. 3. de Natura Deorum Mercurium, qui sub terris habeatur, Valentis, et Phoronidis filium dixit) quem ideò πομπάϊον hoc est deductorem, uel emissorem dixere. Quare Ajax sibi necem inferre dum pararet, inquit,

» το σαῦτάς ὦ Ζεῦ προτρέπω. καλῶ δ' ἄμα

» πομπάϊον Ἑρμῆν χθόνιον δ' μεν κοιμίσει,

» ξὺν ἀσφαδάσῳ καὶ ταχεῖ πηδήματι,

» πλωρὰν διαρρήξαντα τῷ δε φασγάνῳ.

Idest,

Hæc

Animas nostras corporibus egressas,
deductoribus egere. Quis eas dedu-
cat. Ethnicos Mercurio id muneris
tribuere.

CAP. XI.

SACRARVM *scripturarum* interpres, pie
statis atq; eruditionis nomine inelytus Ioan-
nes Chrysostomus, quo meritò Græcia cense-
tur, Concione 2. De Lazaro, ad Lucae Aposto-
li Euang. cap. 16. ubi Lazari mendici ani-
mam ab Angelis in sinu Abrahæ conuectam,
ex Sanctissimi Seruatoris nostri sermonibus re-
fertur, animas nostras cum à corpore solutæ
ad alia loca migraturæ sunt, deductoribus
egere affirmat, quod ipsum & Homilia 29. in
cap. 8. Matthæi Euang. literis prodidit. Prio-
re loco in hanc sententiam loquitur, Nam si
ciuitatem ciuitate uertentes egemus deducto-
ribus, multò magis anima à carne diuulsa, &
ad summam trāsiens uitam, opus habebit uic-
ducibus. Quapropter frequenter nunc emicat,
nunc in profundum demergitur, metuitq; &
horret cum est à corpore discessura. Nam ùm
semper nos stimulat peccatorum conscientia,
tum uerò maxime illa hora cum hinc sumus
abducendi ad illa tribunalia metuendumq; iu-
dicium, etc. Quamobrem rectè quidem in Mis-
sa pro defunctis Sanctus Michaël Archange-

B b 3 lus,

Hieronymi Magii

Sed alij uolunt Mercurium propter hoc,

» ——— animas ille euocat Orco

» *Pallètes, alias sub tristia Tartara mittit. Et est ratio, nam uoſ dicitur, idest sensus, quo Philosophiam, quæ hæc indicat, intelligimus, quia ipse etiam inuénit literas. Hæc ille, quæ mihi non admodum probantur. Equidem uanam hanc persuasionem inde apud antiquos ortum duxisse arbitror, quòd ille tã superiorum, quàm inferiorum legatus et præco sit creditus, ut apud Lucianum nõ uno in loco apudq; alios est manifestum: Dÿs uerò inferis obtemperare uideretur, dum animas siue umbras, quæ ipsis deberentur, ad eos perduceret. Aut fortasse quòd Mercurius tanquàm interpres quidam diceretur, quare nomen ἐρμῆς. unde illi linguas ob interpretationem attributas, & a discedentibus ex cœnis sacrificatas esse, testatur Athenæus Dipn. lib. 1. cap. 9. interprete autem maximè uiderentur indigere, qui in ignota loca illa et formidolosa ituri essent. Quæ tamen in re certi nihil statuo.*

An hominum umbræ sint, quæ circa sepulchra nonnunquam uisuntur. Ethniconum Theologorumque nostrorum hac de re sententiæ relatæ. De uocatis Dæmoniacis, & à Lycanthropia correptis, qui in sepulchris degunt, & sepulchra noctu oberrant.

CAP. XII.

DAEMONES, seu etiam defunctorum hominum umbras sepulchra incolere, et circum loca, quibus humana ossa continentur uagari, iã inde à priscis Ethnicis orta opinio, uulgo insedit. Multiq; sunt, qui & in agris, quibus defossa sint hominum cadauera, præsertim punitorum, uiq; interfectorum, & circa cœmeteria se non semel defunctorum umbras uidisse, ac ex similitudine eorum, qui sepulti sint, agnouisse dicunt. Nec solum humana sub forma, sed etiam brutorum. Pausanias in Atticis, in Marathone, circa Miltiadis sepulchrũ, uirorum pugnas equorumq; hinnitus noctu auditos dicit. sic enim inquit, Calderino interprete, Seorsum tumulus Miltiadis Cimonis F. quidem mortuus est, cum prius Paron non tenuisset, eoq; nomine uenisset in iudicium. Ibi per singulas noctes equorum hinnitus uirorumq; pugnas audire licet. Sed nemo de industria

Hieronymi Magii

Stria adhuc spectare uoluit, cui id fuerit utile. Si uerò quispiam nec de industria audiat; aut cum alioquì contigerit audire, dissimulet, nihil huic demonum ira incommodi accidit. Hæc ille. Non absimile est quod ab Aristotele in lib. de Mirabilibus auscult. refertur, In Lypara Aeolica (inquit ex interprete) sepulchrum aiunt esse, circa quod cum alia prodigiosa eueniant, tum id, quòd ea loca securè tutoq; nemini accedere liceat, uno ore perhibent. Sonitum enim tympanorum, cymbalorumque, & risum cum strepitu, plausumque manuum audiri manifestò, &c. Plinius quoque Cæcilius lib. 7. Epistolarum, epistola ad Suram, domum quandam Athenis fuisse scribit, in qua senis cuiusdam horrida imago, catenis perstrepsens conspiceretur, quæ maximum incolentibus terrorem, ex quo & mors sequeretur, incuteret; usque adèd ut infamis monstroq; illi uacua relieta esset: inuentumq; postea ibi sepultum hominè, cuius ossa cum catenis superessent. Quia uerò non longa est historia, & lectu non iniucunda, Plinij ipsius uerba apponere libuit. Illud, inquit, non ne & magis terribile, et non minus mirum est, quod exponam ut accepi. Erat Athenis spaciota, & capax domus, sed infamis, & pestilens: per silentium noctis sonus ferri, & si attenderes acrius, strepitus uinculorum

culorum longius primò, deinde proximè red-
 debatur: mox apparebat senex, idólon macie,
 et squalore confectus, promissa barba, horren-
 ti capillo, cruribus compedes, manibus cate-
 nas gerebat, quatiebatq; . Inde inhabitanti-
 bus tristes diræq; noctes per metum uigilaban-
 tur; morbus, & crescente formidine mors se-
 quebatur. Nam interdium quoq; quanquam ab-
 fcefferat imago, memoria imaginis oculis in-
 hærebat, & longioris causa timoris, timor e-
 rat. Deserta deinde, & damnata solitudine, do-
 mus, totaq; illi monstro relicta, proscribaba-
 tur tamen, seu quis emere, seu quis conduce-
 re ignarus tanti mali uellet. Venit Athenas
 Philosophus Athenodorus, legit titulum, au-
 ditoq; precio, quia suspecta uilitas, percuncta-
 tus, omnia docetur, ac nihilominus immo tan-
 tò magis conducit. Vbi cæpit aduesperascere,
 iubet sterni sibi in prima domus parte: poscit
 pugillares, stylum, lumen, suos omnes in inte-
 riora dimittit: ipse ad scribendum animum, o-
 culos, manum intendit, ne uacua mens audita
 simulachra, & inanes sibi metus fingeret. Ini-
 tiò quale ubique silentium noctis: deinde con-
 cuti ferrum, uincula moueri: ille non tollere
 oculos, non remittere stylum, sed obfirmare a-
 nimum, auribusq; prætere. Tum crebre-
 scere fragor, aduentare etiam, ac iam ut in li-
 mine,

Hieronymi Magii

mine, iam ut intra limen audiri: respicit, uidet, agnoscitq; narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatq; digito similis uocanti. Hic contra, ut paululum expectaret, manu significat, rursusque ceris, & stylo incumbit. Illa sribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem, quod prius innuentem: nec moratus, tollit lumen & sequitur. Ibat illa lento gradu quasi grauis uinculis. postquam deflexit in aream domus, repetè dilapsa deserit comitem. Desertus herbas, & folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inueniuntur ossa inserta catenis, & implicita, quæ corpus æuo terraq; putrefactum, nuda, & exesa reliquerat uinculis. Collecta publicè sepeliuntur: domus postea, ritè conditis manibus caruit. Et hæc quidem affirmantibus credo. Hactenus Plinius. Scriptum Plutarchus reliquit in Apophteg. Laconicis, Laconem quendam noctu cum iuxta sepulchrum transfret, dæmonem uisum esse sibi uidere. Suetonius in Caligula, literis prodidit, cum Caligulae cadauer clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cæspite obrutum esset, hortorum custodes umbris fuisse inquietatos, donec postea per sorores ab exilio reuersas, erutum, crematum, sepultumque sit.

*fit. In ea quoque domo, in qua occubuit, nul-
 lam noctem ab incolentibus, sine aliquo terro-
 re transactam fuisse, donec ipsa domus incen-
 dio consumpta sit. Multa possem huc asserere
 huiusmodi, quæ mea memoria contigerunt,
 suntq; etiam à me audita, & à uiris fidei neu-
 tiquam suspectæ uisæ, sed breuitatis gratia il-
 lis supersedeo. Plato in Phædone auctor est,
 animas malorû hominû, et eorum, qui corpori
 obnoxij, corporearum rerû curis semper im-
 pliciti fuerunt, contagione corporea infectas,
 ponderosum quiddam, & graue terrenumq;
 contrahere, quod eas continuò comitetur, &
 degrauet: eamq; ob rem ad uisibilem locum
 metu inuisibilis atque occulti protrahi: &
 quemadmodum & tunc ferebatur, circa mo-
 numenta sepulchraq; uersari, & apparère, et
 circa hæc loca oberrare compelli, ut pœnas
 dent uitæ improbè actæ. Ita q; tandiu circum-
 uagari, quo ad cupiditate naturæ corporeæ co-
 mitante, rursus induant corpus. Idem in Cra-
 tylo ait mortuorum animas [ut opinor, purio-
 res] suauissimis Plutonis orationibus demul-
 ceri, quòd hic Deus sit sophista proculdubio di-
 fertissimus, qui etiam ingentibus beneficijs
 eos, qui penès ipsum habitant, prosequatur, et
 uirtutis auaritate detineat, ideoq; illos ad nos
 reuerti nolle. Macrob. lib. I. in Somn. Scipio-
 nis*

Hieronymi Magii

nis Cap. 9. ad rem quod attinet hæc ex Platone deriuauit, Hinc anima, inquit, quam in se pronam corporis usus effecit, atque in pecudem quodammodo reformauit ex homine, & ab solutionem corporis perhorrescit, et cum necesse est, non nisi cum gemitu fugit indignata sub umbras. Sed nec post mortem faciliè corpus relinquit, quia non faciliè corporeæ excedunt pestes: Sed aut suum oberrat cadauer, aut noui corporis ambit habitaculum, non humani tantummodò, sed ferini quoque, electo genere moribus congruo, quos in homine libenter exercuit. mauultq; omnia perpeti, ut cælum, quod uel ignorando, uel dissimulando, uel potius prodendo deseruit, euadat. Hæc Macrobius. Non solùm autem malorum, sed bonorum etiam animas, seu potius umbras se pulchra corporũ suorum incolere, credebãt antiqui: quamobrem Ouidius lib. 2. Faistorum,

- » *Vix equidem credo, bustis exisse feruntur,*
- » *Et tacitæ questi tempore noctis aui;*
- » *Perq; uias urbis, latosq; ululasse per agros*
- » *Deformes animas, uulgus inane ferunt.*

Vnde umbras, seu manes tumulo condere, cuius rei supra mentionem uidisti in Plinij uerbis. Ouidius infrà lib. 5.

- » *Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,*

» *Et malè ueloci iusta soluta Remo .*

Virgilius quoque lib. 3. Aeneid. ubi de Polydoro,

» *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte ,*

» *Sanguinis & sacri pateras , animamq; se pulchro*

» *Condimus , & magna supremum uoce cie- mus.*

Impp. Theod. & Valent. in libro Legum nouellarum Tit. 5. dicunt, animas amare sedem corporum relictorum , & nescio qua sorte rationis occultæ, sepulchri honore lætari. Lactantius Firmianus lib. 2. Diuin. instit. cap. 2. sua quoque ætate uulgò creditum fuisse dicit, mortuorum animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias errare. Verùm non animæ defunctorum fuerunt, aut sunt, spectra, & phantasmata, quæ circa sepulchra aut cœmeteria se noctu conspicienda præbebant, aut præbent, sed Demones. Iamblichus in lib. De Aegyptiorum mysterijs, segmento. 3. cap. 32. ex Porphyrio refert, subdolum quoddam genus Dæmonum simulare animas defunctorum, Deos, & Genios, quos ipse Iamblichus Cacodæmones, non bonos Dæmones esse contendit. Philostratus quoque lib. 3. De Vita Apollonij Tyanei commemorat, Dæmonem quendam, qui in pueri corpus illapsus esset, asseruisse

Hieronymi Magii

asseruisse iddolum se esse hominis in bello interfecti. Chrysoſtomus Concione 2. De Lazaro, ad cap. 16. Lucae, & Homil. 29. in cap. 8. Matthæi, interfeſtorum animas, Dæmones fieri, quosdam ſua ætate exiſtimaffe ait, quod tamen ipſe uerum eſſe negat. Dæmonem uerò rem hanc perſuadere ſtudiſſe, ut Martyrum, qui uiolenta morte deceſſerunt, gloriam confoderet, obrueretq; , ac ut maleficos ad tenera multorum adoleſcentium corpora trucidanda impelleret, ea quidem ſpe ut in Dæmones illi euaderent, quibus tanquàm famulis, & adminiſtris mox uterentur. Idem interfeſtorum animas uel etiam eorum, qui ſalute donantur, hîc oberrare negat. Ego quoque Dæmoniacos non paucos uidi, in quibus immundi ſpiritus dum à ſacerdote adiurarentur, ſe interfeſtorum quorundam animas eſſe mentirentur, eorumq; ueras uoces, & arcanas quaſdam res proferrent, ac ſibi iuſta fieri orarent. Scriptum Hebræorum Theologi reliquerunt, deſunctorum hominum cadauera, in Dæmonis Zazelis poteſtate relinqui, de quo dictum ſit in ſcriptura, Terram comedes omnibus diebus. & alibi, Puluis terræ panis eius. Meminiq; me olim in recentiorum quorûdam libris legere, eatenus cenſeri cadauera Dæmoni huic ſubeſſe, quatenus adhuc non fuerint iuſtis

*iustis exequijs expiata & sanctificata: eamq;
 ob rem non sine causa antiquos patres cadaue-
 rum expiationes excogitasse, ut quod ualde im-
 mundum esset, lustrali aqua aspergeretur, suf-
 firetur thure, sacris orationibus exorcizaretur,
 & funeralibus dum super terram esset illu-
 straretur, ac demum sacro in loco sepeliretur.
 Sed harum rerum plausibiliores ab ortho-
 dxæ fidei auctioribus rationes afferuntur. Pau-
 sanias ex Delphorum interpretibus acceptum
 refert, Dæmonem esse quendam infernum,
 quem Eurynomum dixerunt, qui mortuorum
 carnes absumat exedatque, ita ut uix nuda su-
 persint ossa. Sed hæc anilibus fabulis uix di-
 gna sunt. Dæmones ad sepulchra concurrere
 uideri, testatur Chrysostomus Homilia 35. ad
 Matthæi cap. 10. Theophilaëtus in explicat.
 in Matthæum, aliq; Theologi, affirmant ideò
 Dæmones circa sepulchra uersari consueuisse,
 ut uana illa Hominum persuasio astrueretur,
 qua mortuorum animas in Dæmones uerti cre-
 ditum est. quamobrem & homines à Dæmo-
 nibus obsessos, quos Dæmoniacos uocamus, se-
 pulchra incolere coactos. Matthæi nanq; cap.
 8. Marci 5. et Lucæ 8. huiusmodi homines do-
 micilia in monumētis habuisse legimus. Non
 solùm aut qui à Dæmonibus aguntur, sepul-
 chris obuersantur, sed etiã qui Lycanthropia,
 Cc seu Cynan-*

Hieronymi Magii

seu Cycãthropia laborat, ut minùs fabulosum esse uideatur quod est à Plinio scriptum Naturalis historię lib. 8. cap. 22. scilicet homines aliquando in lupos uerti. De quo morbo Paulus Aegineta libro 3. cap. 16. in hanc sententiam loquitur, Qui, inquit, Lycanthropia detinentur, noctu domo egressi, lupos in omnibus imitantur; & donec dies illucescat, circa defunctorum monumenta plerunque uagantur. Hæ comites ipsorum notæ sunt, Facies pallida, oculi ad uidendum imbecilles, & sicci, lingua aridissima, nulla in ore salua, sitis immodica, tibię quòd frequenter impingant, exulceratæ, adeò ut sanari nequeant. Tales quidem sunt notæ. Speciem uerò melancholiæ Lycanthropiam esse, existimare conuenit, &c. Auicenna libro 3. Fen 1. Tract. 5. cap. 20. morbum uocat Cutubut, & à bile aduicta, & melancholia prouenire scribit, ac inter cetera hæc habet, Species, inquit, melancholiæ plurimum eueniens in Februario, quæ facit ut homo diligit fugere ab hominibus uiuis, & cupiat appropinquare mortuis, & sepultis, etc. Hoc ego morbo correptum uidi Anglare Antonium Donchium, qui sæpe ab Augustinianis alijsq; Aedituis, in sepulchris dormiens est inuentus, & qui mortuorum ossibus domum suam planè compleuerat. Verùm ad
dæmones

dæmones redeo. Hos Peripatetici esse inficiantur (his ad stipulati sunt Sadducæi, qui teste Luca cap. 23. Act. Apost. spiritus atque Angelos esse negabant) non enim alias concedunt esse substantias separatas (ut Philosophorum nostrorum uerbis cum Ciceroniani lectoris uenia utar) præter quàm Deum, Intelligentias, cælestes orbes mouentes, animamq; intellectuam humanam, ut satis constat apud Aristotelem lib. 12. Metaphys. et 3. de Anima. Phantasmata uerò, & uita functorum simulacra, quæ noctu conspiciuntur, non uerè uideri, sed sensuum potius esse illusiones, quæ accidant, uel quòd species intrà reuertantur usq; ad particulares sensus, qua ratione nonnunquam aliquid nigrum uel album, uel animal esse uidetur, quod uerè non est, ut patet apud Auerroëm 3. Collect. Gentilis Fulginas nobilis suæ ætatis Philosophus ac Medicus, Quæstione 55. commemorat, quendam amicum suum interdiu cum famulo è uilla reuertentem, semper conspexisse militem nigrum præcedentem, nullumque præcessisse, ut famulus dixit. Mox uerò eum, qui phantasma illud sibi uidere uisus est, in melancholicam incidisse uertiginem. Aristoteles autem lib. 3. Meteor. & alibi, prosteritati prodidit, nescio quem debili præditum uisu, eo quòd uisus ob remissionem, ac de-

Hieronymi Magii

tem in aëre tanquàm constipato & solido corpore oblectante, ueluti in speculo reflecteretur, semper uisum esse sibi uidere idolum aduersum præcedere; nempe sui ipsius imaginem. Epicurus, & ex Epicuro Lucretius atque alij, non omnia nos uerè pati affirmant, sed sensus sæpè decipi. Cuius Epicuri rationibus innixus olim Cassius, ut Plutarchus in M. Bruto scriptum reliquit, in hanc sententiam allocutus est Brutum, qui monstruosam corporis feri imaginem noctu ad se ingressam conspexerat, & uoce etiam se infensam fore prænunciantem audiuerat. Noster, inquit, ò Brute, hic sermo est, quòd non omnia uerè patimur, neque uerè uidemus, sed mutabile, ac deceptibile quiddam noster sensus est. Præterea intellectus est perspicax ad mouendum sensum, illumque è subiecto nullo mutare ad omnem formam. Imaginatio enim ceræ similis est. Animæ uerò hominis, quæ fingens, & ficta pariter habeat, facillimum est per se ipsam idem uariare componereque. Hoc ostendunt somniorum mutationes, quas breui momento phantasia uertit in multiformes passionés, & imaginum species. Moueri semper, naturale hoc est. motus autem uel phantasia est, uel quædam intelligentia. Tibi, ò Brute, corpus naturà triste eleuat intellectum
atque

atque diuertit. Dæmones nullo pacto esse, credibile. neque Dæmones si sunt, hominum habent formam, aut uocem, siue potētiam, quæ ad nos pertranseat. Hæc ille. Verùm cum admiratione digna multa in his uideātur, qui uulgò Dæmoniacy seu fanatici uocantur; Aristoteles in Probl. ea melancholico succo ascribit. Andreas Cattanius Imolensis in Tractatu de Causis mirabilium effectuum, cum atrabilis ad tot tantaque mirabilia, quæ quotidie in laborantibus, eo affectu animaduertimus, patranda satis non sit, ea reijcit in uocatum Intellectum agentem abstractorum infimum, in Intelligentias abstractasque mentes cælestes, quæ homini iungantur, & succum corporis, cælesti (ut eius uerbis utar) dispositioni, ac stellis quibusdam respondentem. Nos uerò cum sacris literis doceamur, Dæmones esse, qui in hominum corpora illabantur, sanctique Patres, & Orthodoxæ fidei Theologi, Dæmones ad antiquorum adstruendos errores, hominesque decipiendos, ac affligēdos circa sepulchra uersari, corporibusque humanis se in sinuare affirmēt, Philosophorū Ethnicorumque ablegatis nugis, rectæ fidei inhaeremus, & quæ sanctæ Ecclesiæ scitis prodita sunt, sequimur.

Hieronymi Magii

Musicae in humanos animos inque corpora ipsa uim esse maximam, ex his, quae literis prodita sunt, quaeque indies usuueniunt, demonstratur.

CAP. XIII.

HUMANIS animis musicos cōcentus mirū *Himmodū imperare, usq; adeò ut quorsum nobis libuerit eos permoueant, ac quasi habentis defleant, ex his, quae ab auctoribus literis sunt consignata, quaeque usuueniunt quotidie, satis intelligimus. Plutarchus lib. posteriore de Fortuna, et uirtute Alexandri, musicam ait uiros nos reddere, & eos, qui in ea ritè educati sint, instinctu lymphatico, impetuque replere. Olimque Alexandrum ipsum, Antigenide tibicine Harmation nomon modulante, usque adeò mente captum modulamenti incitatu exarsisse, ut concussis armis proripiens sese, manus in astantes intenderet, testimonium Spartiatis præbens illud canere solitis, Urget enim in ferrum scitè fidibus canere. Idem planè nostra memoria Hippolyto Medici, Cardinali amplissimo usu uenit in Pannonia in exercitu Legato. Cum enim aliquando classes procinctæ essent, ac tubicines tympanistæque bellicum canerent perstreperentq;, eò alacritatis generosique furoris processit,*

ut

ut bellicum nescio quid inclamans, stricto gladio, equum ante principia, quasi cum hoste congressurus, ad cursum concitasse dicatur. Et tanta est huiusmodi signorum uocalium uis, ut milites itineris tædium his fallant, laboremque solentur, & in prælio alacriores reddantur, magnaque ad pericula impellantur: Ac nullo mortis terrore, quasi alienæ uitæ discrimine res agatur, per cædem & uulnera, socijs hinc inde procumbentibus moueantur. E' diuerso, musicam animos quoque sedare compertum est. siquidem Regum lib. I. cap. 16. legimus Dauidæ cithara personante, Saulis à spiritu malo uexati emollitum esse furorem, ad eò ut leuius haberet, spiritusque ille ab eo recederet. Plutarchus in libro de Cohibenda iracundia, Lacedæmonios pugnaturis, concentu tiliarum, iram adimere consueuisse, testatur. quod antea Thucydides scriptum reliquerat: qua de re & Gellius ex Thucydide libro 1. cap. XI. qui Cretenses quoque prælia ingredi solitos refert, præcinente ac præmoderante cithara gressibus; Halyattemque Regem terræ Lydiæ, bellum Milesius inferentem concinentes habuisse fistulatores, & fidicines, fæminasque; etiam tibicinas in exercitu, atque in procinctu.

Quibus de rebus etiam Athenæus Dipnos. libro 12. cap. 4. & libro 14. cap. XI. Idemque;

Hieronymi Magii

cos persanasse testatur solis animi motibus ad debitum modum reuocatis . Atque huiusmodi sententiæ testem minimè contemnendum esse dicit Aesculapium, qui multas scribi cantilenas, mimosque ridicularum rerum fieri, et melodias quasdam instituerit ijs, quibus uehementiores animosæ partis motus , corporis temperamentum iusto calidius efficerent.

Manes, seu potius Dæmones, olim etiam, æris tinnitu fugari, creditū esse, huius rei cum apud nos tum apud Ethnicos quæ ratio adduci possit.

CAP. XIII.

AERIS tinnitu Manes, seu potius Dæmones domo alijsque ex locis exigi, existimasse antiquos, nemini, qui paululum in humanioribus literis fuerit uersatus, obscurum esse arbitror. Ouidius *Fastorum lib. 5.*

» Rursus aquam tangit Temeseaq; concrepat æra,

» Et rogat ut tectis exeat umbra suis .

» Cum dixit nouies , Manes exite paterni ,

» Respicit, & purè sacra peracta putat.

Idem manifestius demonstrat Alexander Aphrodis. *Problemate 43. lib. 2.* dum loquitur in hanc sententiam, Mouere, inquit, æs ferrumq;

tas corporibus hominum mentibusq; , et propterea quoque uitijs, aut medelis animorum, & corporum, ut non solum animi, uerum etiam corporis morbos musicam aut sedare aut profligare, memoriae datum sit. Athenæus citato cap. 10. Theophrastum refert scriptum reliquisse, in libro de Afflacione numinis, ischiadicis sanos fieri, si more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. Gellius libro 4. cap. 13. creditum esse à plerisque, et memoriae proditum dicit, lenibus tibicinum modulis, ischiadicorum minui dolores. Mox uero ait, se in Theophrasti libris legisse, tibicinem scitè modulateque adhibitum, uiperarum morsibus mederi. Quem miror ad fidem confirmandam eius, quod de ischiadicis retulit, eiusdem Theophrasti recens, si credere dignum est, ab eo lecti, testimonium minimè aduocasse. Idem ex libro Democriti, qui inscriptus erat περί λοιμῶν ἢ λογικῶν κακῶν, idest De pestibus, aut rationalium malis, plurimis hominum morbis tiliarum tantum medicinam fuisse, refert. Plutarchus etiam ex Pratina commemorat, Thaletem Cretensem, sorte quadam à Pythio edita, adijisse Lacedæmonios, & utentem ope musica, eos à pestilentia liberasse. Huc accedit Galenus, qui libro 1. de Sanitate tuenda cap. XI. se quotannis ægros non pau-

cos

Hieronymi Magii

dunt Christiani etiam scriptores, Dæmones sacri æris, seu campanarum nolarum'ue tinnitu & sono depelli. Id Paulus Ghirlandus in Tractatu de Sortilegijs, maleficarum mulierum, quas alij Lamias, nonnulli Striges, quidam Bruxas uocant, historijs recensendis, uerum esse docet. commemorat nanque Dæmones, quibus illæ inuehant, cāpanæ ante diluculum sonitu audito, fugam arripientes, eas statim deseruisse. Huius autem rei illa ratio est, quòd campanæ sacratæ sint, & diuinis destinatæ usibus, adeò ut eo nomine Dæmonibus earum sonus sit inuidiosus, & formidolosus. Quamobrem cum à grandine tempestatibusque, quæ Dæmonum nonnunquam seuitia cieri aduehi que creduntur, frugibus, uineisque periculum imminet, campanæ non tam ad aërem scindendum & comminuendam tempestatis uim, quàm ad abigendos propulsandosque Demones eius auctores, pulsari solent.

Aemylii Probi locus in disquisitionem uocatus. CAP. XV.

IOANNES Michaël Brutus nobilis nostræ ætatis Historicus, in quo præter antiquitatis cognitionem, multam elegantiam, egregiumque animi candorem admiror, mensibus
supe-

rumque multitudo, quoties Luna, aut Sol deficit, consuevit, quasi spiritus quosdam uitiosos uelint depellere. Haud enim per id tempus lumina benignè terram aspiciunt, neque benefica delibatio inde manat, qua mali, infestique spiritus repelli possint & coerceri.

Hæc Alexander. Huius autem rei illam fuisse rationem puto, quòd Manes silentium amare crederentur, unde & silentes à Poëtis dicerentur. Ouidius lib. citato,

» Mox etiam Lemures animas dixere silentium.

Vnde quoties umbra huiusmodi loquerentur, exiguo potius murmure quàm clara uoce uti dicebantur. Ouidius eodem libro,

» Umbra cruenta Remi uisa est assistere leto

» Atque hæc exiguo murmure uerba loqui.

Quantum supra lib. 2. Manes per urbis uias, & per agros, quòd ipsis non fuisset parentatù, ululasse dicit. Præterea Macrobius Saturn. lib. 5. cap. 19. Græcorum uetustissimos credidisse refert, æris sonos, rem esse ualidissimam. Inibi etiam ait pleraque ænea ad rem diuinam adhiberi solita, præsertim in his sacris, quibus delinire aliquos, aut deuouere, aut denique exigere morbos aliquis uoluisset. Pro-

dunt

Hieronymi Magii

*ticæ hoc genus scripturæ leue , &c. Quæ le-
ctio probabilior ea, quæ in omnibus reliquis co-
dicibus , quos ego legerim, uideri potest , cùm
illi sic habeant, Non dubito fore plerosq; Atti-
ce, qui hoc genus scripturæ leue , &c. Quan-
doquidem neutiquam friuolis argumentis iam
fuit in citata epistola à nobis demonstratum ,
Aemylum Probum , Pomponij Attici coæ-
taneum non fuisse : quin opus hoc Theodosio
Imperatori esse dicatum ; cuius rei epigram-
ma illud ad Theodosium , præbeat testimo-
nium . A principe autem Græciæ ciuitate
suam scriptionem appellat Atticâ, quòd Græ-
corum Imperatorum uitas complexura esset ;
licet id non admodum propriè dictum uidea-
tur , cùm sermone utatur Latino non Græco.
Sed dices , cùm duos ille libros scripserit, quo-
rum posterior, ut ipse met testatur, uitas Ro-
manorum Imperatorum contineret , ac præfa-
tio ambobus communis fuisse credi possit ,
quos libri uoce appellauerit inquiring , Et in
hoc exponemus libro de uita excellentium Im-
peratorum . ut etiam titulus Aldinorum
exemplarium demonstrat ; rationi haud qua-
quam est consentaneum, Atticam dici scriptu-
ram , quæ æquè & Græcos & Latinos Impe-
ratores contineat . Respondeo præfationem
hanc ad priorem duntaxat librum pertinere,
cùm*

superioribus cum apud Iordanum Ziletum Bibliopolam essemus, me percunctabatur, an adhuc Basileæ cusus esset Aemylij Probi liber de Vita excellentium imperatorum, quem ego ex uetustorum exemplarium collatione à mendis non paucis repurgaui annotationibusque auxili, ac pro uiribus illustraui. Aderat Arnoldus Arlenius uir de Græcis Latinisque literis bene meritus, ac communis amicus; Probi que audita mentione, se eius libri calamo exaratum exemplar, quod Ferrariæ emisset, habere dixit. Huius legendi cum incredibilis me cupiditas incesset, precibus ab eo contendi, ut libri saltem ad tridui tempus, quo percurrendi facultas esset, mihi copiam faceret. Hunc cum ille (quæ uiri est humanitas) ad me misisset, auidè legere cœpi. Titulus erat huiusmodi, AEMYLI PROBI DE IMPERATORIBVS EXTERARVM GENTIVM LIBER. Finis libri, si epigramma Probi eiusdem, quod nos ex uetustis exemplaribus in epistola ad Gregorium Angelerium, & Paulum Ligium posuimus, excipias, qualis in uulgatioribus codicibus. E' scribæ uero penore subiecta uerba, Completum est opus Aemylij Probi Cornelij nepotis. Post prænotatum titulum hæc se mihi statim uerba obtulerunt, Non dubito fore plerosque, qui Atticæ

Hieronymi Magii

Carnifices antiquis ominosos, ac magis
quàm nostra ætate inuisos fuisse. Di-
uum Cyprianum, erga carnificem, à
quo erat ferendus, munificum fuisse.
Caroli V. Imp. constitutione car-
nifices esse inuiolabiles. CAP. XVI.

CV'M homo hominem, iniuria laceffitus,
iraq; incensus interficit, & si pœnam ad
legum præscriptum meretur; nihilominus,
quòd iram, uindictæq; amorem nobis natura
conciliauerit, delicto, inuidiæ nonnihil de-
dit. Verùm cum quis minimè læsus, hominem
quamlibet nocentem pœnæq; addictum, mer-
cedis gratia carnificinæ supplicio excruciat,
aut necat, et si iustitiæ, cuius Deus Opt. Max.
auctor sit, iudicisq; minister est, necessariaq;
eius opera homines iure sociati indigent; ta-
men quia excarnificandos, supplicioq; deditos
misericordia uulgis prosequitur, carnifices ipsi
in hominum odia incurrunt, nefasti q; ac om-
nosi omnibus sunt. Itaque Romani quanuis iu-
stitiam seuerè colentes, lictores ipsos magi-
stratibus multis concesserint, qui fasces secu-
resque, quibus fontes caderent ac ferirent,
præferre solerent; Censorijs tamen legibus,
carnifices ipsos, his, ut opinor, magis odiosos
nefastosq;, foro et urbis domicilio priuari si-
uerunt.

cum in ea nulla Latinorum facta sit mentio, de quibus altera priuatim præfatione, quæ posteriori libro præfixa de more sit, loqueretur. Quod uerò spectat ad illa uerba, Et in hoc exponemus libro de uita excellentium imperatorum. librum ego accipi puto non pro uniuerso opere (quod aliàs fortasse non sine errore feci) sed pro libro uno. Græcorum autem non addi mentionem, quia iam de Græcis agendum esse, sit dictum, nulla tamen muneris Imperatorij facta mentione, quæ modò apponatur, ne de omnium promiscuè insignium Græciæ uirorum uita hîc lector agendum esse crederet. Vides quantum sit collocationis uoculæ unius momentum. Relatiuo ergo uoci, Atticæ, præposito, omnia rectè habere uidentur, & quædam difficultates facessunt, quæ olim nos circumueniebant, dum Probum Theodosii ætate uixisse affirmaremus. Verùm candidi lectoris esto iudicium, non enim hæc iudicandi, sed iudicis admonendi instruendique consilio attulimus.

Hieronymi Magii

ro, & tradidit carnificibus. Dalmaticam uerò tradidit Diaconis, & stetit in linteis expectans Spiculatorem: & dum ille appropinquasset, iussit suis illi dare uiginti aureos. Hæc Possidonius.

Quod pertinet ad locum, cui Possidonius Sexto, nomen fuisse dicit (ut hoc obiter adnotetur): Plutarchus in Galba, locum in quo sub Cæsaribus animaduерteretur in Sontes, Sestertium appellat. Galbæ autem, inquit, caput, Patrobij Vitellijq; seruis dono dederunt. Quod illi accipientes, ubi multifariam pulsassent, & omni contumelia affecissent, abiecerunt quo solent eos, quos Cæsares supplicio dedunt. is uerò locus Sestertium uocatur, &c. Suetonius de eodem capite, Ab his Patrobij Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco ubi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit. Hæc ille. Nunc ad rem. Deos Dæmonibus quibusdam quasi carnificibus uti, Ethnici credebant. Plutar. in Probl. agens de Laribus, An, inquit, illud uerius est, quod à quibusdam Romanis dicitur, & Chrysippus opinatur, Dæmonia quædam mala circum ire, quibus dii quasi carnificibus, & scelerum ultoribus aduersum iniustos, & impios utuntur? &c. Quæ opinio è sacris literis dimanasse uidetur. Sic enim inquit Iesus filius Sirach,
Eccle-

uerunt. Cuius rei testis sit Cicero, qui in *Rabiriana Orat.* sic loquitur, Sed moreretur prius acerbissima morte milies Gracchus, quam in eius concione carnifex consisteret; quem non modò fero, sed etiam cælo hoc ac spiritu Censoriæ leges, ac urbis domicilio carere uoluerunt. Hæc ille. Est etiam à Dione Chryso-
 sto scriptum in *Oratione 31. Rhodiorum lege* cautum fuisse, ne carnifex urbem ingrederetur. Adeò autem carnifex infamis inuisusq; erat, ut probri non uulgaris loco homines carnificis nomine ut nunc fit (quod apud Terentium & alios adnotauimus) peterentur. At qui pietatis Christianæ affectu ducuntur, si munus suum carnifex citra iram, et cum sortis humanæ commiseratione obeat, ne utiquam odio dignum censent. Quin non nullæ sunt nationes, quæ carnifices nullo pacto auersentur, nihilque eorum consuetudine dedecoris, maliq; ominis inuehi existiment. Ipse quidem Cyprianus Martyr insignis de rep. Christiana lucubrationibus multis benemeritus, carnifices à quibus etiam cædendus esset, tantum abest ut propriæ uitæ amoræ ductus, odio prosequeretur, ut in eos munificus extiterit. Sic. n. inquit Possidonius eiusdè Cypriani Diaconus in eius Mart. Et cum peruenisset in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab urbe miliario, expoliauit se bir-

Hieronymi Magii

polochum, & Harmodium, et Aristogitonem, in foro statui. Quo loco quantum attinet ad Hippolochi nomen & historiam, statim hæsitare cæpi, ac ideò Petri Victorij summæ eruditionis uiri commentaria consului. Sed me spes omnino fefellit, ille enim ut est ingenio candidissimo, fatetur ingenuè se Hippolochi historiam nunquam incidisse, & quis fuerit hic Hippolochus, aut quid laude dignum publica, & tanto honore gesserit, ignorare. Quare Cyriaci Strozæ de Græcis, si quis alius hodie Italarum est, Latinisq; literis, deq; Philosophia optimè meriti mihi sententiam duxi esse exquirendam. Hic igitur consultus, locum esse deprauatum affirmavit, proq; Hippolochō reponendum esse Antilochum, monentibus Pindaro, & Xenophonte, quorum prior sexta Pythiorum sic scriptum reliquisset,

- ») Εγένετο καὶ πρότερον Ἀντίλοχος βιατὰς
 - ») Νόημα τῶτο φέρων, ὅς ὑπερέφθιτο
 - ») Πατρὸς ἐναρίμβροτον ἀνα-
 - ») μείνας ἀρχὸν αἰθιόπων μέμνονα. νεσό-
 - ») ρειον γὰρ ἵππος ἄρμι' ἐπέδα.
 - ») Πάριος ἐκβελέων δαίχθεις. ὄδ' ἔφεπεν
 - ») Κραταῖον ἔγχος.
 - ») Μεσανίης δὲ γέροντος
 - ») Δοναθεΐσα φρὴν βόασε παῖδα ὄν.
 - ») Χαμαιπετὲς δ' ἄρ' ἔπος οὐκ ἀπέριψεν αὐτοῦ
- ») Μένων

Ecclesiastici Cap. 39. Sunt spiritus ad uindictam creati, qui furiosè uibrant flagella sua. Hi tempore perimendi, uim effundunt, & consummant iram creatoris sui, &c. Quàm sint hominum societati carnifices necessarij, optimè intelligens Carolus V. Imp. Augustus, cum eos uulgi iniurijs ob officij uilitatem inuidiamq; maximè expositos cognosceret, ausum eorum, qui ipsos cedunt, aut uim ipsis inferunt, capitis pœna prosequendum decreuit, ut patet in Constit. De Capit. Iudicijs. Artic. 97.

Locus Aristotelis, sapientis Lyrici, Xenophontisq; testimonio restitutus, atque illustratus. CAP. XVII.

ARISTOTELIS librum de Arte dicendi primum cum aliquando Pisis feriatuſ legerem, in eum incidi locum, quo ille rationem demonstradi cum absolueret, addebat, χρῆσέον δὲ καὶ τῶν αὐξητικῶν πολλοῖς οἷον, εἰ μὴ νῶς, ἢ πρῶτος, ἢ μετ' ὀλίγων, ἢ ὁ μάλισα πεποίηκεν. *i. Utendum est & multis augmentatiuis, ut puta si solus, aut primus, aut cū paucis, aut quod maximè fecit. Et paulò post, καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποίηθη. οἷον εἰς Ἰππόλοχον, καὶ Ἀρμόδιον, καὶ Ἀριστογείτονα, τὸ ἐν ἀγορᾷ σατῆραι. i. Et in què prima commendatio facta fuit, ut ad Hip-*

Dd 2 polochum,

Hieronymi Magii

ne posteris legendum reliquit, de eodem Antilocho sic habet, Ἀντίλοχος δὲ καὶ πατρὸς ὑπεραποθανῶν τοσαύτης ἔτυχεν ἀκλείας. ὥς εἰ μόνος φιλοπάτωρ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀναγορεύθη. Idest, Antilochus pro patre moriens, tantum gloriae cōsecutus est, ut apud Græcos solus prædicetur patris amator. Quanquàm in Latina Omniboni Leonicensi uersione, nõ Antilochus, sed Antiochus, uitio, ut opinor, typographi, corruptè legitur. Vides quid gesserit Antilochus; unde tantum honorem meruerit. Quamobrem Cyriaco faciliè assentior, ut pro Hippolochum, Antilochum, apud Aristotelem scribendum sit.

An iure apud Ciceronem in libro de Amicitia à Biante remoueatur sententia de amicitia cum futuræ inimicitiaë suspitione colenda. CAP. XVIII.

L AELIUS apud Ciceronem in libro de Amicitia, Scipionem Africanum posteriorem negasse dicit, ullam uocem inimiciorem amicitiaë potuisse reperiri, quàm eius, qui dixisset, Ita amare oportere, ut aliquando esset osurus. Nec uerò illum adduci potuisse, ut hoc (quemadmodum putaretur) à Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus
è se-

- » Μένων δὲ ὁ θεῖος ἀνὴρ πρίατο μὲν θανά-
 » τοιο κομιδὰν πατρὸς . ἐδό-
 » κησε τῶν πάλαι γενεᾷ ὄπλοῖσιν
 » Ἔργον πελώριον Τελέσας
 » Ὑπατος ἀμφὶ τοκῶσιν ἔμμεν πρὸς ἀρετάν .

Idest,

- » Stephano Leono iuvene eruditissimo inter-
 » prete
 » Fuit & prius Antilochus generosus
 » Intellectum hunc ferens , qui occubuit pro
 » Patre , homines spoliante ex-
 » petans ducem Aethiopum Memnona .
 Nesto-
 » reum enim equus currum detinebat
 » Paridis ex telis sauciatus . hic governa-
 » bat
 » Fortem hastam .
 » Messenij autem senis
 » Agitata mens clamavit filium suum :
 » In terram decidens autem uerbum nō pro-
 » iecit ipsius ,
 » Manens uerò diuinus uir emit quidē mor-
 » te curam patris . ui-
 » sus est ueterum generatione iunioribus
 » Opus ingens perficiens
 » Summus circa parentes fuisse ad uirtu-
 » tem .

Xenophon uerò eo in opere , quod de Venatio-

Hieronymi Magii

hac etate, qua, ut inquit Ieremias, omnis proximus mercator incedit, & fraudes intestina- que odia omnium ferè hominum animos inua- serunt, usus ipse uitæ optimus magister, ample- xandam demonstrat. Quòd si auctoritatibus res firmanda sit, uidetur etiam Homerus Odys. lib. 15. hac de re differens, huic sententia adhæsisse, cum ait ad eiusmodi propositum confirmandum,

- » ————— νεμεσῶμαι δὲ καὶ ἄλλω
» ἀνδρὶ ξεινοδόκῳ, ὅσκι' ἔξοχα μὲν φιλέησιν,
» ἔξοχα δ' ἐχθαίρησιν, ἀμείνω δ' αἰσιμα πάντα.

Idest,

- » ————— irascor autem & alij
» Viro hospitali, qui eximiè quidem diligit
» Eximiè autem odit: meliora autem medio-
» cria omnia.

Cæterùm Euripides & si alia ratione, alioq; argumento permoueri Phædræ nutricem in Hippolyto fecerit, eandem tamen eum secutum esse sententiam, eaq; delectatum, uersibus liquet infrascriptis,

- » χεῖν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
» φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι
» καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς.
» ἔυλυτα δ' εἶναι ἐέργηθρα φρενῶν
» ἀπότ' ὠσασθαι, καὶ ξυψίειναι.

Idest,

è septem, sed impuri cuiusdam & ambitiosi,
 aut omnia ad suam potentiam reuocantis, suis
 se sententiam. Hæc quidem apud Laërtium,
 qui uitas, mores, et sententias complurium Phi-
 losophorum satis accuratè posteritati prodi-
 dit, non legitur. Quanquàm autem in præsen-
 tia summi sapientissimiq; Imperatoris aucto-
 ritate frangor, illud tamen non censeo omit-
 tendum, quod Cyriacus Stroza eruditissimus
 uir aliquando se animaduertisse narrabat, eius
 sententiæ auctorem hac ratione nixum uideri,
 quod cum summa non in rebus modò, sed in
 humanis mentibus inconstantia atque instabi-
 litas quotidie dprehendatur, et mutari homi-
 num mores, quod & Scipio dicebat, soleant,
 usque adeo ut qui natura arctissimo iure deuin-
 eti sunt, sæuissima inter se odia exerceant, ut
 non mirum sit si amici quoadque mutuas sus-
 scipiant inimicitias, consilium illis facturi uidea-
 mur si mediocritatem seruemus, nos in amo-
 rem minimè effundamus: ac præte ea arcanas
 res, quæ cognitæ, ac in uulgus editæ, nobis sint
 damnum allaturæ, non temerè amicis credere
 debeamus, ne si illi aliquando nos odio prose-
 qui cœperint, nostrorum quasi auctores malo-
 rum simus, qui reticenda, fidelique silentio
 committenda protulerimus. Hinc autem sen-
 tentiam patrocínio dignam, præsertim nostra

Hieronymi Magii

Ethnicorum mos obseruatus, qui sepulchris iam conditos defunctos, funalibus accensis honorare solebant.

CAP. XIX.

DEFUNCTOS, qui iam sepulchris conditi essent, in anniuersarijs & parentalibus, luminum funaliumq; frequentia honorari consueuisse, fuit olim à me apud Suetonium in Augusto obseruatum. sic enim ille habet de eodem Augusto loquens, Huius Masgabæ ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animaduertisset magna turba, multisq; luminibus frequentari, uersum compositum ex tempore clarè pronunciauit,

» Κτίσου δὲ τύμβον εἰς ὄρω πυρούμενον.

Idest,

» Conditoris tumulum uideo flagrantem.

Conuersusq; ad Thrasylum Tiberij comitem contra accubantem, & ignarum rei, interrogauit, cuius nam Poëta putaret esse. quo hæsitante, subiecit alium,

» Ὅπως φαέσι μασγάβαν τιμώμενον.

Idest,

» Vides luminibus Masgabam honoratum? Hæc cum subnotassem, incidi postea in Hieronymi p̄ij, & eruditissimi Theologi scripta contra Vigilantium Gallum, in quibus Vigilantium

Idest,

- » Oportebat enim parcius, & mediocres
 - » Mortales inter se iungere amicitias,
 - » Nec intima animæ medullatenus.
 - » Ipsosq; mentis amores faciles conueniebat
esse,
 - » Vt & minui, et augeri, ac intendi quirent.
- Verùm ad Biantis dictum quod attinet, Gellius lib. I. cap. 3. sententiam eandem calculo suo approbans, non Bianti, sed Chiloni tribuit, sic enim ait, Chilonis, à quo disputatiunculae huius initium fecimus, cum alia quaedam sunt monitu utilia, atque prudentia, tum id maxime exploratae utilitatis est, quòd duas ferocissimas affectiones amoris atque odij intra modum tantum coërcuit. Hac, inquit, fini ames, tanquam fortè fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tanquam fortasse post amaturus. Hæc Gellius. Quem, dum uerba illa supra, His igitur finibus, &c. desumeret, miror non animaduertisse rem, quam præ oculis habebat, scilicet non Chiloni, sed Bianti dictum illud esse tributum: nullumq; ea de re uerbum proferre. Nisi fortè Scipionis ille secutus sit sententiam, aut Ciceronis locum esse deprauatum existimandum uideatur.

Hieronymi Magii

strare nostra, et parentum ætate contenderunt. Qui suas ad hanc usque diem inuulgauerunt sententias, sunt infrascripti, scilicet, Ioannes Iucundus, Leo Bapt. Albertus, Hieronymus Cardanus, Iul. Cæsar Scaliger, & Ioannes Buteo nulli eruditione, aut ingenij acumine secundus. Atque ij quidem ut in rempublicam literariam utilitatis non parum inueberent, summa ope contenderunt, sunt q̄; ea de causa bonorum omnium laudibus prosequendi, qui quod potuerunt sedulo præstiterunt, & si multorū iudiciorum non satis affecti uidentur. Horum exemplo & nos ducti, in hanc militiam nomen dedimus, eosq̄; labentes si fieri possit subleuare, pontisq̄; huius structuram breuibus declarare conabimur. Cæsar's uerba sunt hæc, Rationem igitur pontis hanc instituit. Tigna bina sesquipedalia, paululum ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis interuallo pedum duorum inter se iungebat. Hæc cum machinationibus immissa in flumine defixerat, fistucisq̄; adegerat, non sublicæ modo directæ ad perpendicularum, sed prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eundem modum iuncta, interuallo pedum quadragenūm, ab inferiore parte contra uim, atque impetum fluminis conuersa statuebat. Hæc utraque, insuper bipedalibus trabi-

lantij illius hæretici impia hæc contra Martyrum reliquias uerba referuntur, Propè, inquit *Vigilantius*, ritum Gentilium uidemus sub prætextu religionis introductum in ecclesiis: sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, et ubicunq; puluisculum nescio quod in modico uasculo precioso est circumdatum, osculantes adorant. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de uilissimis cereolis illustrandos, quos *Agnus*, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat. Hæc ille. *Vides* quæ piè fiebant fiuntque etiam hodie circa *Sanctorum Martyrum* tumulos, ex Gentilium propè, quem ipse obseruasset, ritu fieri, uesania ac hæresi correptum hominem dixisse. De facibus funalibusque, quæ in exequijs olim usurpabantur, nos alibi multa, quæ huc modò trans erre non est operæ precium.

Locus in commentariis Iulii Cæsaris, quo ille pontis lignei in Rheno constructionem describit, declaratur.

CAP. XX.

SUBLICIVM Iulij Cæsaris pontem, non *Stam* ritus, formæque; nomine, quam descriptionis obscuritate famosum, quo ille Rhenum iunxit, quæ exercitum traducei et, multum illustrare

Hieronymi Magii

*aut etiam fibulis è duriore materia , ut diuelli
nequirent , in scalarum morem copulabat :
tanto interuallo relicto, quantum ad bipedales
trabes excipiendas satis esset . Machinationi-
bus immissa .] nam propter magnitudi-
nem ac pondus , sine machinis tigna illa bipe-
dalia iuncta, in flumen immitti non poterant,
ut qua oportebat aluei parte locarentur, &
consisterent . Fistucisque adegerat.] idest
instrumentis ad defigenda altius tigna illa a-
ptis , quæcunque ea fuerint, siue quæ machi-
nis in capita tignorum demitterentur (quas
nunc uulgo Mazzacastellos uocamus) siue
multis ansis à quaternis aut pluribus homini-
bus sustollerentur ac illiderentur , ut malleis
fieri solet . Cum enim alueus Rheni propter li-
mum solidior non esset, ut in multis fluminibus
usuuenit, huius etiam organi ui tigna licèt ses-
quipedalia, Buteone quanuis reclamante, adi-
gi potuisse existimamus . Quòd autem alueus
ad tigna admittenda minimè esset contumax,
ipse met Caesar innuit, ut diximus, qui tigna il-
la non admodum, ut alioquì oportebat, sed pau-
lulum præacuta fuisse dicit . Sanè uerbi Ade-
gerat, sensus à Buteone, & alijs quibusdam al-
latus, mihi non uidetur germanus, si apud La-
tinos auctores eius usum spectemus . nanq; eo
significatu usurpant, ut intus agere atque infi-
gere*

trabibus immixtis, quantum eorum tignorum iunctura distabat, binis utrinque fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus disluisis, atque in contrariam partem reuinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo maior uis aquæ se incitauisset, hoc arctius illigata tenerentur. Hæc directa iniecta materia contexebantur, ac longurijs craticibusq; consternebantur. Ac nihilo secius subliçæ ad inferiorem partem fluminis obliquè adigebantur, quæ pro ariete subiectæ, & cum omni opere coniunctæ, uim fluminis exciperent. Et aliæ itcm supra fontem mediocri spatio, ut si arborum trunci, siue naues deiciens operis causa essent à Barbaris missæ, his defensoribus earum rerum uis minueretur ne ponti nocerent. Hæc ille. quæ ita explicanda atque accipienda esse censemus. Sesquipedalia.] idest sesquipedali crassitudine, ut omnes putant. Paululum ab imo præacuta.] Non admodum præacuta, eo quòd, ut est uerisimile, alueus fluminis facillè cederet, ac tigna illa admissurus uideretur. Dimensa ad altitudinem fluminis.] Vt tamen haberetur ratio partis tigni cuiusque, quæ in alueum adigeretur, & auctus fluminis, si pluijs fortè excreuisset. Interuallo pedum duorum inter se iungebat.] Transuersarius scilicet, aut

Hieronymi Magii

trabium bipedalium, quæ immittendæ essent, & pontis latitudinem intelligamus. Ab inferiore parte.] hoc est in aquæ superficie, inquit Buteo non sine errore, ut mihi uideatur, cum Cæsar fluminis partem intelligat post priora tigna, ut post uocem Quadragenum, comma ponatur. Bipedalibus trabibus immis- sis.] crassitudine bipedali, quanta posset interuallo prædicto pedum duorum congruè excipi. quod Cæsar met explicat inquiring, Quantum eorum tignorum iunctura distabat. Dixit autem trabibus, in plurali, respiciens ad plura iuga, non autem quòd binæ trabes immitterentur. ne nimis superflua firmitas quæsita uideatur. Nullus enim Mechanicus aut Architectus negaturus est, trabes bipedales in quadraginta pedum spacio, transeuntis exercitus oneri ferendo esse. & si alibi contrarium affirmamus. Binis utrinque fibulis.] Buteo autem non binas fibulas utrinque, sed unicas ponit, quod miror ab eo esse factum, cum res satis sit aperta. Forma etiam fibularum magis operosa est, et infirma, quàm quæ loco huic conuenire uideatur, licet fibulæ in alios usus ad subnectendas uestes, ad baltheos, cæteraq; huiusmodi, ea forma ac etiam circulari ferè, fieri consueuerint. Ego fibulas pro clauis è ligno duriore accipio, quibus adactis tigna illa
una

gere demonstrat. Plinius libro 16. cap. 10. in arborem clauus ferreus adigatur. &c. Quæ res satis est manifesta. ut minimè hoc loco audiendus uideatur Buteo, qui putat fistucis, id est palis quibusdam, circa tignorum calces defixis, tigna illa ui ac necessitate adaucta dici, hoc est in sua sede coacta, et obfirmata. Quòd nescio quàm facile fieri posset, ubi flumen altius esset, aded ut pali supra aquam non extarent, atque ideò tundi, ac in alueum satis agi non quirent. Præterea non uideo cur tigna, quæ sublicis ex inferiore fluminis parte tanquam antis confirmabantur, his palis indigerent; aut cur infra opere ferè absoluto, sublicas obliquas (si ut Buteo facit, & locum illum accipiamus) circa tignorum calces, non Buteonis prænotatas fistucas, siue palos Cæsar defigat. Adde quòd uerbum Aderat, unà cum uerbo Defixerat, respicit has uoces, Prona, ac fastigata, siue fastigiata; ut Cæsar tigna non ad perpendicularum, ut fieri consueuisset in sublicis, sed prona ac paululum inclinata, defixa ac in alueum adaucta dixerit. Pedum quadragenum.] quadragenum dicit, non quadraginta, ratione multorum iugorum, quibus pons constare debebat, in quorum singulis, paria tignorum inuicem pedibus quadraginta distarent capitibus, non calcibus. ut

trabium

Hieronymi Magii

radix euellatur, sed manens in foramine torqueatur. Hæc ille. Vides fibulas Architectis Mechanicisq; ipsis clauorum usum præbere. Quæ testimonia cum sint satis, reliquis, quæ afferre possem, supersedeo. Sanè Scaliger à nostra sententia non multùm secessit, fibulas ipsas trabi ita infigans, ut non ipsas tignorum binorum summas partes cū trabe inserta perfoderent, sed hinc inde trabis duntaxat capita, ut intra fibulas binas utraq; tignorum paria media distinerentur. Quæ fibularum affixio ab hinc annos sexdecim ab Andrea Brugonio Mechanico præcellenti excogitata, licèt Cæsaris sententiæ non nihil quadrare uideatur, mihi non arridet, cùm non multum præstet firmitudinis, nec ita arctè ut oportuit, tigna trabemq; deuinciat, siquidem in Scaligeri fibulatione, si maior uis aquæ se incitauisset, in duas duntaxat fibulas uis omnis incubitura esset, scilicet utrinq; in interiores, exterioribus nihil adiumenti præstantibus: et una solùm defracta fibula, iugo pontis multum roboris decessurum uideretur. Quæ prospexisse pontis huius Architectos uerisimile est. Minus etiam constructionis rationi, & Cæsaris sententiæ quadrant Iucundi fibulæ, quæ omnino à fibularum quarumcunq; forma aut inutatione absunt, & magis trabem suffulciunt,

una cum trabibus immixtis, prius perforata configerentur, atque unita continerentur. Fibulas autem, à figendo dictas suspicor (fixulam namq; pro fibula ueteres dixerunt) uel quòd axiculum fibulæ, qui balthæo, aut rei huiusmodi per fibulam ductæ infigitur, referrent. Quod aut clauis non absimiles ab Architectis Mechanicisq; fibulæ appellantur, satis demonstrat Vitruuius lib. 10. cap. 2. dum de trium tignorum iunctura loquitur, quam infra cap. 3. fibulationem uocat (licet Buteo & alij loca hæc aliter accipiant) & Oribasius in libro de Machinamentis, cap. 4. dum ait, fibulam in organo Fabri spatham distingere ad testudinem, & fibulam continendi causa in spatham atque radicem pertusam inseri. & infra scribit, fibulas infixas clauorũ usum præstare. Idẽ quoque inferius cap. 8. fibulæ meminit, quæ infigeretur lateribus organi cuiusdam, ad continendos dentes tympanorum uersatiliũ: eodemq; capite fibula utitur tanquam clauo ad continendum plinthium in scamno, eadem ferè ratione, qua fibulis suis Cæsar usus est ad continendas intra tignorum binorum interualla trabes bipedales. Capite demum 25. loquẽs de Fabri prænotati organo, sic inquit ex interprete, Proposita pars radicis per uio foramine pertunditur, per quod fibula demittitur, ne

Hieronymi Magii

via pronas, alter circa tignorum calces directas ad perpendicularum defigit, Casare quavis reclamante, qui ad inferiorem partem fluminis adactas scribit, idest post inferiorem partem pontis, ad differentiam subiectorum uerborum, Et alia item supra pontem, &c.

Obliquè.] non rectà post tigna, sed imis hinc inde partibus diuariat, & supremis autem tua inclinatione in tigna conuenientibus, ut non solum uim fluminis nixu exciperent, sed ne tigna ad latera possent deflecti, efficerent. Nihil etiam prohibet quominus dicamus, sublicas inferiori parte fluminis contra tigna defixas fuisse, ita ut inclinata singula singulis tignis posterioribus hærerent affixaq; essent supremis partibus. Pro ariete subiectæ.] idest ut quasi arietis ferire uolentis, et in frontem maxima ui incumbentis, uicem, aut potius similitudinem singula exhiberent, perinde atque (ut Plauti uerbo utar) contra uim fluminis arietarent. Buteo malè, ut mihi uidetur, exponit Pro ariete, idest ante arietem, ut sit aries machina, quæ robusteum cylindrum ualidè ferratum, è sublimi præcipitem demittit in capita sublicarum, quam Mazzaca stellum nostri Itali appellant. perperam etiam accipit pro quolibet arboris trunco seu rate, uel nauis, quæ fluminis impetu ferren-

fulciunt, quàm bina tignorum paria reuinciant & detineant. Igitur, ut ego sentio, dicendum uidetur, utrinque, idest in utroque tignorum pari circa extremas, idest summas partes, prope capita scilicet, ita fuisse fibulas, quæ clauorum usum præberent, defixas, ut per tigna ac insertam trabem procederent, & arctius tignorum trabisq; capita iungerent, religarent, ac distinerent. Qua defixione ac iunctura, nulla in opere huiusmodi, meo iudicio, firmior, expeditorq; excogitari potest. Cuius etiam hic est usus, ut trabem quanuis tignorum transuersarijs utrinque insidentem, ne superinducto ponderi cedat, ac deorsum prolatur, contineat. Ab extrema parte.] idest suprema, siue summa; nam capita tignorum significat, ut patet. Distinebantur.] idest iuncta ac illigata utrinque detinebantur. Quibus disclusis.] Quibus tignis utrinque separatim clausis, idest iunctis, ac fibulis illis defixis, arctius detentis. Claudere enim pro iungere & Vlpianus noster aliquando dixit. Quanquàm non me latet & Scaligeri, ac Buteonis fibulis tigna claudi, sed tamen non ita ualidè ac ex usu ut nostris. Sublicæ ad inferiorem partem fluminis.] Lucundus, et Buteo, perperam locant sublicas. alter enim eas forma literæ X. intra bina tignorum pa-

Hieronymi Magii

Eadem uoce utitur Epiphanius in fragmento libri, quem Panarion appellauit. sic enim ait, ἀποκρύπτει πορνείαν, καὶ μοιχείαν, καὶ ἀσέλγειαν, καὶ εἰδωλολατρίαν, καὶ φόνον, καὶ πᾶσαν παρανομίαν, καὶ μαγείαν, καὶ φαρμακείαν, ἀστρονομίαν, κληδονισμούς, παλμῶν παρατηρήσεις, ἐπαοιδίας, περίπλα, τὰ δὴ καλούμενα φυλακτήρια. Quæ uerba sic interpretatur Io. Hentenius, Scortationem detestatur, & adulterium, ac impudicitiam, & idololatriam; homicidium quoque, & omnem iniquitatem, ac præstigituram, & ueneficium, astronomiam, diuinationes, concussionum obseruationes, incantationes, appensa amuleta, quæ & phylacteria dicuntur. Idemq; sic habet in uersionis margine, παλμῶν, fortasse chiromantiam significat. Cornarius uerò loco concussionum, tremorum habet. Sed omnes malè uerterunt, cum quid significaretur, non satis essent affecuti. Tu dicas significari extispices seu extispicium. nanq; Aruspices olim, sicut ex Ethnicis, ac etiã Augustino patet, inspectione extorum & eorum palpitatione, futura prædicebant. quæ res satis nota est. unde, apud Clementem ac Epiphanium, uertendum erat, palpitationum, quæ uox extorum motui, quem antiqui obseruabant, maximè congruit. Et si non me latet uocem græcam alias etiam habere significationes,

tur in publicas. Cum toto opere coniunctæ.] ut differrent ab ijs, quæ supra pontem mediocri spatio defigebantur, et cum opere non iungebantur. Vides igitur quæ sint pontis huius fibulæ, & publicæ ad inferiorem partem fluminis pro ariete subiectæ: quæ duo, in hac pontis constructione difficultatem cõtinebant. Potuisssem ichnographia ac scenographia quæ dicta sunt, lectorum oculis subiicere, sed allat à nobis apertiora uidentur, nisi hebes quis omnino sit, quàm quæ delineationes schemataque requirant.

Apud Clementem Romanum, & Epiphanium per *παλμῶν* interpretem, & obseruationes, quod hominum genus, & quæ res significantur.

CAP. XXI.

CLEMENS Romanus Constitutionũ Apostolicarum lib. 8. cap. 28. scriptum reliquit *παλμῶν* interpretem, probandum esse tempore, & nisi pareat reijciendum esse, ut de alijs multis hominum generibus ibi constituitur. Cuius uocis eo loco significationem interpretes, uir alioquẽ eruditissimus, non satis affectus, palmorum, uertit, nulla planè nisi absurda sententia.

RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM,

Nec non locorum, quæ in uariis au-
ctoribus uel restituantur, uel
explicantur,



Index copiosissimus.

ontem, B. tergum significat.



BBATIS Panor. error.

II 2. b.

Abscissionis libellus. 104. b.

Abyssus quid in sacris literis.
mari subiecta. 161. b.

Accursii error. 33. b. 35. b.
41. b. & infra. 75. b. 91. a

Aceti species garum. Acetum solum, condimen-
tum ab Atticis dictum. 9. a. b.

Achilles cur cithara uteretur. 204. b.

Achillis sepulchrũ quibus floribus ornatũ. 109. a.

Adam gigas à quibusdam dictus. 15. b. ubi sepul-
tus. ibid.

Adamas pro ferri nucleo quibusdam. 89. a.

Admittere equum, quid significet. 29. b.

ad Çortres. 45. b.

Aedes antiquorũ, colũnã in medio habebãt. 126. b.

Aegæa urbs unde dicta. 122. b.

Aegidij Columnij ætate bombarde ignota. 5. b.

Aegyptus totius Orbis horreum olim fuit. 38. b.

Aegypti regio, Nili aluuiionibus, & adaggeratio-
nibus

tiones, quæ locis his minimè quadrent. Palpitatio
nanq; extorum est, præsertim cordis, ac uenarum
seu potius arteriarum. Plinius lib. 32. cap. 5. Im-
ponat supra cordis palpitationem mulieri dor-
mienti. Gellius lib. 18. cap. 10. uerba hæc ex an-
tiquis medicis refert, Σφυγμὸς ἐστὶ παλμὸς, ἢ ζέ-
σις φλεβὸς, ἢ ἀρτηρίας. Idest, ut Gaza interpreta-
tur, Pulsus est subsultatio & palpitatio, uel ebul-
litio uenæ, aut arteriæ. Vides παλμὸν uenæ aut
arteriæ tribui. Alijs possem exemplis rem com-
probare, quibus supersedeo, cum illa facillè lecto-
ribus in Græcis Latinisq; auctoribus occurrant.

Libri Quarti, & vltimi Miscellaneo-
rum, seu variarum lectio-
num

F I N I



*Quædam, quæ in margine ab auctore immutata,
non satis animaduertimus, ut infra scribes.*

Honoratum habere folio. 96. a linea. 10. Illud, & etiam circa
forum. 97. b. 9. etiã & tabernas ad. 97. b. 20. scæmoralibus,
& tibialibus. 130. a. 8. esse tibialibus. 131. a. 15. item Au-
gustinus. 140. a. 3. eas ait. 37. b. 27.

Index

- Americus Vesputius Gigantū insulā inuenit.* 20.a
Amerinus cucullatus à Demone amatus. 134.b
Amicitia unde dicta. 166.a
Anach uir gigantea proceritate. 14.b. 18.a
Andreas Brugonius. 217.b
Angelos cum mulieribus concubuisse quidam putant. 14.a
Anima magis continet corpus quàm corpus animam. 42.b
Anima à corpore discessura cur metuat. 195.a
Anima post mortem, in corpus redire non potest. 139.b.
Anima generalitatis est Seruio. 43.b
Anima pro uita. pro animato corpore. pro cadauere. 42.a
Anima Algazeli & Auicenna, exteriorem materiam mutare potest. 62.a
Anima à corpore soluta, deductoribus eget. 195.a
Anima est homo, non corpus. 43.a
Anima à corpore soluta, an irasci, & concupisci possit. 139.b
Anima à corpore seiuncta, an specialia cognoscat. 140.a
Animam & non corpus amittere, cur dicantur morientes. 42.b
Animas interfectorum hominum non fieri demones. 200. b. Cur has fieri demones Diabolus persuadere nitatur. ibid.
Animas à corporeis affectibus post mortem destitui

Index

<i>nibus creuisse uidetur.</i>	36.a
<i>Aegyptij fletibus solebant Nili irrigationem implorare.</i>	36.b
<i>Aegyptiorum opinio de aquarum origine.</i>	163.b
<i>αιματίον garum efficacius Graci dicunt.</i>	90.b
<i>Aemyly Probi locus restitutus.</i>	207.b
<i>Aes aut ferrum mouere, Sole aut Luna deficiente, cur multitudo consueuisset.</i>	206.a
<i>Aeris tinnitus Manibus demonibusq; inimicus.</i>	205.b
<i>Aeris uis.</i>	206.a.
<i>Aeris tēperatura quaedā antiquis cognita.</i>	130.b
<i>Aëreum corpus nullum animatum.</i>	65.b. 134.b
<i>Aërea rustica instrumenta priscis.</i>	130.b
<i>αιθρία quid.</i>	70.b
<i>Agentia & patientia debent in materia communicare.</i>	62.a. 140.b
<i>Αγκύλη, quid.</i>	127.a
<i>Aggeres Nili abrumpi, uetant leges.</i>	38.a
<i>αιγγείον πυροβάλον Heronis.</i>	3.b
<i>Aiacis ex pede talus maximus.</i>	18.a
<i>Albertus Floralius.</i>	171.a
<i>Alcai Poëta, & antiquorum error.</i>	55.b
<i>Alciati error.</i>	48.b. 178.a. furtum.
<i>Alexandri Tralliani locus declaratur.</i>	69.b
<i>Alluiones circa Nilum maxima.</i>	36.a
<i>Amarantho sepulchra ornabantur.</i>	109.a
<i>Amare tanquam osuri an debeamus.</i>	212.a
<i>Ambitus.</i>	188.b
	<i>Americus</i>

Index

- fera. ibidem. Apes rusticae seu ferae & cicures.*
apum genera. 9. a. b
Apium, defunctorum fer alibus epulis dicatum. 107. a
Apij coronae sepulchrales. 107. b
Apio egere, qui dicantur, 107. b
Aqua lustrali templa ingredientes & Ethnici se
aspergebant. 194. b
Aqua marina lustrationibus apta. 194. b
Aqua caduca quae. 146. b
Aquae purgationis vim inesse, qui cœsuerint. 194. a
Aqua potu delectatus Horatius. 40. b
Aquae potus lippitudini annuae medetur. 41. a
Aquarum ortum quem esse dicant sacrae literae,
& alij. 161. a
Arbam, Hebraeis quatuor signif. 16. a
Ara in sepulchro. I I I. a. arae sepulchrorum. 125. a
Arboris appellatione & uites continentur. 185. b
Arbores terminales cum notis. 187. b
Arbores altissima quibus regionibus. 26. b
Arcades calceis lunatis usi. 132. b
Archidamus uiso catapultae iaculo, quid dixe-
rit. 1. b
Archimedes Architectus. 93. b
Archimedes Siracusanum Bombarda inuen-
torem fuisse, quidam falso existimarunt. 2. a. b
Aries animal errans & uagum. 120. b
Aries inter signa caecus. 123. b
Aries gregis princeps. 121. b. 122. a
Aries sepulchro Isocratis cum Sirene insculptus. 122. a
Aris-

Index

- tui, existimasse antiquos. 139.a
- Animas interfectorum, & aliorum etiam hinc oberrare, negat Chrysoſtomus.* 200.b
- Animas amare sedē corporū relictorum.* 200.a
- Animas circa sepulchra uersari, qui censuerint.* 199.a.b.
- Animas hominum, quidam Dæmones se esse fingunt.* 200.a
- Animas ui peremptorum indignari interfecto-ribus, olim creditum.* 138.b. & infra.
- Animalia diuersi generis si coëant, qua generare possint.* 60.a.b.
- Animalia cur maiora in mari quā in terra.* 27.a
- Animalia aërea Dæmones Platonici.* 65.a
- Animalia duobus duntaxat in elementis.* 63.b
- Animalis corpus nullum simplex.* 135.a
- Animalium diuisio quadrifida.* 64.a
- Animantes ciuiles quæ.* 10.a
- Antigenidas.* 45.b.
- Antilochus pro patre mortuus.* 211.a.b
- Antinomia eliminatur.* 183.a.b
- Antonius Döchius Lycätropia correptus.* 201.b
- Antonij Iuliani error.* 106.a.b
- Antonij Iusti Com. in Ariosti Satyram.* 8.a
- Apes nec feras nec mansuetas, cur Plinius dixerit.* 10.b
- Apes feritatem exuere.* 10.b
- Apes omnes Iureconsultis cur feræ.* 11.b
- Apum natura est fera. 8. b. neque placida neque fera.*

Index.

<i>cus.</i>	125.b
<i>Auli Gellij locus corruptus restituitur.</i>	102.b.
44.b.error.70.a.locus.	179.a.
<i>Auster, qui nostras perflat regiones, unde oritur.</i>	141.a
<i>Axonis error.</i>	145.b
B	
B ALLISTIS atque onagris olim nullum tormentum ualidius.	2.b
<i>Barbari dicti à Grecis Latini.</i>	156.a
<i>Βαρβαρικόν. Barbaricum.</i>	153.a
<i>Bartholo unde erroris ansa.</i>	169.b
<i>Bartholi opuscula tria improbata, et reiecta.</i>	167
a. & infra. Bart. error.	75.b
<i>Bartholomeus Magius.</i>	127.b
<i>Bartholomeus Soccinus mendosam, & adulterinã inscriptionẽ urnæ Papiniani affert.</i>	95.b
<i>Βαρυζώvous, nubiles puellas Greci uocant.</i>	8.a
<i>Becichemi error.</i>	128.a
<i>Beroaldi error. 9.b. & infra.</i>	129.a
<i>Biliosos siccis lippitudinibus corripiti.</i>	40.a
<i>Blondi error.</i>	149.b. 159.a
<i>Bombarda quo tempore inuenta, non satis constat.</i>	4.a
<i>Bombardæ inuentor, Chimistes Colonienfis.</i>	3.b.4.
b.eius nomen ignoratur.	2.a
<i>Bombardæ usus quando, & ubi primum.</i>	4.b.5.a
<i>Bombardæ, Francisci Petrarchæ tempore.</i>	5.a
<i>Bõbardarũ usus apud Barbaros antiquus.</i>	5.a.b
	Bos

Index.

<i>Bos olim maxima in Sabinis.</i>	28.a
<i>Briccola, machine bellica. 5. b. usurpata à Turcarum Imperatore.</i>	6.a
<i>Briccolarum usus in turribus.</i>	6.b
<i>Brisca barbarè pro fauo.</i>	91.a
<i>Bruto spectrum terrificum visum.</i>	202.b
<i>Bubularū carniū esus robur corpori cōciliat.</i>	123.a
<i>Βούλιμος an etiam à calore. 69. a. in qua re à fame canina differat.</i>	ibid.
C	
C ADAVER <i>magnitudinis non parva in agro Regino repertum.</i>	20.a
<i>Ceruleus color in funere puerorum, & adolescentum.</i>	160.a
<i>Cecily locus.</i>	110.a
<i>Cadaveris nostri cura nobis insita.</i>	116.a. b. 117.a
<i>Cadaveri uni unum holocaustum.</i>	124.a
<i>Cadavera in potestate esse Zazelis Demonis, aut Eurynomi, qui censuerint.</i>	200. b. 201. a
<i>Cadavera presentibus occisoribus sanguinem è uulneribus emittere.</i>	176.a
<i>Cadavera etiam apud Hebraeos aliquando cremata.</i>	150.a
<i>Cadavera cremare, institutum antiquissimum apud Rom.</i>	148.a. & infra
<i>Caderēt ut honestè morituri multi curauerūt.</i>	116.a
<i>Caius diuortij etymologiam absurdā affert.</i>	104.a
<i>Cay Jurisc. locus restituitur, ut declaratur.</i>	185.a
<i>Calcei lintei.</i>	129.a
	Calcei

Index

- Calcei mullei alutati.* 131.b
- Calcei corrigiarum inflexione adornati, forma literæ C.* 132.b
- Calcei lunati. ibid.*
- Calor augendi corpora uim obtinet.* 24.a. 25. b
- Calybs, ferri nucleum non uidetur significare.* 87 b. 88.a
- Campanarum sono Demones depelli. tempeſtates ſedari.* 206.b
- Camparma auctoris uilla.* 57.a
- Canem ex homine aut ouem, & è conuerſo, gigni non poſſe.* 60.b
- Capillos in orbem uoluebant mulieres caput ornantes.* 128.a
- Capiti non parcere, quid ſignificet apud Lactantium.* 115.a
- Capra, Homeri patria an ſignificata.* 122.b. & infra.
- Capella cœleſtis quos demittat influxus.* 123.b
- Capra ſolers animal. Capra index.* 122. b. Delphici oraculi locum inuênit. *ibid.*
- Capræ Ioui immolabantur.* 125.a
- Capræ Syriæ præcellentes.* 123.a
- Capris ducibus Cranaus uſus eſt.* 122.b
- Capris albis ſacrum fiebat Apollini Græco ritu.* 125. a
- Capreoli in cochleis.* 94.b
- Carnes aſſa humide: elixæ ſiccæ, qua rone.* 56. a
- Carnifici Rhodum ingredi non licebat.* 209.a
Carnifi-

Index.

<i>Carnifices cur in hominum odia incurrāt.</i>	208.b
<i>Carnifices Romæ foro, & urbis domicilio priuati.</i>	208.b
<i>Caroli V. Imp. seruus à pedibus magna proceritatis. Eius cadauer et modus Bononia.</i>	20.a.b
<i>Caroli Caraffæ morituri cura.</i>	119.a
<i>Κασιτερός.</i>	130.a
<i>Catamitus puer pro concubino.</i>	76.b
<i>Catamiti, pueri cur dicti,</i>	77.a.b.78.a
<i>Catonis locus.</i>	146.b
<i>Cauda mutila prædita animalia, aut cauda carentia, non mactabantur Dijs.</i>	173.b
<i>Centauri si nascantur statim pereunt.</i>	58.a
<i>Centauri cur quidam populi crediti.</i>	59.b
<i>Centaurorum procreatio cur impossibilis.</i>	60.a
<i>Κάλκρον ferrum dictum, putauit non sine errore Io. Tzetzas.</i>	130.a
<i>Chalamisc Hebrais quid. unde dicatur.</i>	88.b
<i>Christophorus Bathicus.</i>	123.a
<i>Christophorus Rufus.</i>	125.b
<i>Χθονίω Mercurio deducendi animas munus antiqui iniunxerunt.</i>	195.b
<i>Cibi appetentia unde fiat. 67.a.b. dedrauata appetentia.</i>	68.a
<i>Ciconia erga uetulos parentes pietas.</i>	189.a
<i>Ciceronis locus declaratus. 34.b. 46.b. 47.b. 63.b. 108.a. in examen uocatus. 211.b. & infra.</i>	
<i>Cippi pomærij.</i>	157.b
<i>Claudius Ubaldinus parricida.</i>	189.a
<i>Ff</i>	<i>Claues</i>

Index,

<i>Claves à Iano inuenta.</i>	158.b
<i>Clementis Ro. locus declaratus.</i>	219.a
<i>Clementis libri Apostolicarum constitutionum à quo primum Græcè inuulgati.</i>	99.a
<i>Clypeus quo cõtra obtrectatores tegitur Valla.</i>	85.b
<i>Cochlea perpetua antiquis in usu.</i>	94.b
<i>Cochlea lentis sp̄ciem referens.</i>	94.b
<i>Cochlea non fuit inuentor Archimedes.</i>	94.b
<i>Cochleam, uitem uulgò dicimus.</i>	93.b
<i>Cochlearum species.</i>	94.b
<i>Cœmeteria, unde dicta.</i>	112.b
<i>Koñias piscis.</i>	91.a
<i>Collicia uel colliquia.</i>	146.b
<i>Color Lutens nouis nuptis in usu.</i>	129.a
<i>Color albus in funere. 159.a.b. niger ibidem. Cyanus.</i>	160.a
<i>Color niger mortalis.</i>	159.b
<i>Columba fera & placida. colubarum genera multa.</i>	11.b. 12.a
<i>Columbarum omnium cur feram esse naturam, in iure dicatur.</i>	11.b
<i>Columnã in medio habebãt edes antiquorũ.</i>	126.b
<i>Κόλουρα animalia non sacrificabantur.</i>	173.b
<i>Cononi ïmunitas, & statua publicè decreta.</i>	83.b
<i>Constitutio in XI. lib. C. emendatur.</i>	146.a
<i>Constitutio in XI. lib. C. declaratur.</i>	38.a
<i>Constitutio Valentiniani & Grat. illustrata.</i>	153.a
<i>Constitutio Constantini illustratur.</i>	190.b. 191.a
<i>Constitutiones quedam emendatæ.</i>	35.a.b
<i>Coraulæ</i>	

Index.

<i>Coraulæ monumentarij.</i>	45.b
<i>Cornazani opus de re militari.</i>	3.b
<i>Cornary error.</i>	219.b
<i>Cornicis Subianensis in Venere obitus.</i>	134.a
<i>Coronæ Lanæ antiquissimæ.</i>	110.a
<i>Coronæ tenijs ornabantur.</i>	109.b
<i>Corpus animæ gratia conditum.</i>	43.a
<i>Corpus solum nostrum esse uidetur.</i>	43.a
<i>Corporis uitia ad animum referuntur.</i>	176.a
<i>Corpora hominum magna in frigidis, & in calidis regionibus.</i>	26.a
<i>Corpora humana an ultra septem pedes excrecere possint.</i>	18.b
<i>Corpora antiquorum, Homerus uastiora fuisse arbitratus est.</i>	18.b
<i>Corpora serui dicti.</i>	43.b
<i>Corpora procera, labori inepta.</i>	25.a
<i>Corpora hominum cur nostra etate quàm apud antiquos breuiora.</i>	13.b
<i>Corporum humanorum Staturam paulatim imminui putauerunt Homerus, Lucretius, & Virgilius.</i>	22.a.b
<i>Corporum incrementum immodicum, Hippocratis sententia unde.</i>	24.a. & infra.
<i>Corporũ proceritatis, causæ multæ.</i>	25.b. et infra.
<i>Corporũ incrementum à forma nõ à materia.</i>	24.a
<i>Corporũ magnitudinis causæ quæ Auicennæ.</i>	24.a
<i>Corui funus celeberr Romæ.</i>	109.a
<i>Crepida unde dicta.</i>	132.b

Index.

<i>Crepida Senatoribus indecora.</i>	132.a
<i>Crepidæ qui gestauerint apud antiquos.</i>	131.b
132.a	
<i>Crescendi lex in corporibus.</i>	27.b
<i>Κρηπίς, basis.</i>	132.b
<i>Κρηπίδας quæ calceamenta Græci appellauerint.</i>	
132.a	
<i>Crudis pilæ ludus cur inimicus.</i>	39.a.b
<i>Crudis quæ præsidia conducant.</i>	39.b
<i>Crurum gracilitas quo pacto repleatur.</i>	100.b
<i>Culeus parricidarum ex qua re fieret.</i>	190.b
<i>Culina, loca sepultura inopum destinata.</i>	112.b
<i>Curtij Paloni morituri factum.</i>	118.b
<i>Cyaneus color in funere.</i>	159.b
<i>Cyprianus in carnificem munificus.</i>	209.a.b
<i>Cyriacus Strozæ.</i>	210.b.212.a

D

D AIMACHI commentaria obsidionalia.	88.a
<i>Dæmon circa sepulchrum.</i>	198.b
<i>Dæmones sacri æris tinnitu depelli.</i>	205.b
<i>Dæmones animalia aerea Platonice.</i>	65.a
<i>Dæmones cur circa sepulchra.</i>	201.a
<i>Dæmones esse, Peripatetici negant.</i>	202.a.b. sic et
<i>Sadducei. ibid. & alij</i>	203.a
<i>Dæmones an rebus usi Venereis.</i>	14.a. 134.b
<i>Dæmones omnes hominum osiores.</i>	135.a
<i>Dæmones amore capti. an Zelotypi.</i>	134.a.b
<i>Dæmoniæ cur circa sepulchra, et in sepulchris.</i>	
201.a	

Dæmonia-

Index.

<i>Damoniacorum effectus quibus causis adscribat</i>	
<i>Aristot. 203. a. de his quid senserit Cattanius</i>	
<i>Imolensis. ibid.</i>	
<i>Dea Viriplaca sacellum Romæ.</i>	104. b
<i>Debitorum bona non corpora creditoribus obliga</i>	
<i>ta apud Aegyptios.</i>	32. a
<i>Decurionum liberis Diuisiones data.</i>	74. b
<i>Decurionibus ob statuæ dedicationem Diuisiones</i>	
<i>data.</i>	74. b. 75. a
<i>Deliciares tegule quæ sint.</i>	146. b. 147. a
<i>Deliciæ aquarum. i. deriuationes.</i>	146. b
<i>Delicia tignum.</i>	147. a
<i>Deliciatum tectum.</i>	147. a
<i>D. M. litera interpuncta quid in Ethnicorum</i>	
<i>sepulchris significant. 101. b. error multorum.</i>	
<i>ibidem.</i>	
<i>Democriti, & antiquorum error.</i>	193. b
<i>Democriti liber de pestibus, & rationalium ma</i>	
<i>lis.</i>	193. b
<i>Dens molaris mira magnitudinis à Diuo Augu</i>	
<i>stino inuentus.</i>	16. b
<i>Dentes gigantis nouenarum librarum.</i>	19. a
<i>Deum peccata maxima purgare, et Seruatorem</i>	
<i>esse, Ethnici fatentur.</i>	194. b
<i>Dys quæ sana & perfecta solùm oblata.</i>	173. b.
<i>& infra.</i>	
<i>Dies cur in xij. horas diuisus.</i>	50. b
<i>Diuergia aquarum.</i>	104. a
<i>Diuisiones die natali mortuorum dabantur.</i>	74. a
<i>Ff 3</i>	<i>Diui-</i>

Index.

Diuisiones à uiuentibus letitia gratia dabantur.

74. a	
<i>Diuisiones ab Impp. letitia causa data.</i>	75. a
<i>Diuisiones quæ sint apud Marcellum Iurisc.</i>	72. b
<i>quo tempore, & quibus darentur.</i>	73. a. b
<i>Diuortium primum quando Romæ factum, non</i>	
<i>satis constat.</i>	102. b
<i>Diuortium à Platone permissum.</i>	104. b
<i>Diuortij etymologia.</i>	104. a
<i>Diuortij nomen apud Hebræos unde.</i>	104. b
<i>Diuortijs in ipsis uerba solennia.</i>	105. a
<i>Donati sententia reiecta.</i>	126. b
<i>Δουποδύκην, quid antiquis.</i>	127. a
<i>Duodecim Tabulas multa ex legibus Regijs, ex</i>	
<i>moribus pop. Ro. & non nulla ex Faliscorum</i>	
<i>legibus habuisse.</i>	32. b
<i>Duodenarius numerus.</i>	50. b

E

E CCLESIASTICI locus emēdatur.	54. a
<i>Echici cur acutem uocem edant.</i>	48. a
<i>Elephanto maius animal nullum in terra.</i>	27. a
<i>Ελιξ quid sit Athenæo. 93. a. b. unde dicatur.</i>	
94. a. b	
<i>Enach uir gigas.</i>	14. b
<i>Ennij locus.</i>	149. b
<i>Ephippium cum stapijs Forocornelij in uetusto tu-</i>	
<i>mulo inuentum.</i>	101. b
<i>Epigramma sepulchri Homeri.</i>	124. b
<i>Epiphany error in temporum supputatione.</i>	103
	b. locus

Index.

b. locus declaratur.

<i>Epitaphium urnæ sepulchralis Papiniani.</i>	95.b
<i>Erasistrati incuria.</i>	66.b. ignorantio. <i>ibid.</i>
<i>Erasistrati locus declaratur.</i>	70.a
<i>Erasmi error.</i>	97.b
<i>Error quorundam.</i>	151.b. 159.a
<i>Euangelij locus illustratur.</i>	47.a
<i>εὐαγγελία quid.</i>	70.b
<i>εὐδίοσ quid sit.</i>	70.b
<i>εὐδία, quid significet.</i>	70.a.b
<i>Eunuchas mulieres quis primus fecerit.</i>	82.b
<i>Eunuchorum quis usus apud antiquos.</i>	82.b. Eunuchi cunnilingi. eorum natura.
	83.a
<i>Eupolis prima nuptiarum nocte extinctus.</i>	133.a
<i>Eustathij locus.</i>	127.a
<i>Eurynomus Demon.</i>	201.a
<i>Exercitij quæ commoda.</i>	39.a
<i>Extincti in Venere.</i>	134.a
<i>Exustio cadaverum Regum Hebræorum qualis esset.</i>	150.b

F

F <i>ÆEX aceti raparum condimentum.</i>	92.a
<i>Faliscorum leges aliquæ in duodecim tabulas conuectæ.</i>	32.b
<i>Fama Poëtarum clypeus.</i>	152.b
<i>Famæ quas res Virgilius adscribat.</i>	152.b
<i>Fames canina, unde.</i>	68.b
<i>Fames unde.</i>	67.a.b
<i>Fames non naturalis unde.</i>	68.a.b

Ff 4 Fames à

Index.

<i>Fames à calore.</i>	69.b
<i>Fasciæ crinales, & mammillares.</i>	128.a
<i>Fasciæ crurales. 128.b. pedales.</i>	129.a.
<i>Ferrarij, & multorum error.</i>	178.a
<i>Ferri nucleus.</i>	87.a
<i>Ferrum priscis non erat in usu.</i>	130.a
<i>Ferri laminas quo pacto purgarent Hispani.</i>	
86.a	
<i>Festi error.</i>	168.b. 169.a. locus. 109.b
<i>Fibula quid sit Mechanicis & Architectis.</i>	
217.a.b	
<i>Finium nota multa. 187.b. spacium.</i>	187.a
<i>Fistulatores & fidicines in bello.</i>	204.a
<i>Flamini funebres tibias audire illicitum.</i>	46.a
<i>Floribus omnibus sepulchra ornabantur.</i>	
109.b	
<i>Florentini, patritij uiri morituri cura.</i>	119.a
<i>Flumina cornuta, eorum natura.</i>	168.b
<i>Fœminalib. usi Scythæ. 131.b. item Augustus, & tibial.</i>	131.a
<i>Fossæ in Aegypto Niliacæ.</i>	37.b. 38.a
<i>Franciscus Robortellus.</i>	30.a. 102.a. 139.a
<i>Franciscus Spatarius.</i>	171.a
<i>Franciscus Hotomanus.</i>	178.a. 183.a
<i>Franciscus Forrerius.</i>	88.b
<i>Franciscus Balduinus.</i>	190.b
<i>Franciscus Petrarca quo tempore obierit.</i>	5.a
<i>Franciscus Valeriola.</i>	69.a. eius lapsus. b
<i>Francisci Philelphi error. 30.a. Connani.</i>	81.b
Fran-	

Index

<i>Francisci Aligeri, & aliorum lapsus.</i>	47. b
<i>Frigus cur urere dicatur.</i>	52. b. & infra.
<i>Frondes sepulchris impositæ.</i>	109. a

G

G ALENI locus.	56. a. b
<i>Galeoti Martij error.</i>	53. a. 137. b. 99. b
<i>Galli an uini, & frugum desiderio se Italia super fuderint.</i>	151. b. & infra.
<i>Ganimedes ab antiquis Catamitus dictus.</i>	78. a.
<i>Garum quid sit.</i>	90. a. b
<i>Geminiani error.</i>	112. b
<i>Geometria à quibus excogitata.</i>	36. a
<i>Georgij Castriotæ ensis Pisauri.</i>	87. a
<i>Gigantis caluaria à Guilandino uisa Iulia Cesareæ.</i>	19. b
<i>Gigantis cadauer in Africa repertum.</i>	19. b
<i>Gigantis cadauer Boccacij ætate in Sicilia inuentum.</i>	19. a
<i>Gigantes Mosi aliquando homines bellicosi.</i>	14. b
<i>Gigantes fuisse. sacra Scriptura testatur.</i>	14. b. 15. a. 16. a. b
<i>Gigigantes cur hodie non generentur.</i>	20. b
<i>Gigates Anachim, uel Enachim unde dicti.</i>	14. b
<i>Gigantes post cataclysmum.</i>	15. a
<i>Gigantes ex Angelor. coitu an geniti.</i>	13. b. 14. a
<i>Gigantea proceritatis homo in Syria.</i>	17. a
<i>Giganteo corpore scæmina quadam.</i>	17. a
<i>Gigantū insula cuius proceritatis hoīes alat.</i>	20. a
<i>γίγγαντιβία.</i>	46. a
<i>Græcorum</i>	

Index.

<i>Græcorum uerborum quæ Gellius habet interpres</i>	
<i>Gaza.</i>	66.b
<i>Gregorius Angelerius.</i>	38.b
<i>Gregorij Giraldi lapsus.</i>	47.b
<i>Guido Morgalantus.</i>	79.b
<i>Gulielmus Budeus è Beroaldi scriptis multa de-</i> <i>sumpsit.</i>	37.b
<i>Gulielmi Budæi lapsus.</i>	30.a.b

H

HAEREDITAS cur in 12. partes diuisa. 50.b
Harmonia Lydia, acuta, & stridula. 45. b.
 & infra.

Harmodij, & Aristogitonis statua Venetijs por-
phyretica. Athenis Ænea. 83.b. 84.a

Hasta cur humi in bello defigerentur. 127.b

Hastas quo loco recondere antiqui. 126.a

Hegesippi lapsus. 177.b

Hentenij error. 218.b

Herba plantaginis cur frigore ingruente inare-
scant. 54.a

Hercules cur leonina uestitutus pelle fingeretur.

144.a

ἱερὰ βοτάνη. 191.b

Hieronimi, & aliorum error. 15.b

Hippocentauri, monstra sunt ficta. an nasci pos-
sint. 57.b. & infra

Hippocratis locus declaratus. 25.b. 71.a.b. 193.b

Hippolyti Medic. Card. factum, 203.b

Homerus in Io insula moritur, & tumulatur.

Index.

<i>124.b. Iensis. 120.a. 125.a.b</i>	
<i>Homerus Syrus.</i>	122.b
<i>Homerus cur pisces Græcorum mensis non appo- suerit.</i>	123.a
<i>Homerus pro Deo habitus.</i>	121.b
<i>Homerus cæcus.</i>	123.b
<i>Homerus omnis uirtutis pater dictus. 21. a. ho- minum decreſcere paulatim corpora putauit. 21.a.b</i>	
<i>Homeri error. 22.b. quo is tempore in humanis fuerit.</i>	22.b. 23.a
<i>Homeri natura uaga.</i>	120.a. 121.a
<i>Homeri patriæ incertitudo unde.</i>	121.a
<i>Homeri parentes ignorati quã ob causã.</i>	121.a.b
<i>Homeri manes ab Appione Grammatico cur euo- cati.</i>	121.b
<i>Homo longitudinis nouem pedum.</i>	17.b
<i>Homo per dici ſtatura ſimilis.</i>	17.a
<i>Homines quo modo in lupos uerſi.</i>	201.b
<i>Homines mōſtroſos, unde natos dicāt quidã.</i>	60.a
<i>Horatius uini potationes cur laudet, & ſuadeat, aque alioqui potu delectatus.</i>	40.b
<i>Horatius qua lippitudine laboraret. 40. a. bilio- ſus ibidem.</i>	
<i>Horatij locus declar. 39.b. 40.a.b. 41.a. 172.b</i>	
<i>Hoſtiarum delectus tam apud Ethnicos, quã apud Hebræos.</i>	174.b
<i>Hoſticum.</i>	153.a
<i>Humor incrementi magni cauſa in animalibus,</i>	
	&

Index

<i>& plantis.</i>	26.a.b
<i>Humum accedere aqua, quæ dicatur.</i>	146.b

I

I ACOBVS Cuiacius.	103.a.146.a
<i>Iacobi T aurelli error.</i>	40.b
<i>Iacobi Crucei error.</i>	64.b.125.b
<i>Ianus Pomœria excogitavit.</i>	158.a.b
<i>Ianus cur medius ab Horatio, & Cicerone dictus.</i>	
97.a.b	
<i>Iani sacellum æreum in medio Fori Romæ.</i>	97.a
<i>Ianistres.</i>	97.a.b
<i>Ianua unde dicta.</i>	158.b
<i>Ienses Homerum sepeliunt.</i>	124.b
<i>Imaginationis vis in nobis.</i>	61.b
<i>Imaginativæ virtutis vis.</i>	140.b
<i>Impossibilia à Poëtis scripta, quot modis defendantur.</i>	152.a
<i>Inclino verbum obscœnum aliquando.</i>	77.b
<i>Infule hostijs è lana.</i>	109.a
<i>Interfectorum hominum animas, Demones se esse fingunt.</i>	200.a.b
<i>Ioannes Ricciardescus.</i>	23.b
<i>Io. Andreas Angelarius.</i>	181.b
<i>Ioannes Gallus.</i>	136.b
<i>Ioannes Michaël Brutus.</i>	206.b
<i>Ioannes Tortellius.</i>	99.a
<i>Io. Bapt. Giraldus</i>	50.a
<i>Io. Nicolaus Iustus.</i>	171.a
<i>Ioannis Anny error.</i>	156.a
	Joannis

Index

Joannis Buteonis laus. 171. a. 214. b. lapsus. 18.
a. b. 215. b. & infra.

Joannis Zetzæ erratum. 130. a

Jo. Manardi error. 71. a. 72. a

Jo. Jucundi error. 217. b

Jo. Caroli Bouij error. 219. a

Joannis Ferrary lapsus. 81. b

Jo. Bapt. Pij error. 107. a. b

Jo in insula obiit, & sepultus est Homerus. 124. b

Isaac Abaruanelli error. 151. a

Ischiadicis musica medetur. 205. a

Isidis sacra cū fletu ab Aegyptijs celebrata. 36. b

Isidori error. 166. b

Ifocratis sepulchro aries cum Sirene. 122. a

Jul. Cæs. Scaligeri error. 217. b

Julius Sirenius. 62. a

Julius Paulus Plutarcho recentior. 160. a

Jus unde dictum. 165. a. b

Iustitia unde dicta. 165. b. 166. a

Iustitiæ symbolum ciconia. 189. a

Iusta cur dicta parentalia. 112. a

Iustiniani locus. 12. a. b. 41. b. & infra. 51. a. 65.

a. 57. b. & infra. 82. a. 185. a. 186. a.

Juvenalis locus. 91. a

L

LACERTVS piscis. 91. a. lacertuli panes. b

Lactantiij Firmiani locus. 111. b. 115. a

Lampridy locus. 80. a

Lansci unde dicti. 109. b

Lansci

Index:

<i>Lanisci aurei striati.</i>	110.a
<i>Lapides intra terram oriuntur.</i>	182.b
<i>Lapides alicubi crescunt.</i>	182.b
<i>Latini Barbari dicti.</i>	156.a
<i>Latinis in Latinorum rebus, magis quàm Graecis credendum.</i>	103.b
<i>Laurentius Valla quo tempore scripserit, Elegantiarum libros.</i>	4.b
<i>Laur. Vallæ locus restituitur. 76. b. 85. b. idem defensus ibid.</i>	
<i>Laſari Baſſii error.</i>	28.b
<i>Legationes de pace cum tibijs, qui obiret.</i>	204.b
<i>Lex Manilia</i>	186.b
<i>Lex mancipij.</i>	172.b
<i>Lex Numæ poſthumia.</i>	148.b
<i>Lex Cornelia de parricidio, Pompeia antiquior.</i>	
190.a	
<i>Legis Curiatæ in arrogationibus uſus etiam ſub Imp.</i>	178.a
<i>Legi, Quinque pedum. C. Finium regundorum. qui primi illuxerint. 186. b. & infra.</i>	
<i>Leges ſumptuariæ Romæ ex Lycurgi axonibus.</i>	
33. b.	
<i>Lege Rhodiorum cautum erat, ne carnifex urbem ingrederetur.</i>	209.a
<i>Leges xij. Tabularum à Decēuiris ſcriptæ.</i>	34.a
<i>Leges duodecim Tabularum quibus ex legibus, ac moribus compoſitæ.</i>	32. b. 33. a
<i>Legum tituli rubri. 49. b. itē ſepulchrorum. ibid.</i>	
<i>Lesbiari</i>	

Index.

<i>Lesbiari quid sit.</i>	115. a
<i>Libitina Dea quarum rerum inspectrix.</i>	112. a
<i>Libri rituales Hethruscorum, quid continerent.</i>	
158. b	
<i>Libri sacrificandi artem continentes.</i>	175. a
<i>Limites agrorum angusti.</i>	188. a
<i>Limitares uia.</i>	188. a
<i>Lingua Mercurio à quibus sacrificata.</i>	196. b
<i>Lippitudo Horatij arida erat.</i>	40. a
<i>Lippis pila ludere cur inimicum.</i>	40. a. b
<i>Lippitudini sicca modica meri potio aliquando cum balneo utilis.</i>	41. a
<i>Lippitudines aride quos inuadant.</i>	40. a. b
<i>Literarum humaniorum studium immodicum Iu reconsultis obesse.</i>	80. b
<i>Liuij error.</i>	158. a
<i>Liuij testimonium eleuatur.</i>	157. b
<i>Liuij locus declaratur.</i>	106. a
<i>Ludouicus Ruffardus. 146. a. eius glossema reycitur.</i>	185. b
<i>Lugentibus pelles in usu.</i>	144. b
<i>Lugubris sonus grauis. 45. a. item acutus, & stridulus. b.</i>	
<i>Lycanthropia laborantes cur circa sepulchra.</i>	
201. a. b	
<i>Lycanthropie signa.</i>	200. b
<i>Lymbus quid Latinis.</i>	156. a
<i>Lyricorum mos, uini potationem laudare, seq₃ bi baces demonstrare.</i>	40. b
<i>Machi-</i>	

Index.

M

- M**ACHINARVM bellicarũ Romani à Gra-
cis artem didicerunt. 3.a
- Magnitudo quot modis accipiat. 25. a
- Manes condere. 198.b.199.b.200.a
- Manes silentium amare crediti. 206.a
- Mantua Benavidius. 191.a
- M. Antonius Muretus. 94.a
- Mare omnis humoris fons Solomoni, Lucretio, et
Basilio. 161.a
- Marinus Becichemus. 187.a. eius erratum. 48.b
- Martialis locus emendatus. 91.a
- Marcus Maninus. 134.a
- Matthæus Doctorius. 79.b
- M. Varro Pythagorico more sepultus. 110.b
- M. Varronis epigramma emendatum, ac illu-
stratum. 120.a
- Mechanici multi apud Græcos. 3.a
- Melancholia species Lycanthropia. 201.b
- Melchior Guilandinus. 19.b
- Memoria defunctorum ad monumenta. 73.a
- Mensura plurima cur in xij. partes diuisa. 50.b
- Mercurio terrestri deducendarum animarũ mu-
nus iniunctum. 195.b.196.a
- Mercurius cur animarum deductor dictus. 196.b
- Michaël Archægelus animarũ ductor. 195. a. b
- Michaël fterus. 83. a
- Miles non à militia dictus. 166.a
- Milites sine pietate, & hominum pessimi. 112.b
- Milesia-

Index.

<i>Mileſiarum uirginum ueſania & inhumanitas, quo pacto frenata.</i>	118.b
<i>Milites morientes in bello, ſepeliebantur ſumptibus communibus legionis.</i>	113.a
<i>Milites inſepultos relinquere, Athenienſium du- cibus capitale.</i>	113.a
<i>Militarium technarum libri auctoris. 92.b. cui dono dati.</i>	6.a
<i>Modestini locus Benauidiy emendationem non pa- titur.</i>	191.a.b
<i>Modestini locus declaratus.</i>	191.a
<i>Mœri, muri.</i>	158.a
<i>Molibus atque exaggerationibus Aegyptus mu- nita.</i>	37.a
<i>Monstra cur rarò in hominibus. 63.a. quibus lo- cis frequentia. ibid.</i>	
<i>Monstra à natura præternaturã. 62. b. & infra.</i>	
<i>Monstra fato fieri ait Ulpianus.</i>	62.a
<i>Monstra unde fiant.</i>	62.a.b
<i>Monstra quæ uiuant.</i>	63.a
<i>Monstra ex impressione cœlesti gigni, quicenseant.</i>	62. a
<i>Monstrorum bifida diuifio.</i>	62.b
<i>Monstrosa cur Neptuno tributa.</i>	27.a
<i>Monumentarij.</i>	45.b
<i>Morbi, qui ex animi motibus proueniunt, quomo- do arcendi.</i>	205.b
<i>Morborum popularium causa.</i>	193.a
<i>Morientes cur animam non corpus amittere di- cantur.</i>	Gg

Index.

<i>cantur.</i>	42. b
<i>Morigerari ore, quid sit.</i>	115. b
<i>Mortuorum uorator Dæmon.</i>	201. a
<i>Mortuis opitulari, magis iustum quam uiuis, cur sit existimatum.</i>	112. a
<i>Mulier Aethiopem peperit & si Aethiopi non miſta.</i>	61. b
<i>Mulier Auenione foetum semicanem parit.</i>	61. a
<i>Mulieris cogitatio in coitu quid efficere possit.</i>	61. a
<i>Mulieres aluo ampliore præditæ, foetus magnos edunt.</i>	27. a
<i>Mulieres cur bruta pariant nonnunquam.</i>	60. b
<i>61. a</i>	
<i>Mulieres albis uestibus in funere indutæ.</i>	159. a.
<i>nigris. ibidem.</i>	
<i>Mundus finem suum aduentantem quo argumeto demonstrat.</i>	13. a
<i>Mundus, fossa.</i>	155. b
<i>Muria quid. 91. b. duplex ueteribus fuit. ibid.</i>	
<i>Murina quid.</i>	92. a
<i>Muri, mœri antiquitus dicti.</i>	158. a
<i>Musæi Poëtæ error.</i>	55. a
<i>Musica mœrorem animi depellit.</i>	204. b
<i>Musica uiperarũ morsibus medetur. 205. a. pestilentiam depellit. ibid.</i>	
<i>Musica seditionem sedat.</i>	204. b
<i>Musica corporis, et animi morbis medetur. 205. a</i>	
<i>Musica animos sedat.</i>	204. a
<i>Musica Lacedæmonij iram adimebant pugnantibus.</i>	turis.

Index.

turis.

Musica quid in nobis faciat. 203. b. & infra. 204. a

Mutatio, natura inimica. 25. a

Mutationes in nobis pariunt, multa, quæ absunt.
140. b

Mutationes temporum morbos pariunt. 25. a

Myrtea coronæ sepulchrales. 108. b. 109. a

N

N *ÆNIAE.* 47. b

Natalis Comitius. 92. b

Natales dies defunctorum apud Græcos, & Latinos celebres. 76. a

Natalis dies apud Marcellum Jurisc. non est pro die mortis accipienda. 75. b

Navis portatoria, geraria. 28. b

Necti debitores solebant ante ius decemvirale.
32. a

Neurospasta. 94. a

Nicolaus Ant. Grauatius. 171. b

Nicolai Machiaelli error. 5. a

Niger color mortalis. 159. b

Nilus Isidi sacris sistro celebratis exestuabat.
36. b

Nilus auctu magno quotannis per Aegyptum uagatur. 36. a

Nili statua Romæ Niliaca incrementa præferens. 37. a

Niliaca incrementa, Aegyptus copiae, aut penuriae frugum argumenta fuisse. 37. a

Gg 2 Noha

Index.

- Noha gigante fuisse, quidam dixerunt.* 15. a
*Numæ sepultura à Cicerone allegata in argumen-
 tum uetusti moris sepeliendi.* 148. b
Nymphodori organum. 94. b
- O
- O** *beratis prospexit Solon lege lata.* 32. a
*Obsoniorum parandorum ars medico con-
 uenit, de ea medici scripserunt.* 56. b
Ocquiniscere. 77. b
Ocreis usi aratores. 131. b
Oleum præbitum in Diuisionibus. 73. a. b. 75. a
*Olympias Alex. mater, ut honestè caderet, mo-
 ritura curauit.* 116. a
Olympus in tēplorum dedicatione fiebat. 156. a. b
Olympus in designandis urbibus. 153. b. 155. a.
 156. a. b
*Onagris ballistisq³ nullum tormentorum genus
 olim ualidius.* 2. b
*Onerariæ naues quædam, olim etiam remis age-
 bantur.* 28. b
Oneri ferendo, & gratiæ referendæ esse. 85. a
Orbis Romanus. 177. a. cur sic dictum Ro. impe-
 rium. *ibidem*
Orbis pro imperio. 178. b
Orestis corpus giganteum. 18. b
Oribasij locu restitutus. 133. a
Origenis error. 143. b
Orionis corpus maximum. 17. a. b. cur. 27. a
Os femoris diui Christophori miræ magnitudinis
Vene-

Index.

<i>Venetijs.</i>	20.b
<i>Ossa humana monstrosa magnitudinis Pavius</i>	
<i>III. Pont. Max. habuit.</i>	20.b
<i>Ossa humana maxima in Phlegra campis reper</i>	
<i>ta.</i>	17.b
<i>Oua garo condiebantur.</i>	90.b
<i>Ouidylocus.</i>	64.b. 149.a. 189.a. 190.a
P	
P ALLANTIS <i>cadaver maximum, quo tem-</i>	
<i>pore effossum.</i>	18.b
<i>παλμῶν interpretes. παλμῶν observationes.</i>	
<i>219.a.b</i>	
<i>Pandectarum locus.</i>	72.b. 153.a
<i>Pandectarum locus emendatur.</i>	91.b
<i>Papiniani urna. 95.b. quo honore fmp. eũ pro-</i>	
<i>sequantur.</i>	96.a
<i>Parentalia Harmodio ab Atheniensium Impe-</i>	
<i>ratore celebrata.</i>	84.a
<i>Parricidũ qui primus Romæ patrauerit.</i>	190.a
<i>Parricidij pœna à Platone præscripta.</i>	189.b
<i>Parricida, monstrum est.</i>	189.b
<i>Partim uox, sine geminatione posita.</i>	31.a
<i>Paulus Ligijs.</i>	57.a. 134.a
<i>Paulus Manutijs.</i>	35.a. 148.b
<i>Pauli Iurisc. locus declaratur. 9.b. 11.a. 186.a.b</i>	
<i>Pauperum sepultura curam an Ethnici suscepe-</i>	
<i>runt.</i>	111.b
<i>Pedule.</i>	129.a
<i>Pelles sponsis sternebantur.</i>	144.b
Gg 3	Pellium

Index.

<i>Pellium usus in capitjs.</i>	144.a
<i>Pelliceas uestes an, & quibus locis, & temporibus usurpauerint antiqui.</i>	142.a. & infra.
<i>Peronibus usi aratores, et ciues Romani.</i>	131.b
<i>Pestis, quæ mortales inuadat, an brutis quoque sit exitialis.</i>	192.a.b. & infra.
<i>Pestilentia, musica ui depulsa.</i>	205.a
<i>Pestilentias qui auctores describant.</i>	192.a
<i>Petrus Antonius Ghetius.</i>	164.b
<i>Petrus Baccius.</i>	171.a
<i>Petri Criniti locus.</i>	186.b
<i>Phalandum Hethrusci cœlum dixere.</i>	156.a
<i>Phantasma nigrum, quidam interdum sibi uidere uisus est melancholicus.</i>	202.a
<i>Phrixum & Hellem cur arieti impositos fingant Poëta.</i>	120.b
<i>Phrygius modus ad animarum euocationem aptus.</i>	46.a
<i>Pietas in defunctos postrema inter pietatis genera.</i>	III. b
<i>Pij Bononiensis error.</i>	78.b. 79.a
<i>Pila ludo maximè corpus exerceri.</i>	39.b. 40.a
<i>Pila ludus cur lippis obsit.</i>	40.a.b. item crudis.
	39.a.b
<i>Pileos Pannonicos, milites Ro. gestabant.</i>	144.b
<i>Pileos ex canina pelle qui gestarint.</i>	143.b
<i>Pisces cur antiquorum mensis non apposuerit Homerus.</i>	123.a
<i>Piscium condimentum.</i>	90.b
	Pisci-

Index.

<i>Piscibus uesti Syri legibus prohibiti.</i>	123.a
<i>Plantæ herbaeque omnes calore præditæ.</i>	53.b
<i>Plantæ cur excrementa non contrahant.</i>	53.b
<i>Platina error.</i>	4.b
<i>Plato defenditur.</i>	162.b.163.a
<i>Plinius reprehenditur.</i>	148.a
<i>Plinij locus.109.b.eiusdē locus emendatur.110.b</i>	
<i>Plutarchi interpretis lapsus.</i>	94.a
<i>Plutarchi loca quædam emendantur.102.b. error.55.b.157.b</i>	
<i>Plutarchi testimonium reijcitur.</i>	103.b
<i>Plutarchi de aquis opinio.</i>	164.a
<i>Polydori Vergilij error.4.a.5.a.159.a.oscitatio.</i>	
103.a	
<i>Polyspastum machinamentum.93.a.b.eius etymologia.94.a</i>	
<i>Pollucis locus.</i>	27.a.error.157.b
<i>Pomœrium apud præscos unum.</i>	157.b
<i>Pomœrium Constantinopol. à quo productum.</i>	
158.b	
<i>Pomœrium ubi.</i>	156.b. & infra.
<i>Pomœrij etymologia.</i>	158.a
<i>Pomœry productio.</i>	158.b
<i>Pomœria quis primus excogitauerit.</i>	158.a
<i>Pompeius Nutus.</i>	171.a
<i>Pompeij error.</i>	158.a
<i>πομπαιον Mercuriump̄ antiqui uocabant.</i>	195.b
<i>Pomponij Iurisc. error.</i>	33.a
<i>Pōtis a Cæsare cōstructi declaratio.214.a.et infra.</i>	

Index.

<i>Pontis Caesaris declaratio.</i>	214.a. & infra
<i>Pontifici nefas erat cadauer insepultum relinque</i> <i>re. III. b</i>	
<i>Pontificio in iure error.</i>	15. b
<i>Porticus et tabernæ circa Iani tēplū Romæ.</i>	97. b
<i>Potbo flore sepulchra ornabantur.</i>	109. a
<i>Præmere uerbum georgicum quid.</i>	185. a
<i>Procedere uerbum quid signif.</i>	172. b
<i>Proijcere. 182. b. Proiectum.</i>	183. a
<i>Pubertas in fœminis solùm ex annis cognita.</i>	7. b
<i>Pubertatem fœminarum ex corporis inspectio-</i> <i>ne cognosci uolebat Plato.</i>	7. b
<i>Puella Hethrusca stupri cum cane consuetudinem</i> <i>habuit. fœtum semicanem edidit.</i>	60. b
<i>Pueri Catamiti, à meritorijs differunt.</i>	77. a
<i>Pullopremones, qui dicti.</i>	79. b
<i>Puticuli.</i>	112. a. 113. b
<i>Pythagorei in myrti, olea, & populi nigra folijs</i> <i>defuncti condebantur.</i>	110. a
<i>Pythagorica sepultura mos partim ex Lycurgi</i> <i>legibus.</i>	111. a

Q	
<i>Quadrigarij locus declaratur.</i>	105. b
<i>Quinctinus Acanthius.</i>	89. a. 124. b
<i>Quinque pedum spacium in confinio.</i>	186. b
<i>Quinque pedum spacium non in omnibus fini-</i> <i>bus agrorum.</i>	187. a
<i>Q. Sertullius prima nuptiarum nocte extinctus.</i>	
133. a	

Index.

R

- R**ADICES arboris uicini in meum fundum
 procedentes, recidere an possim. 184.a
- Repudijs in ipsis uerba solennia. 105.a
- Ricinum quid. 159.b
- Ripa fluminis à pradio separatur. quid sit. 169.a
- Rituales libri. 158.b
- Roma quadrata primū constructa. 153.b. 154.a
- Roma cur communis patria dicta. 176.b
- Roma condita in Palatio. 154.a
- Roma totius habitata terra compendium. 177.a
- Romana plebis in se ipsam uesania, & inhumana
 nitas quomodo frenata. 118.b
- Romani, Iurisc. error. 75.b
- Romani bellicas machinas à Græcis habuerunt.
 Græcos in ea re superarunt. 3.a
- Romani ciues, qui Romano imperio subiecti.
 176.b
- Romani quo tempore sub pellibus hyemare cœpe-
 rint. 142.b
- Rosa in coronis usus olim minimus. 108.b
- Rosis sepulchra ornabantur. 108.b
- Rubigo ferri unde oriatur. 86.a
- Rubricæ quedam in xi. lib. C. declarantur. 38.a

S

- S**Abellici error. 78.b
- Sacerdotum corpora qualia esse uoluerint Eth-
 nici, & Hebraei. 175.b
- Sacra scriptura auctores multi, Ethnicis antiquio-
 res

Index

<i>res.</i>	161.b
* <i>Sacrificia quæ Deis grata essent.</i>	124.a
<i>Sagmina.</i>	191.b
<i>Salmoneum nescio quid Bombardis simile adinuenisse existimatum.</i>	2.a
<i>Sanguine abūdant Septētrionibus subiecti.</i>	25.b
<i>Sanguinea uirga quæ sint apud Modestiniū.</i>	191.b
<i>Saulis, & filiorum eius cadauera cur combusta.</i>	
150.a. 151. a	
<i>Σαυρωτήρ, quid antiquis.</i>	127.a
<i>Scythis calor in intimas partes compulsus.</i>	25.b.
<i>corpora magna.</i>	26.b
<i>Scombro è pisce garum.</i>	90.a
<i>Scoppæ erratum.</i>	77.b
<i>Scortum masculum pro puero concubino.</i>	77.a
<i>Seditio, musica sedata.</i>	204.b
<i>Senatores crepidis usi.</i>	131.b
<i>Sēsus nostros decipi in multis, qui dixerint.</i>	202.b
<i>Sepulchrum ad Milciadis, noctu mira audiebantur.</i>	197.a
<i>Sepulchrum in Lypara prodigiosum.</i>	197.b
<i>Sepulchrum plebi misera commune.</i>	112.b
<i>Sepulchro Isocratis aries insculptus.</i>	122.a
<i>Sepulchra an incolant umbra mortuorum.</i>	197.
<i>a. & infra.</i>	
<i>Sepulchra quibus fertis, & floribus ornarentur.</i>	
108.b. & infra.	
<i>Sepulchra tenijs ornata.</i>	110.a
<i>Sepulchra ad ipsa, Demones uideri concurrere.</i>	

Index

<i>201. a. cur Demones ad sepulchra. ibid.</i>	
<i>Sepultura cadaverum, pietas prima.</i>	111. b
<i>Sepultura militum, cura in castris.</i>	113. a
<i>Sepultura cadaverum cura etiam ad principes viros pertinet.</i>	112. a
<i>Sepultura genus, pulueris iniectio.</i>	114. a. b
<i>Serenitas frigori iungitur.</i>	70. a
<i>Serpentes plures an cum parricida culeo inderentur.</i>	190. b
<i>Serta quibus tenys adornarentur.</i>	109. b
<i>Serui cur corpora à Grecis dicti.</i>	43. a
<i>Serui in commentaria additamenta irrepisse.</i>	
<i>Eius errores collegit Beroaldus.</i>	6. b
<i>Serui lapsus.</i>	8. a. 33. b. 53. a. 196. b
<i>Seth gigas.</i>	15. b
<i>Sextus dicebatur locus extra urbem in quo in damnatos animaduertebatur.</i>	209. a. b
<i>Signorum uocalium in bello quis usus.</i>	204. a
<i>Σεισάχθεια lex Solonis.</i>	32. a
<i>Siucines qui essent.</i>	44. a
<i>Siucines graue canere soliti.</i>	44. b
<i>Sole aut Luna deficiente as, & ferrum multitudo cur olim moueret.</i>	206. a
<i>Solea quod calceamenti genus.</i>	132. a
<i>Solomon quid senserit de uentorū prokursu.</i>	142. a
<i>Solon cur de parricidio legem non tulerit.</i>	149. a
<i>Solium pro sepulchro.</i>	110. b
<i>Soluendo esse quid sit.</i>	85. a
<i>Sonus grauis lugubris.</i>	45. a. 48. a
	<i>Spacium</i>

Index.

Spaciū inter parietes uicinorum, quantū.	188. b
Spadonum duæ species.	82. a
Spartæ cadauera in oliuæ foliis condita.	111. a
Sphinctæ qui sint.	79. b
Σφιγκτηρ uox, quid signif.	79. a
Spintber armillarum genus.	80. a
Σπινθηρ.	80. a
Spintbria qui, & unde dicti.	79. a. b. 80. a
Spiritus duplex.	138. a
Spiritum naturalem aliqui negant.	138. a
Sportula.	73. a. b. 75. a. b
Stapia mentio apud D. Hieronymum, & in uetusta sepulchri inscriptione.	101. a. b. nulle apud antiquos stapia.
	100. a
Statij locus.	36. b
Statue nulle pelliceas uestes præferunt.	143. a
Σταυρὸν, quid Græci appellarent.	127. a
Στομῶς, quid signif.	87. a
Στόμαμα Græcis quid.	87. a. quo pacto purgetur.
	86. b. 87. a
Stomomatis plura fuisse genera apud antiquos.	
	88. a. b
Substantie separate Peripateticis qua.	202. a
Subueteribus, locus sic dictus Roma.	97. b
Syri piscibus non uescebantur.	123. a
Syros capra nobiles reddiderunt.	125. a
T	
T ABVLA Parrhasii obscæna.	115. b
Taciti locus declaratur.	105. b
Tacit	

Index:

<i>Tacitum inter, & sacras literas diffidium elimi-</i> <i>natur.</i>	151.a
<i>Tartarus quid.</i>	160.b.ubi.161.b.
<i>Tartari motus in gyrum.</i>	162.b.
<i>Temperatura antiqui es obdurabant.</i>	130.b
<i>Temperamenta ferri uaria.</i>	89.a
<i>Tenia cur Lanisci dicta.</i>	109.b.
<i>Tenys festa ornabantur.</i>	109.b
<i>Tenys sepulchra, & urae d. functorum ornaban-</i> <i>tur.</i>	110.a
<i>Terebra ad ferrum perforandum.</i>	88.b
<i>Termini lapidei Deo Termino dicabantur. coro-</i> <i>nabantur à uicinis.</i>	187.b
<i>Terra Aristoteli non senescit uniuersa.</i>	21.a
<i>Tertiū ne Cōsul, an Tertiò dici oporteat.</i>	147.a.b
<i>Tertulliani auctoritas eleuatur.</i>	103.b
<i>Thalmudistarū improba de Adamo opinio.</i>	60.a
<i>Thalmudistarum deliramentum.</i>	15.b
<i>Theodosius Constant. pomærium produxit.</i>	158.b
<i>Thesei corpus magnum.</i>	18.b
<i>Thomas Contareus,</i>	6.a
<i>Tibia in funere maiorum natu, & nobiliorum.</i> 47.a.b	
<i>Tibia funebres adunca.</i>	46.a
<i>Tibiae paratretae.</i>	46.a. Phrygia. ibid.
<i>Tibiarum usus in legatione, & in bello.</i>	204.a.b
<i>Tibialibus, & femoralibus nullis utebantur pri-</i> <i>sci.</i>	129.a.b
<i>Tituli rubre colore scribebantur.</i>	49.b
	Titulis

Index.

<i>Titulis cur libri antiquorum nonnulli careant,</i> <i>aut adulterinis præditi sint.</i>	49.b
<i>Tituli unde sic dicti.</i>	49.a
<i>Tiraquelli error.</i>	75.b
<i>Tormenta quando longiores certioresq³ emissio-</i> <i>nes habeant.</i>	106.a.b
<i>Trabucchi machine bellica.</i>	5.b.6.a
<i>Franquilli locus.</i>	80.a
<i>Triremes onerarie.</i>	29.a
<i>Trispartum. 93.b. unde dictum.</i>	94.a
<i>Tuba Siticinū in qua re differrēt à reliquis.</i>	44.b
<i>Futuli.</i>	49.a
<i>Tymbaufle.</i>	45.a

V

V ALERII <i>Maximi locus à Cuiacio restitu-</i> <i>tus.</i>	190.a
<i>Valerij Probi error.</i>	152.b
<i>Varronis sententia improbat.</i>	147.b
<i>Varronis contextus emendatur. 155. a. & infra.</i> <i>item.</i>	158.a
<i>Varronis locus declaratus. 173. b. & infra.</i>	
<i>Varronis locus.</i>	110.a
<i>Velo interiecto quæstiones exercere.</i>	98.b
<i>Velo leuato causas cognoscere cur dictum.</i>	98.a
<i>Veneris in rebus quidam casu extincti.</i>	134.a
<i>Venuleij locus restitutus & declaratus.</i>	185.b
<i>Verba quedam ab antiquis in emptionibus, &</i> <i>uëditionibus pecoris usurpata. 171.b. et infra.</i>	
<i>Vertigine melancholica qui iam corripit cœperat,</i> quid	

Index

<i>quid sibi uisus sit uidere.</i>	202.a
<i>Vestēs albas in luctu non usurparant antiquioribus temporibus mulieres.</i>	159.a.b
<i>Victimarum probatio.</i>	174.a
<i>Via limitares.</i>	188.a
<i>Vincula pedum, calcei.</i>	132.a.b
<i>Virgilij locus declaratur.</i>	126.b
<i>Virgilij locus.</i>	8.a.115.a.122.a.126.b
<i>Virgines uiripotētes nuda sacerdotibus ostensae.</i>	8.a
<i>Viriplacae Deae sacellum Romae.</i>	104.b
<i>Vini meraci potio, oculorum soluit dolores.</i>	40.b
<i>Visu debili praeditus, sui ipsius idolum sibi aduersum uidebat.</i>	202.b
<i>Vita animalium tribus rebus sustinetur.</i>	193.a
<i>Vitia corporis ad animum referuntur.</i>	176.a
<i>Vitta alba, corona colligata.</i>	110.a
<i>Vitta purpurea in capite Flaminicarum, & lenarum.</i>	49.a
<i>Ulcerasqualida, aqua uida reddit.</i>	57.a
<i>Ulpiani lapsus.</i>	62.a.165.b.166.a
<i>Ulpiani aetate arrogatio per pop. fiebat.</i>	178.a
<i>Umbra Caligulae, circa cadauer.</i>	198.b
<i>Umbra hominis terrificae domum incolit.</i>	197.b
<i>199.a</i>	
<i>Vngēdi cadauera mos an antiquissimus.</i>	149.a.b
<i>Volaterrani error.</i>	142.b
<i>Vox grauis cur.</i>	48.a
<i>Vrna defunctorum tenys ornabantur.</i>	110.a
<i>Vrna, in qua Papiniani conditi cineres erant, inscriptio</i>	

Index.

Scriptio.

95.b

X

XENOPHONTIS *locus declaratus.* 156.a
XXII. *Tab. quando composita.* 148.b

Z

ZAZEL *Damon.* 200.b
Zibellini. 142.b



FINIS.

REGESTVM.

ABCDEFGHIJKLMNO PQR
 STVXYZ, Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

TYPOGRAPHORVM ERRATA, VT INFRA EST,
 subnotatum, expunges, a. cartæ frontem. b. tergum | si-
 gnificat. numerus uerò posterior lineam.

a. b. 21. declarandam. 3. b. 12. demeris. 5. b. 4. Toletum. 7. b. 23.
 Aegeria. 14. a. 20. autem talia. 17. b. 14. Tyanzi. 17. a. 17. quen-
 dam in. 19. b. 12. Cæsareæ. 21. b. 3. *εχτορ*. 32. b. 15. tabulas. 45.
 a. 10. possunt. a. 18. tibia loquatur. 48. a. 11. eo modo. 48. b.
 21. mutuatus. 64. b. 9. formæ. 67. a. 2. angusta. 68. b. 25. inquis.
 84. a. 22. abhorrere. 94. a. 11. lypaston. 100. a. 1. uel. 101. b. 11.
 hac. 106. b. 3. quia teli. 107. b. 3. bene olentia. 109. a. 18. adhibi-
 tam. 112. b. 20. pōtificii. 117. b. 19. feræ. 121. b. 4. Appion. 132.
 a. 10. id genus. 146. b. 25. usum. 147. b. 18. sequutos. 155. b. 20.
 Hethruscos. 160. a. 11. Cyaneus. b. 22. fundamenta. 162. a. 16.
 quiddam eorum. 163. b. 3. Platonem uerbis, hic. 175. b. 22. mor-
 bum. 189. a. 18. Solon legis. 196. a. 10. quædam haustu ueneni
 199. a. 27. illas. 201. b. 1. Cynanthropia. 219. a. 9. allata.

